HIPPOCRATIS COI MEDICORVM OMNIVM PRINCIPIS EPIDEMIΩN LIBER SECVNDVS, A PETRO IACObo Steue Medico Latinitate donatus, & fusissimis commentarijs illustratus, adiecta & singulis sententijs Græca veritate, quò facilius diligens lector quanta sit seruata fides intelligere possit.

*HAVD QVICQVAM EGREGIVM

PRAESTABIS, SI MODVS ABSIT:



NAM MODVS EST CVNCTIS

NORMAQVE LEXQVE SVA.

ὃς δὲ τεῦχος ἰδίων ζητᾶς δόλον ἔῤῥ' ἀπ' ἐμεῖο.
Ἔῤῥε κακῇ γλώσσῃ ἔρχεο πρὸς κόρακας.

Cum Priuilegio Regiæ Magestatis ad decennium.

VALENTIAE,
Apud Ioannem Mey Flandrum.
1551.

AVTORIS AD LIBRVM CARMEN CONSOLATORIVM.

Dic mihi quæso liber cur mœstus in vrbe quiescis?
An quia fortaßis sperneris à Medicis?
Nunquid non sat erit magno quòd vbique fauore
Excipiare procul Thracas adusque feros?
Ergo quòd inuisus maneas sufferre memento:
Scilicet in patria nemo propheta sua.

MAGNIFICO DOMINO BERNARDO CIMONI PATRITIO VAlentino, vnico ſtudioſorum mœcenati: Petrus Iacobus Steue Medicus Valentinus S. D.

NON dubito Bernarde magnifice, quin multi nos leuitatis ac petulantię, noſtramq́ hanc operam temeritatis, ſint damnaturi: quos tamen partim liuore, partim verò maleuolentia idipſum facturos certò ſcio. Ob quam ſanè cauſam cunctatus ſum hactenus horum commentariorum editionem, ac propemodum deſperatio animum occupauerat meum, vt rerum meliorum expectatione ſublata, ſempiterno ſilentio vigilias meas obuolui (quanquam non libenter) æquo tamen animo ferrem. Accedebat etiam ad hæc & cauſa altera, quæ non parum animũ deijciebat, laxabatq́ meum, quæq́ conceptam iam deſperationem mirum quendam in modum fouebat: quòd viderem citra maximos ſumptus non poſſe, rem quæ magno iam conſtiterat, in lucem edi. Sed cùm aliquando tecum de hac re verba feciſſem, ac præcipuas cauſas quæ me remorabantur, atque ab editione deterrerent accepiſſes, ingenuè quidem (vt ſoles) omnem repuliſti timorem: labantem'que propemodum animum, ad firmam reuocaſti ſpem, illud quidem egregiè monens, bonorum hominum virtutem, imitatione, nõ inuidia dignam eſſe. Quòd ſi aliquando (quæ eſt hominum mala mens, malusq́ animus) maleuolentiæ, aut inuidiæ, locus daretur, ignauũ ſanè reputabas timorem, qui victos à ſeipſis hoſtes formidaret. Huiuſmodi enim eſſe inuidiam, aiebas, vt cùm nõ poſſit eum, quem oppetit opprimere, magno cum impetu recurrat in inuidum, qui tandem inteſtina labe abſumatur, atque tabeſcat. Propterea Antiſtenes Athenienſis, non aliter inuidos ſuo ipſorum vitio contabeſcere, ac ferrum rubigine abſumitur affirmabat. Quemadmodum enim viperea progenies ni ventrem quo ducitur dilaniet, genitricemq́ matrem interimat, in lucem edi non poteſt, eodem planè modo & liuori partu

rientem sese animum vt absumat est innatum. Hinc'que aiebas, quàm plurimos philosophos inuidiam solam, rerum omnium iu-stissimam, simul & iniustissimam prædicasse. Iustissimam qui-dem, quoniam illi, qui in eam essent procliues, per eam ipsam cru ciarentur, prima'que de illis pœnas sumeret: iniustissimam ve-rò, quòd bonis omnibus tumultuetur, eisq; impedimento esse ve lit, virtutemq; ac nominis splendorem perpetuò insectetur, non quidem vt æmula referat, cæterum vt maleuola interturbet. His atq; similibus rationibus contemnẽdam esse omnem inuidorum calumniam mihi persuadebas, censens non esse viro philosopho, nedum Christiano dignum, deterreri liuoris incursibus, quo mi-nus id faciat, quod in publicam vtilitatem cessurum esse videa-tur. Nam studiosos omnes, potissimumq; rei medicæ ex meis la-boribus non parum emolumenti recepturos existimabas. Etsi enim in hac vrbe possessionem huius laudis quòd egregij rem tra ctent medicam plurimi retineant, tamen mihi hoc nomine pluri-mum debituros studiosos aiebas, quòd industriã meam ad hanc artem propagandam, illustrandamq; contulerim, vtpote qui, nõ in scholis solum docendo publicè multorum excitauerim inge-nia, sed monumentis etiam in lucem emissis illorum consuluerim vtilitati. Siquidem vir philosophus ad optimarum artium scien-tiam, semper debet voluntatem adiungere bene merendi de re-bus humanis, præsertim cùm intelligat has artes à dijs ipsis esse profectas, non tam priuati commodi causa, quàm ad cõmunem vtilitatem: ac norit omnes philosophi actiones huc potissimum spectare debere, vt quantum possit, ad publicam salutem atque commoditatem referantur. Ego verò cùm æquitatem animi tui, quam multoties ex relatione didicceram, experimento essem affe cutus, ac quàm vehementer ad communem vtilitatem, ac patriæ decus, ornamentumq; aspirares, cognouissem, nõ potui non om-ni protinus depulso timore, gnauiter huic negocio incumbere: vt lucubrationes meæ ad vmbilicum perducerentur. Potissimum cùm addideris & istud ingenui tui animi iunctum cum liberali-tate maxima argumentum, quòd volueris impensis tuis hæc in lucem esse mittenda, quo certior fieres publicam vtilitatem, & patriæ honorem non iri frustratum: ac me ad serium aliud opus capessendum animares. Cùm ex mœcenatum maximè ingenua liberalitate conatus aliorum promouentium augescat studiorum

feruor

feruor,atque frequentia. Quare(vt æquum fuit)cùm hæc in publicum proditura esse decreuerim,nõ potui,nec debui potius,sub alterius patrocinio,quàm tuo emittere:vt nomini scilicet tuo nuncupata, longè splendidiorem indipiscerentur candorem, vberioremque aduersus maleuolorum insultus munitionẽ, ac tutius propugnaculum. Te enim non secus ac Herculem quendam ἀλεξίκακον eminus quicquid nobis impedimento futurum esse possit,pro fligaturum facilè spero. Vale.

Candido Lectori.

TANTA fuit temporum iniuria,vt non solum Hippocratem mancum,ac locis quamplurimis mutila quadam, hiantiaq; loquentem, nobis reliquerit: sed etiam (quod magis miserandum est) conatus,consilia,viasq; omnes labefactauerit, quibus innixis, augurari tantum, subolere'ue eius mentem liceret. Iniurium itaq; in nos, ac contumax non immeritò tempus existimabimus: nam si his duntaxat nos priuasset, quæ ad nihil minus quàm ad vitam possunt, nec nos tam malè affecti ab eo fuissemus, nec illi quo se nobis conciliaret tam foret difficilè. Cùm igitur & his nos priuauerit, quibus potissimum ad vitam indigemus;nimirum Hippocratis præceptis:haudquaquam sanè benè mereri ipsum de nobis par esset. Sed non quid accipias considerare,sed potius quid gratificari possis, ingenui est animi. Quare inuidiæ id retulissemus acceptum; ni talem esse eius naturam compertum haberemus: quod nec honestissimis, nec maximè necessarijs parcat, quin potius eo cuncta vitiantur: quæ formosa sunt, decorem amittunt; quæ honesta, obliuionem induunt: quæ necessaria, pereunt. Denique nihil aliud tempus est, quàm bonorum omnium iniuria. Nam quæ mala sunt, benè secum agitur, si vel obliuioni dentur; vel quouis alio modo intereant. Proinde mirum videri non debet, si quæ olim tam in literario vsu, quàm aliubi, decoris plena cernebantur; iam omnem exuerint elegantiam; ac mite quidem id esset; quanquam supra modum dolendum; nam plurima funditus fuere diruta. Quod si quæ non penitus perierunt, modo quodam in pristinum statum possent restitui, id labore (vt arbitror) partum maximam non immeritò laudem præstanti attulerit. Quomodo si ea quis attingat, quæ non solum tædij non parum, laboris permultum, ocium sempiternum requirunt: sed ne vllo quidem ingenio reparari, aut refici possunt; cùm

Præcepta Hippocratis maximè ad vitam necessaria.

Tempus bonorum omnium iniuria.

Non sunt tentanda quæ absolui non possunt.

id temeritati ascribatur, non laudem, sed dedecus potius reportauerit. Non aliter quidem, quàm qui marcidam iam ac senio confectam rosam, decore omni exutam, in suam elegantiam restituere, conetur: quanquam enim ipsa in vigore pulcherrima sit: si semel emarcescat: fieri non potest, vt mangonio, fucataque simulatione reficiatur. καὶ τὸ ῥόδον καλὸν ἐστὶ καὶ ὁ χρόνος αὐτὸ μαραίνει. *Ob eam itaque rem nos in continua fuimus solicitudine multis abhinc annis, à qua haudquaquam desistere instituimus, priusquam bonam Hippocratis operum partem in lucem emiserimus. Verùm cùm librorum inopia nos opprimat, ac ea quæ occurrunt vitiata sint, non possumus nos institutum tam facile exequi, quàm qui doctrina pollent, cum orationis vbertate, varietate, ac splendore, quibusq; librorum copia suppetit, possent. Quòd enim in hoc Hispaniæ angulo doctorum hominum commercio vsquequaque destituto, bonorum etiam librorum sit penuria, non est mirum. Fortasse & patriæ nomine operibus respondente, quippe quæ inopiam, egestatemq; suo nomine profitetur; quam bonæ doctrinæ, bonarumq; disciplinarum tantam cernimus, vt non aliud meritò possimus causari, quàm deorum in nos iram, inuidiamq;, ni impium esset. Nam cum aliunde, tum ex Gallia, tum Germania, tum etiam Italia, celebres aliquot viri iam in eam confluxerint: cumque in ea nonnulli (quanquam rari, cignisq; similimi nigris) in pulcherrimo Musarum sinu sint enutriti, quibus restituẽdarum literarum cura est commissa, ac non alia de causa id quod in votis est, præstare non possint, quàm quòd librorum copia non adsit: quis non deorum indignationi id ascripserit? Quanquam nebulones quidam, nihilique homines tantam apud magnates, vulgusque, opinionem compararunt, vt vel subsannando, doctos quosq; (proh dolor) possint subuertere. In Musarum verò certamine, tantum abest, vt ipsos in arenam prouocare audeant, vt fugiant ceruis timidiores. Quòd si quidam tantum sibi tribuant, vt iacula non auersentur: vbi ad certamen descenderunt, statim ad conuicia prorumpunt: sensimq; adeò inuidia æstuant, malitiaque flagrant, vt sui compotes non sint: peruicacesque absurda plurima fateantur: qualem, aliquando nos vidimus: qui eo venerat inscitiæ, ne insipientiam dixerim, vt qua passim vtimur theriacam, non ex Andromachi scriptura esse confingendam, assereret: sed potius, ex suo medicamentorum luco, nimirum aut Pandectario, aut tenebricoso luminari, aut maximè deprauato Nicolao, qui vtique chaos est, ac rerum male conditarum congeries. Vides quo tandem hominum indignatio aduersus bonarum literarum professores, procedat, vt dum animo suo faciant satis, non dubitent, & suorum etiam præceptorum dogmata subuertere? Nam quod Auicenna, quem ipsi vt Deum colunt, Andromachi potissimum præparationem in vsus redigendam*

Hispania bonarum disciplinarum indiga.

Medicorũ imperitia taxatur.

gendam esse censeat, aut planè non norunt, aut dum nobis contendant inficiari non verentur. Omitto quòd Galenus pluribus in locis, nihil neque demendum, neque adijciendum his quæ Andromachus posteritati reliquit, asseueret. Nam quòd inde nomen Galeno sit partum, quòd in eam aliquid de suo addiderit, quomodo Auicenna sentire est visus: summa est imperitia, tamq; crassa, vt non sit digna quæ explodatur. Quis enim indignum putabit, medicamenta ea, quæ propter saluberrimum eorum vsum θεῶν χέιρες. id est. Deorum manus, vocari meruerunt: propria quadam insigniq́ue nomenclatura esse donata? Non immeritò igitur (vt inquit Galenus) theriacam, quæ antidotorum omnium sit præstantissima, γαλήνην Andromachus nominauit, quoniam his quibus oblata sit, tranquillitatem corporis, mentisq́ue hilaritatem conciliet. Quod & Andromachus ipse testatur; in his quæ de theriaca ad Neronem scripsit.

Auicēnæ crassissimus error.

Veteres olim præcipua quæque medicamēta honorificis nominibus nuncupabant.

κλῦθι Νέρων ἱλαρήν μιν ἐπικλείουσι γαλήνην
οὔδεον, ἢ κυανῶν οὐκ ὄθεται λιμένων.
Cæsar ades, nostram lætam cognosce Galenen.
Quæ sæuos portus non timet egregia.

Verùm ista missa faciamus, quæ obiter, defunctorieq́ue dicta putabis, quòd nimirum non potuerimus, nobis temperare, quin maledicentiores in eos fuerimus, quàm pro nostra natura, præsertim ab ipsis incitati, qui cùm ingenio non valeant, in scurrilitatē, contumaciamq́ue, ac proteruitatem, deflectunt. Quapropter ad institutum redeamus, sperabamus quidem aliquem ex his qui de re medica benè meriti essent, cuiq; tum ocium, tum facultas suppeteret, hanc prouinciam ad se euocaturum, quamuis difficillimam. Spesq́; non nuda quidem, sed desiderio coniuncta erat, tamq́; vehementi, vt indies senio confici me putarem, iuxta id quod Græce profertur; οἱ δὲ ποθοῦντες ἐν ἤματι γηράσκουσιν. Quod autem præ cæteris, magis exoptabam, id quidem erat, vt in Galeni commentarios inciderem: quibus maximam huius libri partem in pristinum statum restituere possem. Nam cùm liber hic, qui non in hoc scribebatur, vt in lucem prodiret, ex his quæ Hippocrates diffusè seminauerat, probo iudicio, ac labore, à Thessalo eius filio collectus sit, vt sibi patris præceptorum esset monumentum, mirum non est, si plurima complectatur, quæ ipse à patre edoctus, nuda, nulla adscripta ratione, iaceant. Cæterum quòd Thessalus hic, acri quidem ingenio vir, ac tali parente dignus, nusquam ab Hippocratis placitis desciuerit, affirmat Galenus, cui & Polybum socium adiungit. Atque ideo quòd voti compos nunquam fieri potuerim, præstare quidem duxi: librum hunc (quanquam serò) in lucem emergere, quàm tineis derosum in obliuione delitescere; vt hanc quantulamcunque ingenij mei solertiam,

lertiam, studiosi amplexentur, quæ (ni fallor) ipsis frugi futura est: quicquid factum fuerit, boni consulentes. Proinde si quid peritioribus, non proba fide, vel translatum, vel scriptum, occurrat; sciant solertissimum etiam hominem interdum dormitare, egregieque illud dictum putent, nullum esse tam prauum librum, quin aliqua ex parte prodesse possit, neque vllum esse tam syncerae, sanè quàm doctrinæ, qui detractorum calumniam euadere possit: meipsum verò haud velim adeò proteruum putent, aut φίλαυτον, vt meliori iudicio non cedam. Attamen isthæc ipsa, quæ modo emittuntur, si vobis grata esse cognouero, polliceor & in reliquos (quos nemo vllus hactenus aggressus est) Vulgarium morborum libros, commentarios editurum: præsertim in quartum, qui innumeris penè medicis præceptis refertus est, atque turgescit.

Errata.

Ne mireris candide lector, si in aliquibus codicibus nonnulla errata iam instaurata sint, quoniam interdum, quando licebat per otium sub prelo iacentem paginam animaduertere, iam aliquot excussæ erant, in quibus sanè locum non habuit nostra diligentia, quare quæ reliquæ tantum erant instaurari potuerunt. Primum ergo fo. 1. pag. a. linea postrema, His ductores erant: lege, Ductores aderant. Item fo. 8. pag. b. linea. 31. gAEide: lege AEgide. Fol. 10. pag. a. linea. 16. dotatæ: lege notatæ. Fo. 10. pag. b. linea. 20. vt: lege, &. Fo. 12. pag. a. lin. 4. cruenta: lege, funesta. Fo. 14. pag. a. lin. 12. Cranonæ: lege, Cranone. & vbicunque similem inueneris mendam illam instaurato. Fo. 77. pag. a. lin. 13. πνίξιος adde in aliquibus exemplaribus δίδυμοι. Fo. 83. pag. a. linea. 30. debebant: lege dolebant. Fo. 118. pag. a. lin. 24. morsum: lege, morbum.

PETRI IACOBI
STEVE VALENTINI MEDICI, IN LIBRVM SECVNDVM HIPPOCRATIS, DE MORBIS VVLGARIBVS, PRAEFATIO.

PRincipia constitutionis medicinæ, quibus maximè dogmatici, rationalesq́ue Medici innixi sunt, duo potissimum traduntur: quorum alterum quidem experimentum, alterum verò ratio existit. Quæ sanè omnium primus, amplexatus est Asclepiades; post eum verò, tum Podalirius, tum etiam Machaon (eius filij) exceperunt: quod nimirum viderent, nudum, citraq́ue rationem experimentum, quo primum vsi fuerant Ægyptij, in pluribus esse fallax. Ne igitur incerta vterentur medendi ratione; ne'ue medicamentorum operatio fato esset referenda: experimēto quidem rationem addiderunt: atque ita absolutam, modis omnibus, ac vndiquaque perfectam, Medicinam posteris tradiderunt. Quo nomine ipsos Homerus potissimum extulit, Ac primo parentem Asclepiadem ἰλιάδος. Δ. ῥαψωδίᾳ, *quando à Pandaro vulneratum Menelaum descripsit.*

Quæ medicinam cōstituāt.

Experimento tantum AEgyptij primū vsi sunt.

Asclepiades magnus medicus.

Ταλθύβι' ὅτι τάχιστα Μαχάονα δεῦρο κάλεσον
φῶτ' Ἀσκληπιοῦ υἱὸν, ἀμύμονος ἰητῆρος. *id est,*
Ocyus accerse, deferq́ue Machaona præco
Quem genuit magnus Phœbæius arte medendi.

Qua in parte Asclepiadem inculpatum medicum, atque ἀνεπίληπτον *irreprehensibilem inquam (si fas est dicere) fuisse protulit. In quem nihil obtrectatoribus, aut cauillatoribus, licuerit; nam id* ἀμύμων *Græcis significat. Ostendens quidem eum, nulla parte medicinæ fuisse destitutum, ex his quæ totam ipsam perfectè absoluunt. Neque enim illis fides habenda est (tametsi graues sint autores) qui asserunt Asclepiadem, chirurgicam tantum medicinæ partem calluisse: sumpta quidem inde occasione, quòd Poëta, in chirurgicis tantum rebus Machaona commendauerit: non aduertentes quòd in nauium catalogo, tum Podalirium, tum etiam Machaona, insignium, egregiorumq́ue medicorum nomine celebrauerit.*

Podalirius, & Machaon medici peritißimi.

Τῶν αὖθ' ἡγείσθην Ἀσκληπιοῦ δύο παῖδε
ἰητῆρ' ἀγαθὼ, Ποδαλείριος ἠδὲ Μαχάων. *id est,*
His ductores erant, quos seuit Apolline natus.

Insignes medici Podalirius atque Machaon.

Hos itaque sequutus Hippocrates, dogmaticam, rationalémque medicinam, nobis reliquit; ea quæ continuo medendi vsu, iugíque exercitatione, experiebatur, in memoriam sibi reponens: quorum rationes per ocium diligenter perscrutatus, alibi reserabat. Nam quæ experiebatur in ægrotis, ex anni constitutionibus, maxima ex parte, ea in his vulgarium morborum libris reponebat: eorum verò rationem, in libro de aëre, aqua, & locis. Non immeritò igitur, plurimas aphorismorum sententias, ex his libris translatas videbis; alias ab experimentis, quæ sæpe in ægrotis videbat, decerptas. Cuius rei, si exempla tibi proposuero, certior fies: neque his, quæ dicta hactenus sunt inficias ire poteris. Siquidem in hoc Epidemiorum secundo, sectione tertia, Hippocratis talem sententiam audies. τῇσι χρονίῃσι λειεντερίῃσι ὀξυρεγμίη γινομένη πρόσθεν μηδ᾽ ἐοῦσα, γινομένη σημεῖον χρηστὸν, οἷον Δημαινέτῃ ἐγένετο. *id est. In diuturnis intestinorum leuitatibus, acida eructatio, quæ prius non extiterit, optimum signum est; quemadmodum Demænetæ contigit. Vides quomodo statim experimentum afferat? Quòd nimirum tale quicpiam Demænetæ, ac alijs accidisse animaduertisset: indeq; sanitatem subsecutam. Cæterum sermonis, quod superest audiamus, videbisque ratione, ac iudicio nonnulla ex his, quæ vidit, collegisse: Sermonis autem series sic habet:* ἴσως δὲ δεῖ καὶ τεχνάζεσθαι, καὶ γὰρ αἱ ταραχαὶ αἱ τοιαῦται ἀλλοιοῦσιν, ἴσως δὲ αἱ ὀξυρεγμίαι λειεντερίην λύουσιν. *Forte autem id artificiose moliri non fuerit ab re, quandoquidem similes perturbationes, corporis statum mutant. Forsitan igitur, acidi ructus intestinorum soluent leuores. Mirum profectò, meritóque laudandum, Hippocratis compendium, quando breui orationis circuitu, longissimam, amplissimamque nobis sententiarum copiam proponat. Vis siquidem orationis, hæc est: Cùm ex intestinorum leuitatibus, ad acidas peruentum est eructationes, corporis status mutatur. Atqui corporis status mutatio ad sanitatem necessaria est: acidæ igitur eructationes intestinorum demolientur leuitates. Quòd autem sanitatem nemo vllus consequi posit, quin status corporis mutetur, id vel tyrones medicinæ nouerunt. Omnis nanque curatio contrario semper efficitur. Si igitur quis ex morbo in sanitatem redigatur, in contrarium statum deueniat oportet. Omitto autem nunc, quomodo eructationes acidæ, corporis statum mutent, nam cùm de his agere datum fuerit, latius explicabo. Impræsentiarum verò, hæc eatenus dicta sufficiant, quatenus demonstrant Hippocratem, in his libris potissimum ea scripsisse, quæ experimento cognouerat; quorum rationem alibi suggerit, cùm scilicet se offert occasio: raro verò in his ipsis vulgarium morborum libris: quòd nimirum esset præter institutum. Proferamus itaq; in medium, orationem aliam,*

Plurimæ aphorismorum sententiæ ex his commentarijs translatæ sunt.

Status corporis mutatio ad sanitatem necessaria est.

Hippocrates in his libris potissimum quæ ipse experiebatur in ægrotis scribebat.

quam libro popularium morborum quarto scripsit: quæ non minus nostrum confirmat propositum, atque susceptum stabilit concilium. Nam, quæ in hoc secundo libro plurimæ scribuntur, sensim progredientibus nobis sese offerent. Sermonis igitur series hæc est. Τῷ παιδίῳ τῷ φαγεδαινώδει, ὀδόντες οἱ ὑποκάτω, καὶ τῶν ἄνω καὶ τῶν κάτω οἱ ἐμπρόσθιοι ἀπέπεσον, ἔγκοιλον εἶχον. *id est. Puero phagedænoso infimi dentes, ac è supernis, ac infernis anteriores deciderunt: cauitatemque habebant. Qua parte nobis simplex experimentum proponit: ac pueri phagedænis scatentis, nudam historiam: ex quo, quod ratione collegit, statim pronunciat: tale autem quicpiam est. Quibus os à palato discedit, his medius nasus subsidet: quibus verò vnde supremi pendent dentes, his nasi summitas in latitudinem degenerat, planaque efficitur. Ex quibus clanculum nobis ostēdere Hippocrates videtur, talem fuisse in eo puero phagedænoso nasi ipsius formam. Hanc itaque sententiam, sexto etiam libro scripsisse videtur: quam Leonardus Fuchsius (eius tamen pace dixerim) mea sententia, non est assequutus: cùm in ea transferat parte. Quibuscunque os de palato discessit, ijs medius nasus subsidet: talibus vero summitas ea, vnde procedunt dentes, sima fit. Hippocratis vero series hæc est.* ὁκόσοισιν ἐκ τῆς ὑπερῴης ἀπῆλθε, τουτέοισι μέση ἵζει ἡ ῥίς, οἷσιν δὲ ἄνωθεν οἱ ὀδόντες, ἄκρη σιμοῦται. *Quis enim non videat dictionem illam,* δὲ, *discrimen notare, neque de eisdem intelligendam esse, vtranque orationis partem? Præsertim cùm in hac sermonis serie, quam quarto libro scripsit, diuisionem conspicuè moliatur.* ὧν μὲν ἐκ τῆς ὑπερῴης ἀπέρχεται, μέση ἵζει ἡ ῥίς, ὧν δὲ οἱ ἄνω ὀδόντες οἱ ἔμπροσθεν πλατεῖα ἄκρη. *At vero Galenus, dum hanc sententiam, sexto vulgarium morborum libro interpretaretur, non videtur sanè rem hanc intactam reliquisse: sed miro quodam dicendi compendio, ipsam totam accuratissimè enucleasse: cùm dicat. Septum narium, quod duas insignes nasi cauitates distiungit: ab extrema frontis sede, ad summos vsque dentium, quos* τομεῖς, *id est, sectores, nominamus, radices, deorsum ferri: mediaque sui parte, alio cuidam tenui ossiculo inniti: qua in parte maximè palati regio consistit. Quatenus ergo aut mediũ ipsius fulcrum, quod in palato est: aut extremum sanè, quod in dentium radicibus obfirmatur, perierit: necessum est, aut mediam nasi partem, aut extremam potius considere. Quòd si Galeni ipsius verba iuuat audire, nulla sanè est mora, quin habeantur in promptu.* τὸ διάφραγμα τὸ ὀστοῦν τοὺς δύο πόρους τῆς ῥινός, ἐστήρικται κατ' ἄλλου τινὸς ὀστοῦ λεπτοῦ, τὴν μὲν ἀρχὴν ἔχοντος ἄνωθεν ἐκ τοῦ σφηνοειδοῦς, τελευτῶντος δὲ ἐπὶ τὸ πέρας τῆς μεσοφρύου ῥινός, ἔνθα τὰ πτερύγια. κατὰ τοῦτο μὲν οὖν τὸ μέρος, ἐπίκειται τὸ διάφραγμα τῆς ῥινός, ἐκείνοις τοῖς χωρίοις εἰς ἃ τὰ πέρατα τῶν τομέων ὀδόντων ἀνήκει. τὸ δ' ἀνωτέρω τούτων, ὑπερῷα μὲν ὀνομάζεται, στήρικται δ' ἐπ' αὐτῆς τὸ μέσον τοῦ διαφράγματος τῆς ῥινός. ἔνθα καὶ οὖν

Leonardi Fuchsii error.

Septũ narium quorũ ossium fulciatur adminiculo.

ἀπόλλυται

ἀπόλλυται ἢ τῶν ἐρειζόντων ὀστῶν, καταπίπτον γὰρ ταῦθα τὸ διάφραγμα κοίλην ἐργάζεται κατ' ἐκεῖνο τὸ μέρος τὴν ῥῖνα, καὶ καλεῖται ταύτης τὸ σύμπτωμα σιμότης. id est. Quod inter duos nasi meatus septi vices præstat ossiculum, alteri cuipiam tenui ossi obfirmatur; quod originem ex supernis partibus ducit, ab osse cunei formam referente: tandemque desinit, in eum nasi terminum, qui media superciliorum parte eminet, vnde iam τὰ πτερύγια, id est, alæ, oriri incipiũt. Secundum hanc igitur partem incũbit nasi septum, illis locis, ad quæ dentiũ, quos sectores vocant, extrema pertingunt. Quod autem his partibus superius est, palatum nuncupatur: cui sanè media pars septi narium est obfirmata. Vndecunq; igitur perierit quodpiam suffulcientium ossium, eo profectò in loco est necessum, considente deorsum septo, cauam fieri nasi partem. Quod sanè symptoma appellatur simitas. Quòd si rationi animum adhibeas, conspicuè videbis, non esse rationi consentaneum, vt quibus de palato os discessit, nisi & illud, quod dentium præsepia continet, sit deturbatum, nasi summitatem in latitudinem degenerare. Plurimos nanq; vidimus, ex his præsertim, qui lue illa (quam Gallicam vocant) sunt confecti, quibus os palati cauatũ supra modum erat; mediaque parte nares subsiderunt. Atque his nasi summitas (quoniam dentes non excidissent) suam seruabat formam. Adde quòd nos, os ipsum derosum viderimus, ne quis dicat: in his, quòd malum celeriter membranarum, cartilaginumque vniuersum genus depascatur, talem nasi figuram vt plurimum videri; quomodo & in elephanticis fit, qui leoninam feritatem repræsentant. Cæterum, ita me dij ament, non contentioso animo aduersus Leonardum (quem ipse pluris facio, quàm vt breui oratione demonstrare valeam) id à me prolatũ est. Cuius viri opinio, tanti apud me momenti existit, vt hominẽ admirari magis subeat, quàm vel mordere, vel in eum insurgere. Sed, vt Hippocratis sententia suum adipiscatur candorem, ne labes factata tanto viro dedecus pariat, quid non studiosus quisque audere debet? Enimuerò veritatis studium (siquid aliud) medico est maximè necessarium. Propterea, ipse tantus perpetuò veritatis fui amator, quantus fortè rarissimus aliquis. Ad institutum itaque rediens, plurima, quæ memoria tenere oportebit, tum ad interpretationem huius libri facientia, tum etiam, ad eliciendam mentem Hippocratis, ex alijs vulgarium morborum libris, impræsentiarum per capita perstringam. Nihil quidem moratus, an liber hic ad Hippocratem autorem referatur, an potius ad filium ipsius Thessalum: quippe quòd inter omnes, tam veteres, quàm neotericos (vt ex Galeni libris expromere fuerit facilè) conueniat; vel Hippocratẽ Heraclidæ filium eum scripsisse, non tamen accurato studio omnia in ordinem redegisse, quòd nimirũ nõ in hoc vt Græcis ederetur, ipsum scripserit; sed duntaxat vt sibi

Nasi simitas nunquam planareddítur, nisi ossa, quibus dentes summi hærent, exciderint.

Lues Gallica cartilaginũ & membranarum substantiã maxime depascitur.

Non refert siue ad Hippocratẽ, siue ad Thessalum ipsius filiũ, liber hic, referatur.

sibi eorum, quæ viderat fidelem suggereret memoriam. Qualia nos sæpissime in vsus proprios scripta confingimus; vt quæ aliquando didiscimus, si semel memoria exciderint, literis mandata, cùm vsus postulauerit, rursus reuocari possint. Cuius sanè generis tum quartus, tum sextus vulgarium morborum libri esse videntur, de quo priuatim Galenus ita scripsisse videtur. φαίνεται γὰρ ἤδη σαφῶς ὑπομνήματι μᾶλλον ἢ συγγράμματι τὸ προκείμενον ἐοικέναι βιβλίον, ἑαυτῷ τινα γράφοντος εἰς ἀνάμνησιν τοῦ Ἱπποκράτους, ὡς ἕκαστον ἔτυχεν ἤτοι θεασάμενος ἢ διὰ λογικῆς σκέψεως εὑρών. οὐδὲν γὰρ οὐδ᾽ ἐγγὺς οἰκεῖον ἐστὶ τῇ πρώτῃ ῥήσει πρὸς τὴν δευτέραν, καθάπερ οὐδὲ τῇ τρίτῃ πάλιν πρὸς ταύτας. *id est. Apparet enim iam apertè, priuato potius volumini, quàm cõmentario propositum hunc librum esse similem, tanquam quædam scriberet sibi in memoriam Hippocrates, ita sanè vt contingebat vnumquodq;, aut contemplari, aut rationis indagine inuenire. Nullum enim neq; eorũ quæ proximè iacẽt, familiari consecutionis serie alteri coniunctum est: vt prima sententia secundæ, aut tertia his quæ sequuntur. Aut filium ipsius Thessalum nõ quæ pater in librũ redegerit, sed quæ sparsim seminauerit, in tabellis, aut pellibus, in vnũ collegisse; ne patris præcepta, vtpote quæ frugi mortalibus futura erant, incuria omissa perirent. Quòd & Galenus procemio sexti de morbis vulgaribus libri etiam tetigisse videtur, in hunc modum scribens,* τὸ δ᾽ ἑξῆς τοῦτο, καὶ πρὸ αὐτοῦ τὸ δεύτερον, ἐξ ὧν αὐτὸς Ἱπποκράτης ἑαυτῷ παρεσκευάσατο, φασὶν ὑπὸ Θεσσαλοῦ τοῦ υἱέος αὐτοῦ συντεθεῖναι. καὶ τινὲς μὲν ἡγοῦνται καὶ αὐτόν τι παραγράψαι τὸν Θεσσαλόν, τινὲς δὲ ἄλλους τῶν μετ᾽ αὐτόν. *id est. Sextus autem hic liber, atq; ante ipsum secundus, ex his esse, quos sibi priuatim parasset Hippocrates: quos deinde à Thessalo ipsius filio aiunt fuisse compositos; atq; illum nonnulla de suo adiecisse, quorundam est opinio, quanquam & alij, qui ipsum secuti sunt idipsum fecisse affirment. Hactenus quidẽ Galenus: neq; nos dubitamus nonnulla his libris aliũde temerè irrepsisse; potissimũ ad calcẽ operis totius; quod sanè nos digito sumus monstraturi. Interim tamen parũ referre arbitramur, vtrum eorũ libri autorem constituas; quando apud Galenũ tanta de Thessalo opinio erat, vt nusquam patris dogmata labefactasse affirmet. Quod nos Galeni testimonio planum faciemus: quo sibi studiosi persuadeant librum hunc manu nocturna diurnaque esse versandum, quòd plurima contineat, quæ non ad morborũ curationem modo, sed ad exactam etiam prædictionem, necnon & ad naturæ ipsius cognitionẽ, maximo omnibus futura sunt emolumẽto. Scripsit ergo Galenus in præfatione libri de natura humana,* τινὲς δὲ Πολύβου τοῦ μαθητοῦ τε ἅμα καὶ διαδεξαμένου τὴν τῶν νέων διδασκαλίαν, ὃς οὐδὲν ὅλως φαίνεται μετακινήσας τῶν Ἱπποκράτους δογμάτων ἐν οὐδενὶ τῶν ἑαυτοῦ βιβλίων, ὥσπερ οὐδὲ Θεσσαλὸς ὁ αὐτοῦ υἱός, θαυμάσιος μὲν ἀνὴρ καὶ οὗτος γενόμενος, ἀλλ᾽ οὐ καταμείνας

Huiusmodi libri commentariorũ priuatorum referunt speciem.

Nonnulla spuria aliũde huc aduocata sunt, potissimum ad calcem libri.

Thessali commendatio.

 ἐν τῇ

ἐν τῇ πατρίδι καθάπερ ὁ Πόλυβος, Ἀρχελάῳ γὰρ τῷ μακεδονίας βασιλεῖ συνεγένετο. id est. *Quidam autẽ Polybi esse autumãt, eius tum discipuli, tum medicæ academiæ successoris: qui ne vllum quidem penitus videtur Hippocratis dogma in quopiam suorũ librorũ perturbasse. Quemadmodum neq; Thessalus, eiusdẽ filius, qui & ipse vir extitit admirabilis: sed non degebat in patria quemadmodum Polybus, apud Archeloum enim Macedoniæ Regem manebat. Hæc est sanè Galeni de Thessalo nõ vulgaris commendatio; quæ & in huius libri encomia nõ minus quidem cedere videtur. Quapropter hæc lubẽs prætereo, accingorq; ad ea, quæ vsui futura sunt, ac nõ parum ad Hippocratis mentem capessendam conducunt. Principio itaq; morborum in vniuersum duplex est generatio; partim siquidem à victus ratione, partim verò ab aëre, quem inspirando attrahimus, originẽ ducunt. Cùm itaq; morbus aliquis populariter grassatur, sic vt omnes ex æquo inuadat, tam viros, quàm fœminas, tam pueros, quàm senes, tam vinosos, quàm abstemios, tam mala victus ratione vtentes, quàm proba; meritò is morbus, generationis suæ originem, communissimam quandam causam habebit: neq; aliam maxima ex parte, quàm aëris inspiratione attracti contagiũ. Quàm ideo retulit Hippocrates in libro de natura humana, quoniam omniũ sit vulgatissima. Nam quòd aliquando ex victu is morbus contingat, non vtiq; negasset; veluti cùm annonæ caritas adeò premit, vt non nisi cibi vnius, eiusq; vitiosi suppetat copia, quemadmodum ipsemet in quarta huius libri sectione scripsit:* ἐν Αἴνῳ ἐν λιμῷ ὀσπριοφαγέοντες θήλεαι, ἄρσενες, σκελέων ἀκρατέες ἐγένοντο. Ἀτὰρ καὶ ὀροβοφαγέοντες γονυαλγέες. *id est. In Æno per famem assiduo leguminum esu tam viri, quàm fœminæ, cruribus nõ constabãt. At verò qui & eruũ ingessissent, genua doluerunt. Quis enim hæc ex vulgarium fuisse morborum genere negabit? Nemo profectò; quandoquidem is morbus passim in Æno grassaretur, temereq; tam viros, quàm fœminas raperet. Quin etiam & ex aquæ infectæ haustu, pestilentiã esse vulgatam referunt historiæ. Necnon & Valentiæ ex tritici, quod iam semiputre esset, esu, non adeò pridẽ pestilentiã inualuisse vidimus: quæ nõ prius extingueretur, q̃ bonam ciuitatis partem abstulerit. Hæc itaq; omnia vulgariũ morborũ causas esse, nemo potest inficiari. Cæterũ, quoniam maiori ex parte, ex aëris cõtagio labes cõtrahatur, ad cœlũ eius retulit Hippocrates originẽ. Iubens quidem vt si quid diuinũ in morbis videatur, eius medicus edificat prouidentiã. Neq; enim diuinũ, aliud quicpiam vocauit, q̃ aëris nos ambientis conditionẽ. Nam quod temporũ anni temperatura (vt hyemis quidẽ, quam frigidam, & humidam pronuntiant, & æstatis, quam calidam & siccam esse dicũt) nihil aliud quàm aëris eo tẽpore nos ambientis qualitas sit existimanda, manifestum ita est, vt nullus ambigat. Igitur si morbus idem aliquo*

Polybus Hippocratis discipulus, & successor academiæ.

Duplex in vniuersum morborũ generatio.

Quinam morbi ad aëris contagiũ referantur.

Vulgares morbi interdũ ex prauo nutrimẽto contingunt.

Pestilens constitutio Valentiã inuasit, ex semiputridi tritici esu.

Temporũ anni tẽperaturæ ad aërem spectãt ambientem.

aliquo tempore plurimos corripiat, & vulgarem esse, necesse est, & ab aëris temperamento generari, sæpissimè contingit. Quòd si cum hoc quod pluribus communis est, aliud etiam habeat, vt plurimos interimat, iam hic morbus pestis nominabitur. Itaque errare passim medicorũ vulgus manifestum est, qui epidemiam cum peste confundũt: cùm locum generis epidemia ad pestem obtineat. Vulgaris igitur morbus Græcis ἐπιδήμιος καὶ ἐπίδημος nominatur, pestis verò λοιμός, quæ epidemia perniciosa Galeno vocata est, in libro de morborum acutorum victus ratione, ac alijs in locis. Verum si morbus is vulgaris id quidem habeat, vt in aliqua priuatim regione sæpissime multos apprehendat, is morbus patrius, vernaculusq́; ac indigetus nominabitur, Græcè ἐνδήμιος, quod ἐπιχώριον significat: de quo Hippocrates in lib. de aëre, aqua & locis egit, de peste verò in his etiam epidemiarũ libris. At verò de reliquis quos nunc exponemus, vulgaribus e regione oppositis, in libro de acutorũ morborum victu abũdè scripsit: hos autẽ σποράδας, hoc est, dispersos nominauit: qui plurimũ ex eorũ sunt genere, qui ex victu consistunt: quales planè fuerãt hi, quos Galenus initio libri de boni ac mali succi cibis retulit; pluribus gentibus Romanorũ imperio subditis accidisse; nimirũ cùm publica famès multis annis continuata mortales oppressisset. Nec mirũ profectò erat, si cùm vnusquisq́; his quorum copia dabatur, sine delectu se ingurgitasset, aut leguminibus, aut arborũ surculis, aut noxijs bulborũ radicibus, ægrotantes tum morbis, tum symptomatibus cõtrarijs corriperẽtur, præsertim cùm omniũ naturæ ac temperaturæ non eædem inuicem fuerint, sed maximo, vt par est, interuallo disiunctæ. Porrò cùm iam nominũ quibus Hippocrates vtatur vires tradiderimus, reliquũ quidem est, vt temporum seriem ac mutuũ ordinem, temperamentaq́; ostendamus; vt ea quæ ab ipso scripta sunt, facilius assequi possis. Qua in parte neq; illud latere te velim, partium anni rationem exactam medico esse maximè necessariam. Præterea syderum ortus, atque occasus, in mutanda aëris nos ambientis conditione, non exiguum habere momentum. Quò fit, vt cùm partiũ anni vicissitudo, in aëris nos ambientis natura, ac qualitate sit posita, non possit Medicus citra astrorum peritiam, quod sua intersit exequi. Atque hæc quidem diximus, quo nebulonum quorundam obsisteremus errori: qui nõ priuatim solum, sed publicè etiam profiteri nõ verentur, Astronomiam ipsam vanam quidem esse scientiam, nec quicpiam cum medicina habere cõmune. Quorum sanè temeritati coarguendæ, nisi viderem idoneam esse Hippocratis in multis locis, potissimum verò in libris de aëre, aqua & regionibus, huius commendationem, non recusarem multis rationibus idipsum demonstrare. Scripsit autem hunc in modum: δεῖ δὲ καὶ τῶν ἄστρων τὰς ἐπιτολὰς φυλάσσεσθαι καὶ μάλιστα τοῦ κυνός, ἔπειτα ἀρκτούρου, καὶ τὰς πλειάδων δύσεις, τότε

ἐπιδημία καὶ λοιμός, id est, epidemia, & pestis, quo differant.

ἐνδήμιος νόσος id est, endemius morbus quinam sit.

σποράδας, id est dispersi.

Partium anni ratio maxime necessaria cognitu medicis est.

Astronomiam calumniantes medici taxantur.

γὰρ νουσήματα ἐν ταύτῃσι τῇσιν ἡμέρῃσιν κρίνεται, καὶ τὰ μὲν ἀποφθίνει, τὰ δὲ λήγει, τὰ δ' ἄλλα πάντα, μεθίσταται ἐς ἕτερον εἶδος, καὶ ἑτέρην κατάστασιν. *id est. Opus est autem & ortus syderum obseruare, & maximè Canis, postmodum Arcturi & Vergiliarum occasum. Nam morbi his diebus maximè iudicantur: atque hi quidem perdunt; illi verò discedunt; alij verò omnes mutantur in aliam speciem, & aliam constitutionem. Vides obsecro quam ex animo moneat Hippocrates huic negocio esse incumbendum? Si enim alicunde, ex hac maximè parte ad certas prædictiones sumet Medicus firma indicia; ac poterit futuro statui præ cautione mederi: Medicum enim vti prouidentia (vt in prognostico dicebat) optimũ mehercule est. Propterea in initio libri citati dicebat:* εἰδὼς γὰρ τῶν ὡρέων τὰς μεταβολὰς, καὶ τῶν ἄστρων ἐπιτολάς τε καὶ δύσιας, καθότι ἕκαστον τουτέων γίγνεται, προειδείη ἂν τὸ ἔτος, ὁκοῖόν τι μέλλει γίγνεσθαι. οὕτως ἄν τις διαφροντίζων καὶ προγινώσκων τοὺς καιροὺς, μάλιστ' ἂν εἰδείη περὶ ἑκάστου, καὶ τὰ πλεῖστα τυγχάνοι τῆς ὑγιείης, καὶ κατ' ὀρθὸν φέροιτο οὐκ ἐλάχιστα ἐν τῇ τέχνῃ. εἰ δὲ δοκέει τις ταῦτα μετεωρολόγα εἶναι, εἰ μεταστείη τῆς γνώμης, μάθοι ἂν ὅτι οὐκ ἐλάχιστον μέρος συμβάλλεται ἀστρονομίη ἐς ἰητρικὴν, ἀλλὰ πάνυ πλεῖστον. *id est, Sciens enim temporum mutationes, syderumque ortus, ac eorundem occasus, quemadmodum horum vnumquodq; contingat; prænoscet vtiq; qualis'nam annus sit futurus. Hoc nanq; modo si quis rimatus fuerit, ac præcognouerit temporum occasiones, certius planè vniuscuiusque naturam assequetur: & maxima ex parte consequetur sanitatem, ac artis opera recto tramite diriget. Quòd si cui hæc sublimiora videantur, si hanc deponat sententiam, cognoscet apertè, non minimum conferre Astronomiam ad rem medicam, sed admodum multũ. Quod si adhæc Galeni sententiam audire cupis, decerpenda sanè erit, ex primo vulgarium morborum commẽtario: in quo hunc in modum scribitur:* ὅστις γὰρ ἀστρονομίας ἀπείρως ἔχει, μάλιστα μὲν ἴστω μὴ πειθόμενος τοῦ Ἱπποκράτους, προτρέποντος πρὸς αὐτὴν ἕνεκα τῶν εἰρημένων χρήσεως. *id est. Quicunque igitur Astronomiæ fuerit ignarus, hic maximè scire debet, se non parere Hippocrati, ad ipsam ob prædictorum vsum exhortanti. Qua quidem Galeni sententia, medius fidius erubescere quiuis huius scientiæ ignarus deberet; ac sedulò se ad comparandam tam vtilem cognitionem accingere: idoneis vndecunque quæsitis præceptoribus. Sed omnis iam depositus est pudor; viget auaritia, quæ bonarum omniũ disciplinarum maximum contemptum parit. Nemo sanè vllus alteri cupiam rei studet, quàm, vt possit, populi auram captando, ipsi placere multitudini. Id vnum quærit, huic rei vacat, nihil moratur qualiter sibi conscius sit, dum possit alicunde largam pecuniæ copiam exhaurire. Hinc est, quòd nõ pudeat suam profiteri inscitiam, atque id quod in maximum dedecus alioqui cessurum esse videbatur, praua hominum consuetudine in laudem potius conuertatur.*

Quæ sydera maxime medicus cognouisse debet.

Medicus astronomiæ ignarus non est sectator Hippocratis.

Nostra ætate omnia iam in deterius mutata sunt.

tatur. Sed egregiam planè laudem audio in quorundam commendationem prædicari, quod non amplius iam medicorum libros euoluant, sed omnia quæ ad rem medicam pertinere videntur, longa experientia cõperta habeant. Iuge enim (aiunt) studium, assiduaque in libris versatio illorum potissimum esse debet, qui nuper sunt rei medicæ initiati. Quod tametsi verum esse fateamur, non tamẽ propterea desinit esse ridiculum, credere eo eruditionis quenquam peruenisse, vt non esset ei antiquorum commentarijs euoluendis incumbendum. Quo enim quisque doctior extiterit, eo sanè magis classicorum virorum monumenta nocturna diurnaque manu excutere debet. Maximi nanq; interest: tum ad firmandam eorum quæ didicimus memoriam, tum etiam ad noua denuo capescenda. Sed ineptum id hominum genus relinquamus, nos enim cum poëta;

Nemo vsque adeò doctus q̃ nõ egeat continua librorũ lectione.

Haud frustra signorum obitus speculamur, & ortus
Temporibusque parem diuersis quatuor annum.

Quare in eorum gratiam, qui voluerint aliquid laboris in hac re, non minus necessaria cognitu, quàm exercitatione iucũda, impendere, nos ipsam quòad fieri poterit, apertissime explicabimus: sumpto quidem inde initio. Maximam esse pro climatum, ac parallelorum ratione, ortus atq; occasus, signorum varietatem. Huncque esse carcerem sciendum est, vnde promoueat ingens inter autores classicos controuersia: alijs alia de ortu, occasuque syderum sentientibus. Neque verum illud est, quod Seruius in Georgicorum commentationibus reliquit scriptum: Astrologorũ dissentionem de hac re vltra septem dies non procedere, propterea quòd totidem etiam sint climata. Nam si obiter de hac re periculum facere volueris, insigne illud sydus, quem Arcturum nominant in hoc nostro quarto climate, quod διὰ ῥόδου inscribitur, duodecimo calen. Octobres mane cum sole exurgit: in septimo verò climate, quod διὰ Βορυσθένους nuncupatur, pridie idus Septembres; vt iam inter quartum & septimum clima, nouem sit dierũ interuallum, multò sanè maius futurum, in primo, aut secundo versus Æquatorem. Cæterum in hoc negocio non solum qua die vnumquodq; sidus cum sole oriatur, aut occidat cognouisse fuerit satis. Nam etsi huiusmodi supputationem accurata inuentam diligentia, pro tuæ regionis ratione, ad omnia extensam sidera, posteritati mandare volueris, non est profectò caritura tandem fraude & impostura. Cùm quod antea dicebamus Arcturi sidus apud nos in Valentino tractu, aut circum vicinis locis, duodecimo calen. Octobres oriri mane cum sole, idipsum sanè Ptholemei temporibus tertio aut pridie calendas Septembres assurgebat. hac ipsa in regione: consimilemque vicissitudinem imposterum semper passurum est. Atq; hinc est, quòd imperita multitudo, quod astrorum siderumq; naturæ, referre

Quid faciat adeo dißimiles esse autores in ortu & casu; siderũ finiendo.

Seruius taxatur.

Quando mane cũ sole surgat Arcturus in nostro climate.

Quare tēpora neq; principia sua neq; fines seruent citra degenerationem.

acceptum alioqui debebat, id dicat degenerante iam, effœtáque natura maximè fieri: vt tempora nec origines, nec fines suos seruare animaduertantur: sed à pristina sua natura maximas subiuisse videantur mutationes. Cuius tamen rei causa est, quòd nō paruam fecisse nutationē deprehendatur, octaua ipsa cui affixa sunt astra sphæra, à magni Ptholemei temporibus, ad hæc nostra

Maximam fecisse mutationem depræhēdimus octauā sphæram.

tempora. Quam sanè iam Ptholemeus ipse deprehēderat, ab Hipparchi temporibus, ad Antonini imperiū, centum annis luxata ferè vna trigesima signi parte euenisse. Primum igitur quantū nostris temporibus astrifera illa sphæra senserit mutationis, diligēter explanandum est; Quod tametsi viri aliquot ante nos percelebres, vt Regiomontanus Mathematicorum omnium decus & ornamentū eximiū, Iacobus Zeiglerus Laudanus, Gemma etiam Phrysius, ac Ruellius Suessionensis, accurata diligētia sint persecuti, quoniā ipsorum monumenta non ad manum cuiuis sunt, maximum sanè operæprecium me facturum sum arbitratus, si quod longa animaduersione obseruatū à me

Luxatio astriferi globi viginti fere partium est.

sedulò est, scriptis mādaretur. Summa ergo totius huius considerationis hæc est, viginti ferè gradibus plus minus stellas, ac sydera principia animaliū signiferi reliquisse: eorū scilicet animaliū, quæ Astrologi tanquam immobilia quædā firmaq; puncta, quo ipsorū supputatio methodo quadam procederet (quanquam ne id quidem assequi omnino potuerūt) supremo in cœlo finxere. Sed quoniā τὰ παραδείγματα σαφεστέραν ποιεῖται τὴν τέχνην, exemplo multò res fiet apertior. Percurramus igitur insigniora cœli totius astra, potissimū primæ ac secundæ, & aliquot tertiæ magnitudinis, sumpto ab Ariete initio; in quo cùm nulla sit insignior stella, duabus illis, quæ cornui ipsius dextro affiguntur, ac

In cornu arietis insignes stellæ quā mutationē passæ sint.

ea quæ supra caput est, quam Hipparchus in collo dicit esse sitam, eas potissimu nossumus examinaturi. Duarū ergo quæ in dextro cornu sunt, alteram quidē occidentaliorē Ptholemeus in sexto Arietis gradu supremi orbis sitam animadueterat; reliquam verò in septimo; nūc verò ad vigesimū septimū eiusdem Arietis gradum prior, posterior verò ad vigesimū octauū se contulerūt. Quare cùm tertio nonas Octobris in sexto Arietis gradu, anno 1549 luna firmata notaretur, conspecta est à nobis plusquam duodecim gradibus ab his stellis dissita, quæ cornu Arietis constituūt. Ipsa quidem versus occasum posita, stellis verò ad ortum vergentibus; cùm tamen reliqua Arietis pars multò magis ad ortum spectaret. Scies enim oriri Arietem pronum, capite refle-

Iudicia astrologorū quare sint fallacia.

xo ad ortum. Quo fit, vt cùm maxima Astrologorum pars hæc ignoret, non possint ipsorum iudicia certum aliquem sortiri euentum, vt dicere audeam, omnia astrologica pessum itura, nisi hæc fuerint diligentius animaduersa. Non prius enim Arietis sydera suos ad hæc inferiora transmittent influxus priusquam vigesimam septimam Arietis in supremo orbe immobiliter iacentis par

tis partem sol ipse, aut luna percurrat, aut aliquis alius ex septem planetis. Iam verò, quæ supra caput est stella cõspicua, in decimo Arietis gradu, est à Ptholemeo adnotata: cùm iam ad primum tauri gradum suum fecerit transitum. Deinde, quæ in Tauro Vergiliæ nominantur, à secunda in tertiam vsq; Tauri partem Ptholemei tempore sitæ iacebant: his verò temporibus, vsque ad vigesimam secundam & tertiam peruenerunt. Yades verò (quæ succulæ Latinis dicuntur) in Tauri facie sitæ, cùm nunc à trigesima parte Tauri ad secundam vsque Geminorum habeantur, Ptholemei ætate inter nonum & duodecimum Tauri gradum residebant. Præterea fulgentia duo Geminorum astra, præcedens quidem, hoc est, quod versus occidentem solem magis est positum, in vigesimo tertio Geminorum gradu à Ptholemeo est obseruatum: sequens verò in vigesimosexto eiusdem animalis: hoc verò tempore præcedens ipsorum in decimum tertium Cancri mutatum est: sequens verò in decimum sextũ. Porrò in Cancro duo sydera, in dorso sita, quæ vocantur Aselli, Ptholemei ætate in decimo tertio gradu borealius, australius verò in vndecimo eiusdem Cancri posita iacebant: quorum primum iam se contulit in Leonis secundum gradum: alterum verò in vigesimo octauo Cancri gradu adhuc manet. Porrò Leonis stellæ tres quidẽ quæ in collo sunt à primo gradu Leonis in secundum vsque tendebant Ptholemei tempore, nunc verò à vigesimo in vigesimum secundum. Regia autem βασιλίσκος nuncupata, quæ cor Leonis constituit: in secundo Leonis gradu est ab ipso deprehensa; quæ à nobis in vigesimo tertio sita obseruatur. Eodem planè modo & cauda, & ipsa etiã insigne astrum, in vigesima quarta leonis parte habebatur, nunc verò in decima quarta Virginis parte. Iam verò, quæ in Virginis spica refulget, à vigesimo septimo Virginis gradu ad decimũ octauum Libræ, transitum fecisse conspicitur. Similiter duæ, quæ sunt in Libra fulgentes à decima octaua, & vigesima secunda Libræ partibus, ad octauam & duodecimam Scorpij se receperunt. Perinde etiam in Scorpio stella in corde fulgentissima ex decimo tertio Scorpij gradu in tertium Sagittarij nutata est. Necnon & Sagittarij sydera consimilem mutationem experta esse deprehenduntur. Nam quæ in anteriori sinistro talo, & quæ in genu eiusdem pedis est, omnium maxime conspicuæ; à decimo septimo Sagittarij gradu ad septimum Capricorni recesserunt. Quin & Capricorni sydera, præter ea, quæ sunt in capite & cornibus omnia se in Aquarium transtulerunt: vt quæ apud caudam cernuntur, ad vigesimũ iam Aquarij gradũ pertingant. Præterea, quæ sunt in dextra Aquarij manu tres conspicuæ ad primum, secundum & tertium piscium gradum translatæ sunt; quæ autẽ in linteolo, & manu sinistra ex quartodecimo, decimo sexto & decimo septimo Capricorni gradibus, ad quartũ, sextum, &

Vergiliæ in quam zodiaci partem translatæ sint.

Yades.

Astra gemellorũ maxillis insidentia.

Aselli.

Stellæ in collo leonis sitæ.

Regia βασιλίσκος nũcupata.

Cauda Leonis.

Spica virginis

Libræ astra.

Cor Scorpij.

Sagittarij sydera.

Capricorni sydera.

Stellæ aquarij.

*septimum Aquarij mutatæ sunt. Nec minus ea, quæ in humero sinistro omni-
bus magis refulget, proximè ad vigesimum Aquarij gradum peruenisse vide-*
Piscium astra. *tur. Denique Piscium anterior, ex Aquario in vndecimum Piscium gradum
mutatus est: quòd attinet ad stellam, quæ in eius ore est: quantũ verò ad eam
quæ in cauda depingitur, ad vigesimum sextum. Posterior verò Piscis totus,
inter decimum sextum, & vigesimum tertiũ Arietis gradum collocatus esse
cernitur. Atq; hæc sunt, quæ de zodiaci circuli luxatione nobis scripsisse ope-
ræprecium est visum. Iam igitur borealia sydera percurramus. Minor Vrsa*
Minor vrsa. *septem stellis micat: quæ Ptolemei tempore in Geminis & Cancro residebãt:
nunc verò extremæ duæ, quæ apud caudam sunt, in Geminis, tres verò se-
quentes in Cancro, postremæ duæ in Leone diuersantur. Præterea, Draconis*
Draco. *stellæ in omnia Zodiaci animalia distributæ iam esse cernuntur. Vrsæ verò
maioris sydera ex Geminis, Cancro, & Leone, in Cancrum, Leonem & Vir-*
Vrsa maior. *ginem mutatæ animaduertuntur: vt tres quæ in cauda splendidissimæ sunt,
& quæ in vestigio pedis dextri, in Virgine habeantur: quæ verò quadrilate-
ram in lumbis figuram constituunt, & aliæ nonnullæ dempto capite, & dex-*
Cepheus. *tera manu, omnes in Leone reponuntur. Eodem planè modo Cepheum vnde-
cim astra effingunt: quæ cùm in Tauro, & Ariete geminæ, in Piscibus verò
septem haberentur, nunc in Piscibus præter duas quæ apud cubitum dextræ
manus sunt, aliæ nullæ deprehẽduntur; in Tauro verò nõ plures quàm duæ,*
Bootes. *quæ in tibijs sunt. Porrò Bootes viginti duabus stellis præditus est: quæ ex
Virgine & Libra omnes propemodum in libram se contulerunt; præter qua-
tuor, quarum tres in manu sinistra, reliqua in cubito eiusdem manus est. In-
ter quas sanè, quæ in formis splẽdidissima inter crura Bootis collocatur Ar-*
Arcturus. *cturi nomine, quam Galenus in zona eiusdẽ sitam dicit esse, ex vigesimo se-
ptimo Virginis gradu, ad decimum septimũ Libræ gradum progressa fuisse*
Corona. *animaduertitur. Porrò etiam corona borealis ex Libra tota se in Scorpium*
Hercules. *contulisse videtur. Similiter etiam* ἐγγόνασιν, *quem Herculem dicunt, penitus
ex Libra discessit: præter stellam quæ cõmunis est dextri ipsius pedis vesti-*
Lyra. *gio, cum hasta Bootæ. At Lyra totam se recepit in Capricornum; cùm illius
ætate tertium eius gradum nondum attingeret. Auis porrò decem & septem*
Auis. *fulget stellis: quarum octo in Capricorno, nouem verò in Aquario suum tene-
bant hospitium: nunc verò quæ in rostro sunt, duæ dumtaxat, in extrema Ca-
pricornij parte remanent: quæ verò item in genibus duæ ad priores Piscium
gradus translatæ sunt: ac præter has, quæ informes sub ala sinistra duæ con-*
Cassiopeia. *spiciuntur. Iam præterea ex decem Cassiopeiæ stellis præter vnam quæ in
extremitate pedis est, omnes in Ariete locabantur; nostris verò temporibus
in Taurũ mutatæ sunt, exceptis tribus: quarũ vna in facie, altera in dextro*

brachio

brachio, tertia in extremitate folij est; quæ omnes, adhuc in extremis Arietis
partibus remansisse videntur. Porrò Persei sydus, viginti sex stellis donatū, Perseus.
ex Ariete, & Tauro, in Taurum, & Geminos mutatum esse conspicitur: vt
quotquot ad dextrum crus, ac pedem spectant stellæ, omnes in Geminis con-
spiciantur. Quin & Aurigæ fulgidū sydus, consimilem mutationē perpessum Auriga.
esse conspicitur; vt cùm ex quatuordecim ipsius stellis, nouē in Tauro, quinq;
verò in Geminis reponerentur, his temporibus, omnes penitùs in Geminis re
sideant. Necnon & Ophiuci sydus, viginti quatuor stellis splendens, præter Ophiuchus.
duas apud manum dextram, quæ in Sagittarium spectabant, alias omnes in
Scorpio sitas continebat; nunc verò totum se in Sagittarium mutauit, præter
duas apud manū sinistram, & duas alias, in sura pedis eiusdem constitutas:
quæ adhuc in Scorpio continētur. Serpētis verò eiusdem, decē & octo stellæ,
cùm vndecim in Libra, quatuor in Scorpio, tres in Sagittario haberētur: his
temporibus ita mutatæ sunt, vt duodecim in Scorpio, quinque in Sagittario,
vna in Capricorno, deprehendantur. Cæterum sagitta, ex primis Capricorni Sagitta.
partibus, in vltimas mutata esse conspiciatur. Necnō & nouem aquilæ stel- Aquila.
læ, duæ in Sagittario, reliquæ in Capricorno collocatæ cernebantur; nunc ve-
rò omnes in Capricorno continentur. Iam verò Delphin, & Equiculus totus Delphin, & Equiculus.
ex Capricorno in Aquarium transitum fecisse conspiciuntur. Pegasus verò, Pegasus.
nostro tempore caput solum habet in Aquario: corporis verò molem in Pisci-
bus; vmbilicum tamen, & alæ dextræ extremitatem, vsque ad Arietem por
rigit: cùm tamen Ptholemei ætate maxima ipsius parte in Aquario habere-
tur. Ex omnibus enim, quas continet stellis, numero viginti, quinq; solum in
Piscibus continebat. Trianguli etiā sydera, ex Ariete, in Taurū prorsus mu Triangulum.
tata sunt. Deniq; Andromeda, viginti tribus stellis conspicua, duodecim in Andromeda.
Piscibus continebat: reliquas in Ariete; nunc verò molem corporis in Ariete,
pedes verò ac tibias in Tauro, in quibus octo stellæ continentur. Atque hæc
sunt, quæ in boreali sphæra parte sydera à peritissimis Astrologis sunt ob-
seruata. Tandem ad australem ipsius partem veniendum nobis est. Igitur,
Cetus viginti duabus stellis donatus, vndecim in Piscibus, totidemq; in Arie Cetus.
te continebat: nunc verò in Piscibus tantum obtinet quinque, totidemque in
Tauro, reliquas verò omnes in Ariete seruat. Præterea, Orion totum se rece Orion.
pit ad Geminos, cùm bona sui parte antea cōtineretur in Tauro: similiter &
Lepus, quam habet ad pedes. At verò Amnis, in Tauro & Ariete reside- Lepus.
bat: nunc in Arietem tantum, & Geminos mutatus est, vt omnem propemo- Amnis.
dum sinuosum inflexum sub Tauro contineat. Canis præterea, præter eam Canis.
quæ est in cauda, nullam aliam habebat in Cancro, sed omnes in Geminis:
hac verò ætate præter vnā, quam gerit in vestigio pedis dextri, omnes alias

mutauit

Procyon. *mutauit in Cancrum. Procyon etiam, duabus tantum stellis fulgidum (in quo maximè hallucinatum fuisse Fuchsium nos sumus monstraturi) cùm antea suam sedem haberet in Geminis, nunc tandem in Cancrum mutatus*
Argo. *esse conspicitur. Argo etiam, consimilem mutationem est passa: cùm enim maxima sui parte contineretur in Cancro, nunc maxima sui parte continetur in*
Hydra. *Leone. non exigua verò in Cancro, nec leui in Virgine. Hydra verò (longissimum sydus) nihil penitus seruat in Cancro: sed in Leone, Virgine, Libra, ac*
Patera. Coruus. Centaurus. *Sagittario consistit. Patera tota est in Virgine. Coruus totus est Libra. Centaurus verò, cùm totus esset in Libra, partim nunc in Libra, partim in Scorpio diuersatur. Cæterum Lupus, quem conficit: partim erat in Libra, partim*
Turribulum. *verò in Scorpio: nunc verò totum se in Scorpium recepit. Porrò Turribulum præter vnam stellam, nullam habebat in Sagittario, nunc verò, omne sub Sa*
Corona. *gittario manet. Corona quin etiã australis, cùm tota esset in Sagittario, præter duas stellas, reliquas omnes continet in Capricorno. Denique Piscis au*
Piscis notius. *stralis, partim in Capricorno, partim verò in Aquario cõtinebatur: nũc verò totus in Aquario manet. Hæc itaque sunt, quæ de omni in vniuersum sy derum multitudine, mea interest admonere: vestra autẽ, qui cupitis rem ipsam medicam accuratissimè tractare, animaduertere. Maximi enim hæc nouisse refert: tum ad cognoscẽda anni tempora in singulis regionibus, tum etiam ad prænoscendas futuras aëris mutationes: ex quibus ad præsagitionem nõ parua suppeditantur indicia. Igitur vt rem iam quodammodo magis ad opus accommodemus, dicendum nobis est: quatuor esse, insignes aëris mutationes, secundum quas annus ipse quadrifariam dispertitus, non negocia tantum publica atque priuata immutat; sed & corporum etiam nostrorum penitissimos recessus: in quibus aliàs sanguinis, interim verò pituitæ, nunc bilis, aut flauæ, aut atræ, largam copiam succrescere cogit: vnde morbis omnibus internum quoddam seminarium paratur: nisi periti medici solertia imminenti discrimini fuerit diligenter occursum. Proindéque Galenus egregiè dicebat, initio primi de morbis vulgaribus commentarij.* ἀναγκαιότατον δ' ἐστὶν ἐς ὅλην τὴν φυσικὴν πραγματείαν ἐπίστασθαι, τὰς καθ' ἑκάστην χώραν, ἐν αἷς ἂν ἰατρεύειν μέλλωμεν, ἑκάστου τῶν ἄστρων ἐπιτολάς τε καὶ δύσεις, ἐπειδὴ περιγράφουσιν αὗται τὰς ὥρας. *id est. Est autem cum primis necessarium, ad omne hoc præsens negocium non ignorare: vnaquaque in regione, vbi obire medicinam instituimus, syderũ singulorum ortus, atque occasus: quandoquidem ab his anni tempora circũscri*
Aestatis principiũ quando. *bi videmus. Est igitur (vt ipsemet in citato loco dicebat) in Hellesponti parallelo, Vergiliarum ortus, æstatis ipsius principium. Quoniam ab eo sensim, calidum, ac siccum incrementa iugiter suscipere animaduertantur. Idipsum sanè in omnibus temperatioribus terræ tractibus, quales à tertio, vsque ad sextum*

ſextum clima continentur,intelligendum eſſe nemo vllus dubitabit. Quandò in his,quæ magis ad Arctos ſpectant:aut etiã his, quæ verſus Æquatorem ſunt poſita locis,bonam anni partem aut hyeme circumſcribi,aut æſtate, nemini fore dubium arbitror:cùm ab Hippocrate abundè in libro de aëre,aqua & locis,ſit animaduerſum. At verò longè magis carebit controuerſia, examinandam eſſe,noſtram hanc Valentinam habitationem, & totam Hiſpaniam, ad eam normam, ad quam tota Græcia, minorq́ue Aſia; & inferior Germania examinatæ fuerunt.Nam qui per Helleſpontum ferunt parallelus, ab Æquatore quadraginta duobus gradibus paulò minus eſt ſemotus. Quare ſuperioribus Hiſpaniæ partibus,maximè reſpondebunt Illiria, Dalmatia, Thracia, Macedonia, Pontus, Paphlagonia, minimum quidem ab Helleſponti parallelo verſus boream declinantes. Inferioribus verò, Italiæ meridionalior pars,ex Græcia verò Epirus,Achaia,Peloponeſus: ex Aſia verò minore Lycia,Pamphilia, Cilitia: ex quibus regionibus nonnullæ in eo ſanè ſunt parallelo,qui per Valentiã ducitur.Quare & apud nos etiam Vergiliarum exortum, æſtatis principium ſtatuendum eſſe cenſemus. Quoniam inde iam magis atque magis caloris, ac ſiccitatis incrementa fieri deprehendamus. Quod & Nicander ipſe Colophonius in ſuis Theriacis nobis ſignificauit,cùm dicat:

Ἀλλ' ἤτοι θέρεϊ βλαβερὸν δάκος ἐξαλέασθαι. *id eſt,*

Aſt ſæuas æſtate feras vitare memento,

Cumq́ue nobis notas præſentis iam æſtatis,vellet aſsignare,ſubintulit:

πληϊάδων φάσιας διδοκημένος, αἵ θ' ὑπὸ ταύρου

ὁλκαίην ψαίρουσαι, ὀλίζονες φορέονται. *id eſt,*

Pleiadum metuens ortus,has infima Tauri

Cauda gerit tenues,obſcuro lumine notas.

Qua in parte diſsimulandum non eſt:quòd Vergilias in Tauri cauda ſitas eſſe dicat:cùm Ptholemeus in ceruice Tauri eas conſtituat; & omnes apertè teſtentur,Taurum ipſum, dimidiatum tantum eſſe,vt rectè propterea in Faſtis Ouidius dubitauerit,taurus ne an vacca potius cenſeri debeat.

Vacca ſit an taurus non eſt dignoſcere apertum,

Pars prior apparet,poſteriora latent.

Ne ergo tam craſſæ ignorantiæ nota, virum adeò inſignem taxemus, cuius eruditionem , abditarumq́ue rerum peritiam Cicero ipſe eſt admiratus, nos pro conſtanti aſſerimus: Nicandrum ὁλκαίην *dixiſſe extremam Tauri partem,eius (inquam) qui immobiliter in ſummo reſidet cœlo: primos (inquam) huius ſigni gradus: propterea quòd ſuo tẽpore cum primis Tauri in ſupremo cœlo ſiti gradibus Vergiliæ ipſæ orirentur: At Taurus cùm caput ad ortum*

ſpectans

Superioribus, ac inferioribus Hiſpaniæ partibus, quæ Græciæ, aut Italiæ loca reſpondeant.

Vergiliæ i cer uice tauri ſitæ ſunt.

ſpectās habere deſcribatur, meritò ſanè verſus priores gradus cauda ſtatuenda eſt. Vixit enim Nicander ferè ducentis annis ante Ptholemeum, Attali ſcilicet tempore, eius qui regnauit in Pergamo. Neq; tamen ignoramus Hipparchum extra Taurū ipſas locaſſe, iuxta Perſei pedis extremitatem, quod & Aratus indicaſſe videtur, cùm dicat

Αγχι δὲ οἱ σκαιῆς ἐπιγουνίδος ἤλιθα πᾶσαι,
πληϊάδες φορέονται. *id eſt,*

Huic itaque ad læuam ſuram glomerantur in vnum, Pleïades.

Sed hæc obiter, perfunctorieque dixiſſe ſit ſatis. Ad temporum igitur anni rationem redeuntes, Vergiliarū exortus dies diſtinguendi ſedulò ſunt. Verum priuſquam id fiat, non eſt ſilentio obuoluendum, quod ex communi hominum opinione, cōmuniq; experientia deprehenſum ab omnibus eſt. Nempe, ad veris maximè finem inſignes ſuboriri in aëre mutationes: vt neq; nauigationem, eo tempore tutam eſſe affirment, qui huiuſce rei peritiam ſunt conſecuti. Id autem circa idus Apriles, aut primis potius Maij calendis contingit; ob ſyderum ſcilicet ortum, quæ in Erichtonio habentur, de nomine hœdorum: quæ ſuo exortu, maximas concitāt tempeſtates, vt propterea agricolis, & nautis ipſorum obſeruatio ſit maximè neceſſaria. Illis quidem, quoniam terræ ſemina mandare ad huiuſmodi ſydera reſpicietibus, ſit oportunum: his verò, quoniā à maris inſultibus eo tempore ſibi cauere maximè debent. Propterea inſignes poëtæ Aratus, itq; Vergilius, hic quidē in Georgicis dicebat:

Præterea tam ſunt Arcturi ſydera nobis
Hœdorumque dies ſeruandi, & lucidus anguis.

Conſulens ſanè agricolarum commoditati. Ille verò nautas commonefaciens, ac alios à nauigatione deterrens, canebat ἐν τοῖς φαινομένοις.

Αλλ᾽ οὐχ ἡνιόχῳ ἔριφοι, οὐδ᾽ ὠλενίη αἲξ
εὐθὺς ἀπέρχονται. τὰ δὲ οἱ μεγάλην ἀνὰ χεῖρα
λάμπονται, καὶ οἱ μελέων διακέκριται ἄλλων
κινῆσαι χειμῶνας, ὅτ᾽ ἠελίῳ συνίωσιν. *id eſt,*

Cùm tamen Auriga, nec ruffa Capella, nec hœdi,
Occumbunt pariter: ſiquidem geſtata ſiniſtro,
Fulgida ſunt cubito, magnum Iouis gÆide nati
Sydus, & implacidum cùm ſol hoc vrget heous.

Vergiliæ quando oriuntur.

Oritur autē id ſydus, vnà cùm extremis ſiniſtri Perſei pedis, ac tibiæ aſtris: quæ tandem Vergilias verſus exporriguntur: ſeptem ferè graduum interuallo. Propterea cùm huiuſmodi aëris mutationes, quæ quotannis ſolent oboriri, perceperis, iam propè eſſe æſtatis initium putabis: quod ſanè ortu Vergiliarū matutino circumſcribitur. Hic autē ortus octauo ferè calendas Maias contingit:

tingit: ſole duodecimum Tauri gradum in ſupremo cælo immobiliter iacẽtis, percurrẽte, quam ſanè ſedem iam vſurpaſſe Arietẽ diximus. Atq; ita facile Theonis in Aratũ locus intelligi poteſt, dicẽtis: αἱ γὰρ Πλειάδες, ὧν τὴν τοῦ Ταύρου ἀσὶ τομὴν, ἅμα τῷ Κριῷ ἐπιτέλλονται ὅτε ὁ ἥλιος ἐν τῷ Κριῷ ἐστὶ, κατὰ τὴν τοῦ θέρους ἀρχὴν, ὅτε πρῶτον τὰς κριθὰς θερίζουσιν. *i. Nam Vergiliæ in Tauri ſunt ſegmẽto: exurgũt autẽ vnà cũ Ariete, cũ ſol eo peruenerit, principio nimirũ æſtatis, quãdo metuntur & hordea. Et quod animaduerſione dignũ in hoc loco videtur, ſolem nimirũ circiter horã vnam ante Vergilias occidere, quẽ tamen vnà cum ipſis oriri iam diximus, id quidẽ propter horizõtis obliquitatẽ contingit. Propterea ſi quis perſpicaci viſu homo, circiter horã noctis primam (quæ erit octaua à meridie) aut Vergilias ipſas, aut ſanè inſigniore in Tauri oculo ex Succulis, verſus occidentẽ ſolem reſpiciẽs, cõprehẽderit, mirari quidẽ deſinet; nec nos poterit iure de mendacio accuſare. Quod ſi ex ſyderũ ſola obſeruatiõe volueris etiã principiũ æſtatis deprehẽdere, ſcire quidẽ debes: occidẽte ſole, Lyram ipſam (inſigne aſtrũ) ab oriẽtis partibus, quæ inter Aquilonẽ & Cæciam ſunt, è regione eius venti, quẽ vulgò Græcũ vocant, oriri. Eſſeq; ſecũda noctis hora (quæ vnà cum nona à meridie coincidit) longo ſatis interuallo ab horizonte ſublatã; atq; tũc in cæli medio Leonis caudam conſpici facile: Virginis verò ſpicam, atq; item Arcturũ, in ea cæli medietate poſita eſſe, quæ ad ortũ ſpectat. Lucidũ verò Hydræ aſtrũ, ipſumq;* Προκύονα, *Geminos etiã, & totum Aurigam, verſus occidentẽ ſolem. Senſim igitur ab eo tẽpore incrementa caloris, ac ſiccitatis fieri animaduertes, vſq; ad Canis exortũ, indeq; ſenſim decreſcere, quouſq; tandem tempeſtuoſum, procelloſumq; Arcturi ſydus vnà cum ſole matutino tẽpore exurgat. Quoniam igitur tunc frequẽter pluat; ſimulq; ſpirẽt venti frigidi, ac eius temporis totũ temperamentũ inæquale ſit ad ſiccũ frigidumq; magis vergens, Æſtatis quidẽ finis erit: Autumni verò initiũ. Aſſurgit verò id ſydus. 12. ferè calen. Octob. ſole iam ad octauũ Libræ immobilis gradum, pertingẽte, quem locũ Virginis aſtris totum occupatũ eſſe iam diximus. Surgit ergo vnà cum Arcturo, orientalior magis Corui ſtella, quæ in alæ dextræ cubito defigitur: & aliquot etiã Argonauis ſplendida ſydera. Hoc ergo temporẽ, ſi prima nocte, ex eminẽti quopiam loco, ſydera contemplari libuerit, ac oculos rectà in cælũ direxeris, animaduertes: Lyrã verticı tuo incumbentem, aliquantulum inclinantem ad occaſum, atq; à medijs inter Boream & Aquilonem locis, ſupra horizontem caput exerentem Aurigam: ac è regione Aquilonis, nõnihil iam ſublatum Perſeum; ſupra quem, & Caſsiopeiam contuebere, proximeq; Andromedam cum Pegaſo. Rurſus Euroauſtrũ verſus, lucidiſsima duo ſydera videbis: ſublimius quidẽ, in auſtralis piſcis dorſo: demiſsius verò, in extrema Aquarij fuſione cõſtituta. Interim tamen, vt*

Æſtatis initium quomodo ex aſtris prima nocte deprehendatur.

Initium autumni quando.

Cælum quibus fulget ſtellis autumni tempore.

men, vt taceã Aquilam, sub Lyra versus oriẽtem sitam, Cygnumq;, & Delphina, nõ est sanè sine animaduersione prætereũdus Arcturus: quẽ planè versus Fauoniũ, ea hora videbis plusq̃. 22. gradibus, supra horizontẽ conspicuũ; cùm iam hora vna, plus minus, sub horizõte sol ducatur; cũ quo nobis primũ matutino tẽpore surrexit. Maximi ergo refert, sphæræ positũ in primis habere perspectũ: cũ propter horizõtis obliquitatẽ, tam insigne discrimẽ, inter ortũ & occasum syderũ interueniat. Videbis enim tũc, sole circiter sextam à meridie horã, occũbente, Arcturũ ante nonã à meridie horam (ita enim nos supputare cõsueuimus) nõ occidere. Cuius rei causa, talis est; quoniã Arcturus ferè tropicũ Cancri circulũ, cũ cõtingat, in quauis regiõe tot horis ad circulũ conficiendũ eget, ab ortu, in occasum, quot cõtinet maxima eius regionis dies. Cũ ergo Valẽtiæ. 15. horarũ spatio, maxima dies absoluatur, nõ potest sanè, vnà cum sole in Libra existẽte, exoriẽs, vnà pariter cũ eo occidere; sed cũ circiter horam à meridie sextam assurgat, occasus ipsius, versus nonã post meridiem horam expectandus sanè est. Maximam autẽ esse Arcturi reuolutionem, qui experimento comprœhendere noluerit, is credo acquiescet Arati testimonio: qui cùm in suis Phænomenis Turribuli (quod maximè australissimum est) supra finitorem lationem cum Arcturo conferret, hæc inquit,

Maxima est arcturi supra Finitorem latio.

Τοῦ δ' ἤτοι ὀλίγον μὲν ἐπὶ χρόνον ὑψόθ' ἐόντος
Πεύσεαι, ἀντιπέρην γὰρ ἀείρεται Ἀρκτούροιο
Καὶ τοῦ μὲν μάλα πολλὰ μετήοροί εἰσι κέλευθοι
Ἀρκτούρῳ, τὸ δὲ θᾶσσον ὑφ' ἑσπερίην ἅλα νεῖται.

Hoc ita conuertimus.

Hoc igitur paruo nobis se tempore monstrat:
Vt pote, quod iaceat longè sub sede Bootæ
Namque est Arcturo longissima semita eunda
Ast hoc si surgat, mox iam se condit in vndas.

Porrò autẽ, deinde sequẽti tẽpore, paulatim ita vt nõ percipiatur, fit mutatio in frigidũ: quam vicissitudinẽ, facit, Vergiliarũ occasus, sensibilẽ. Vt rectè tũc hyemem inchoare dicas; autumnũ verò finire. Contingit autẽ is occasus, quarto ferè idus Nouẽb. quãdo sol scilicet septima post noctẽ mediam hora, assurgere incipit: occumbere verò hora quinta post meridiem. Quando ergo id tempus accesserit, hora noctis prima, hoc est, post solis sub finitore recessum, iam inter Aquilonem, & Cæciam (vt antea dicebamus) totum Erichtonium videre licebit conspicuum; fulgentissima potissimum illa duo astra, quæ gerit in humeris. Necnon ex Hyadibus (quas Succulas vocant) splendidissimum sydus, in Tauri oculo locatum: atque supra ipsum, Vergilias: quas iam alto supra Finitorem spatio, deprœhendes; vt indicare facilè possis, ante solis occasum, illas iam fuisse sublatas. Et me hercule, res ita se habet: nam circiter quartam

Cœlum quibus fulget astris p hyemem.

quartam post meridiẽ horam, incipiũt, supra finitorem attolli. Quandoquidẽ & illæ, perinde vt Arcturus, in æstiuali circulo suum fecerũt hospitiũ. Quare 15. etiã horis, supra terram nobis ferũtur. A quarta igitur post meridiẽ hora, ad septimam à media nocte. 15. horarũ interuallũ comprehẽditur. Rectè igitur ipsas oriẽte sole, tunc occidere putabis: ac eo tẽpore initiũ hyemis facilè deprehendes. Non sunt ergo inter aliorũ syderũ ortus, atq; occasus, Vergiliarũ simpliciter numerandi: sed multo maiori sedulitate, ipsarũ considerandæ sunt vicissitudines; vt quæ duorũ potissimorũ temporum, significatrices existant, æstatis nimirũ, & hyemis. Quod & Galenus nobis significauit, in primis morborum vulgariũ commẽtarijs: atq; itẽ Aratus ἐν τοῖς φαινομένοις, hoc modo.

Vergiliæ duorum temporũ significatrices sunt, hyemis, & veris.

Αἱ μὲν ὁμῶς ὀλίγαι καὶ ἀφεγγέες, ἀλλ' ὀνομασταὶ
Ἦρι καὶ ἑσπέριαι Ζεὺς δ' αἴτιος, εἱλίσσονται,
Ὅ σφισι καὶ θέρεος, καὶ χείματος ἀρχομένοιο,
Σημαίνειν ἐκέλευσεν, ἐπερχομένου τ' ἀρότοιο. *Hæc carmina nos ita cõuertimus.*

Quæ quanquam tenues obscuro lumine surgant,
Sunt tamen egregijs ortuque, obituque dotatæ.
Iuppiter id fecit, cùm vellet tempora brumæ
Æstatisque itidem nosci, nec aratra latere.

Hæc autẽ carmina cùm interpretaretur doctissimus philosophus Theõ, ὀλίγας *(inquit)* αὐτὰς φησὶ διὰ τὸ ἐξ ἀμυδρῶν συγκεῖσθαι ἀστέρων, ὀνομαστὰς δὲ ὅμως καὶ ἐπιδόξους, διὰ τὸ καὶ τὴν ἀνατολὴν αὐτῶν, καὶ τὴν δύσιν, πρὸς ἀναγκαῖον εἶναι τοῖς ἀνθρώποις. ἐπιτελλομένων γὰρ τοῦ ἀμητοῦ ἄρχεσθαι χρή. δυομένων δὲ, τοῦ ἀρότου. ἦρι οὖν τὸν ὄρθρον, λέγων τὴν ἀνατολὴν φησίν, ὑπὸ τὸν ὄρθρον γὰρ ἀνατέλλουσιν σὺν ἡλίῳ ὄντι ἐν τῷ ταύρῳ, ἀπὸ. ε. καὶ εἰκάδος τοῦ Φαρμουθὶ μηνὸς ὅς ἐστι παρὰ Ῥωμαίοις Ἀπρίλλιος ὅτε καὶ τοῦ θερίζειν καιρὸς παρ' αἰγυπτίοις. ἑσπέριαι δὲ ἐπεὶ ἑσπέρας ἀνατέλλουσιν, ἡλίου ὄντος ἐν σκορπίῳ Ἀθὺρ μηνί, ὅς ἐστι παρὰ ῥωμαίοις νοέμβριος, ὅτε ἐστὶ καιρὸς τοῦ ἀροτριᾶν, τότε γὰρ ἑσπέριαι εἰσί, ὅτε πρὸς ἑσπέραν ἀνατέλλουσι. *i. Paruas autẽ ipsas dixit, quòd ex obscuris constẽt stellis: nihilominus tamẽ sunt perq̃ celebres; maximiq; momẽti: vtpote quarũ tum exortus, tũ occasus sunt hoĩbus maximè necessarij. Nam ipsis exoriẽtibus oportet messem inchoare, occidentibus verò, terra nouanda aratro est. Igitur* ἦρι *dixit diluculũ, ipsum nimirũ exortũ significans, diluculo enim oriũtur, cũ sole, ipso scilicet resid ẽte in Tauro; post. 25. diẽ mẽsis Pharmuthi, q̃ est apud Romanos Aprilis: quãdo messibus incũbunt Ægyptij. Vespertinæ verò sunt, quãdo oriũtur ad vesperam: sole existẽte in Scorpio, mẽse Athyr, q̃ est apud Romanos nouẽber; atq; tũc tẽpus est, nouãdi terrã. Nam tunc (vti dixi) vespertinæ sunt, quãdo oriũtur ad vesperam. Hactenus quidẽ Theon, ex cuius sanè sentẽtia deprehendi facile potest, quãti huius doctrinæ cognitio philosopho viro habenda sit. Nam cùm antea dixisset, æstatis initio,*

nasci quidē Vergilias, sole ipso sedem habente in Ariete, nūc oriri ipsas ait, sole existente in Tauro; quæ cōtrouersia ab eo, qui rectè memoria tenuerit ea, quæ dicta à nobis sunt, facilè diluetur. In hac enim parte Theō de his zodiaci animalibus agit, quæ conficta, sine motu, ab astrologis in supremo cœlo sunt: quo ipsorū supputatio methodo cuidā inniti videretur. In priori verò loco, de his agit zodiaci circuli animalibus, quæ stellis conformata nunq̄ eodem loco quiescūt: sed sedem indies, atq; indies mutant: quemadmodū & nos sumus interpretati. At verò quòd Theonis de hac re sententia, apertè cum his quæ nos diximus conueniat, manifestū est. Nam & nos, circiter vigesimam quartam Aprilis diem, oriri apud nos Vergilias antea diximus: occidere verò, circiter decimam Nouēbris diem; tuncq; esse hyemis initiū. Quemadmodum Aprilis iam dicta die, initiū æstatis. Iam verò ab occasu Vergiliarū, vsq; ad nōnullos dies, ante æquinoctiū futurum, frigus quidem, & humiditas pollent: circiter verò æquinoctiū Ver incipit: atq; temperata quædā fit accessio, vsq; ad Vergiliarū exortū; qui æstatis (vti diximus) initiū est. Contingit autē id, circiter calen. Martias: sole vigesimū Pisciū gradum permeante. Atq; vt syderis alicuius insignioris exortu, id tēpus circūscribatur, dicamus: exoriente Medusæ capitis splendidiore astro, Ver ipsum inchoare: quoniam æquabilitate quadam, circūfusus aër nobis obuersatur. Ac planè, vt contrariū hoc tempus autumno est, ita vt cœli positus aduersatur. Nam vti prima noctis hora, hoc est occidente sole, cœlū se habere dicebamus, ita & matutino tēpore cùm sol oritur nūc habet: & quæ autūno simul cum sole interdiu sydera vagantur, eadē ipsa nūc vespere conspicua cernūtur. Propterea circa primam noctis horam, quæ erit circiter septimam à meridie, Arcturus ex alto quopiam loco, eregiōe Cæciæ venti supra vndas sese attollere incipiet, Leonis autem cauda, versus orientem solem circiter viginti quinq; gradus supra finitorem sublata splendescet: reliquaq; ipsius astra tūc conspici facile poterūt; supra quæ versus boream maioris Vrsæ præcipua sydera videre licebit conspicua. At versus cœli medium Geminorū astra apparebūt: sub quibus & Procyonis insigne astrū, atq; sub eo Sirius nuncupatus, recta sub verticali circulo, ad australem scilicet partē, trigintaquinq; gradibus supra horizōta. Iam verò è directo mediæ regionis, inter duo posteriora hæc sydera, versus occasum aliquātisper, Oriona lucidissimū cōtuebere: atq; supra ipsum Succulas ipsas pariter cum Vergilijs. Et versus Borealem plagā, totū Euchtoniū deprehēdes: ad cuius sanè latus Perseū, sub quo & pronā Andromedam, & alia etiam q̄ plurima astra, quæ tum in Argonaui, inter Euroaustrū, et Notū sita reoluēt; tum in hydra supra Nauis malū posita, tum in occidentis parte, quæ ad Cetū pertinēt, & Eridani fluēta. Nam hoc anni tēpore lucidissima astra noctu maximè supra

Animalium zodiaci discrimē, quo Theonis cōtrouersia diluitur.

finitorem

finitorem sunt: quemadmodum in Phænomenis ipse significauit Aratus.

Λοξὸς μὲν Ταύροιο τομῇ ὑποκέκλιται αὐτὸς
Ὠρίων, μὴ κεῖνον ὅστις καθαρῇ ἐπὶ νυκτὶ
ὑψοῦ πεπτηῶτα παρέρχεται, ἄλλα πεποίθοι
οὐρανὸν εἰσανιδὼν προφερέστερα θηήσασθαι. *idest.*

Indéque nonnihil obliquæ regionis ad ima
Tauri, præfulgente relucens lumine Orion
Conspicitur, quem segnis si vnquam nocte serena
Intactum vellet visu percurrere quisquam
Haud equidem quærat sydus par posse videre.

Sed hæc sufficient his, qui nonnihil diligẽtiæ ac laboris in his temporibus per astra dignoscendis, impẽdere voluerint. Nam si se in his exercuerint sedulò, amplissima ad vlteriora progrediendi via sese offeret. In quatuor igitur partes anni partitio sic habet. Iuuabit autem & studiosos, anni diuisio in partes septem, iuxta Hippocratis sententiã, in libro de Septimanis, qui temporũ naturas pro minoris, maiorisq; ratione considerauit. Nam æstatis tempus, ad Canis dumtaxat exortum protendit; ad. 18. calẽ. Iulias, cùm sol nimirum in quarto Cancri gradu immobili constiterit: quando iam prima Leonis sydera (id inquam, quod in narium extremitate, & etiam quod informe circa os est) vnà cum sole matutino tempore exurgũt. Tunc enim feruidissimũ illud sydus in rictu Canis constitutũ assurgit: Procyone iam quatuor gradibus supra finitorem sublato. Sunt enim diuersa admodũ sydera Canis (Σείριος à Græcis nominatus) atq; Προκύων, alterũ quidem versus Aquilonem situm, alterum verò versus meridiẽ, vt inde pateat maximè hallucinatũ fuisse Fuchsiũ, virũ alioqui doctissimũ, q̃ mira quadã verborũ ambage, rem omnẽ, in Aphorismorũ cõmentarijs, interturbat: vt nec sibi cohærere videatur, sed sui maximè dissimilis esse appareat. Quod sanè nõ aliã ob causam cõtingere potuit, q̃ quòd in rebus astrologicis non admodũ fuerit exercitatus, cùm tamẽ hanc cognitionẽ in medico maximè desideret Hippo. Sed hæc miseranda labes, multorum nostri temporis medicorum cõmunis est. Atq; vt studiosi cognoscant veritatem (ne ex affectu animi nos locutos esse, quis mẽtiri possit) primũ quidem, haud rectè dixit: sydus sub quo Hippocrates interdixit ægrotantibus purgantium medicamẽtorum vsu, esse κύνα; post ipsum verò, stellam Σείριον nuncupatam oriri. Verba autẽ ipsius, si quispiam in promptu ea habere voluerit, hæc sunt. Cæterum, sydus quod Hippocrati, alijsq; Græcis κύων dici solet, Latinis appellatur Canis. Stella verò, quæ post hoc sydus oritur, Græcis Σείριος nominatur, ἀπὸ τοῦ σειριάω, quod ijsdem ξηραίνω, hoc est, exsicco, significat. Quippe ea horis matutinis oriente, ingens fit æstus, ac magna siccitas Est autem Σείριος

stella in ore Canis, quæ vetustioribus Latinis Canicula dici consueuit. Vides obsecro iam, quomodo cœperit rem ipsam perturbare? ac se in labyrinthum propemodum inextricabilem coniecerit. Nam si Galeno credimus, cuius autoritate ipse delusus proculdubio est: quod olim sydus, maiores suspectum habuere, sub quo nimirũ flagrantissimi æstus accenduntur, Σείριος nuncupatur. Est autem in Canis ore collocatũ; qua in parte nihil verius planè dici potuit. Quòd si in maxilla, aut rictu oris, collocetur, haud quaquam poterit, posterius Cane oriri. Quin potius, hic Canis, cũ posterioribus pedibus Naui innitatur, capite sursum spectante, ac corpore obliquè posito, maxillæ sanè eius priores supra horizontem eleuabuntur; excepta vnica tantum stella, quæ in manus sinistræ vestigio continetur. At si dicat, se Canis nomine Προκύονα intellexisse (quemadmodum apertè fatetur) addens iam maiorem sermoni caliginem, in hunc scilicet modum. Hæc alio nomine Græcis Προκύων, hoc est, Anticanis, Latinis verò Canis minor appellatur: aduersabitur me hercule Galeno: cuius autoritas, aliter ipsum sentire coget. Propterea, ipse promiscuè rem totam ita confudit, vt velit idem Σείριον, atque Procyona esse; addiditq; egregiam illam interpretationem verborum, quæ citauit ex Theone: vocari nimirum, eam stellam Procyona, quòd scilicet in anteriore parte Canis, nempe in maxilla sit obfirmata: cùm tamen Theonis mens sit longè alia, distinxisse nimirũ Aratum, Sirium, à Procyone: de quibus tanquam diuersis agat diuersis in locis, seorsum de vnoquoque: quemadmodum & nos ostendemus. Porrò Proclus in sphæra, quam edidit, ita distinxisse videtur, hæc duo astra inuicem, vt vel idiota etiam possit, discrimen animaduertere, ὁ μὲν γὰρ ἐν τῷ Προκύονι ὤν, λαμπρὸς ἀστὴρ, Προκύων καλεῖται. ὁ δὲ ἐν τῷ στόματι τοῦ Κυνὸς, λαμπρὸς ἀστὴρ, ὃς δοκεῖ καὶ ἐπίτασιν τῶν καυμάτων ποιεῖν, ὁμωνύμως ὅλῳ τῷ ζωδίῳ, Κύων προσαγορεύεται. *id est, Quæ in Procyone est, lucida stella, Procyon nuncupatur, quæ verò in ore Canis, quæ & incrementa caloris efficere videtur, simili cum toto animali nomine, Canis nuncupatur. Iam verò si Arati maximi sanè viri, vti testimonio velimus, hic primum de Sirio hunc in modum scripsit.*

Σείριος & Προκύων distincta astra.

Τοῖος καὶ φρουρὸς ἀειρομένῳ ὑπὸ νώτῳ
Φαίνεται, ἀμφοτέροισι Κύων ὑπὸ ποσσὶ βεβηκὼς
Ποικίλος, ἀλλ' οὐ πάντα πεφασμένος, ἀλλὰ κατ' αὐτὴν
Γαστέρα κυάνεος περιτέλλεται, ἡ δέ οἱ ἄκρη
Ἀστέρι βέβληται δεινῷ γένυς. ὅς ῥα μάλιστα
Ὀξέα σειριάει, καί μιν καλέουσιν ἄνθρωποι
Σείριον.

Hos ita conuertimus.

Iam ponè hunc sequitur custos Canis ille petulcus
Saltanti similis'ue, retro vestigia figens.

Hic varius parte ex omni, cumulatus aceruo
Syderum, & insigni variatus lumine corpus,
Cyaneus tota uentris regione videtur.
Sed sunt ora tamen rabie cruenta molossi.
Nam iacet in rictu medio haud ignobile sydus
Feruida demittens, truculenta, incendia dira
Σείριον idque ideo Graij dixere priores.

Cumque de alijs multis interim fecisset sermonem, post longum spacium de Procyone sic ait.

Ναὶ μὴν καὶ Προκύων Διδύμοις ὑπὸ καλὰ φαείνει. *id est.*

At Geminos Procyon subter fulgore coruscat.

Qua in parte Arati interpres, hæc inquit: λοιπὸς δέ ἐστι Προκύων, ὑπὸ τοῖς Διδύμοις κείμενος· καλεῖται δὲ οὕτω, ἐπειδὴ πρὸ τοῦ Κυνὸς ἑῴαν ποιεῖται ἀνατολὴν, ἐν τῷ δι' Ἑλλάδος κλίματι, ὅτε τοῦ Κυνὸς ἀνατολικώτερός ἐστι. Ἀστέρων δέ ἐστι δύο λαμπρῶν οὗτος, ὧν εἷς ὁμωνύμως Προκύων. *id est. Restat Procyon, sub Gemellis iacẽs; qui hoc nomine insignitus est, quoniam ante Canem matutino surgat exortu, in Græciæ tractu, quando magis ad ortum, quàm Canis spectat: Constat autem duabus stellis splẽdidis, quarũ altera totius syderis nomine appellatur. Hæc Theon: sed quid multis opus est? An nõ sufficiat vnius Ptholemei autoritas, huius rei fidem facere, qui diuersis in locis, tum Canis, tum Procyonis, astra percurrit? Atque illum in Australi parte constituat, hunc verò in Aquilonia. Quod si oculata fide instrumento dimensorio horum syderum interualla metiamur, plusquam viginti quatuor gradibus inuicem dissita huiusmodi sydera deprehendemus. In eundem planè errorem incidisse Galenũ suspicari quispiam posset, initio cõmentationis primæ, in librũ morborum vulgariũ; quem locum nõ dubitamus, in errorem duxisse Leonardum, qui animaduertere debebat; haud quaquam dixisse Galenum, Sirion Procyona dici, esseq; vnum idemque sydus vtrumq; Sed dixit;* Κύων μὲν τὸ σύμπαν ἄστρον, ὁ δ' ἐπὶ τῆς γένυος αὐτοῦ Σείριος, ὃν ὀρθῶς ἄν τις ὀνομάζοι τὸν Προκύνα, οὐ τὸν Κύνα. *id est, Canis quidem vniuersum sydus appellatur; qui autẽ in maxilla* Σείριος, *quẽ rectè quis* Προκύνα *appellaret, non canem. Tanquam eos reprehendat, qui* Σειρίῳ *totius Astri nomen indiderunt: Canem appellantes. Cùm multò satius fuisset, ipsum Anticanem, aut* Προκύνα *dici: satius (inquam) quàm illud quod proprio nomine* Προκύων *dicitur. Sed de his satis: ad rem nobis redeundum iam est. Diximus extendi æstatem, vsque ad Canis, id est,* Σειρίου *exortũ: quando iam squalere incipiunt agri, omnisque foliorum humor absumitur. Id autẽ iuxta Hippocratis, in libro de Septimanis, sententiam: indeque ad exortum vsque Arcturi,* ὀπώραν *quam vocant; quæ est, fugacium fructuũ tempus, durare. Iam* *Anni in septẽ partes diuisio.*

verò autumnum integrum reliquit: accedensq; ad hyemem, ipsam in tres partes dispertitus est: In tempus nimirum, quod sub solstitium est; & in id quod præcedit, atque id quod sequitur: quorum primum σποριτὸν, id est, sementem vocant; postremum verò φυταλίαν, id est, inserendi tempus. Ver itaque, aut autumnum, iurè secare ausus non est; quoniam alterum quidem, nempe Ver, ne duos habeat solidos menses, immò paulò plures quadraginta diebus: alterum verò, duos nunquam transcendat menses. Nam inter Arcturum, & Vergiliarum occasum, dies sunt circiter vnus & quinquaginta. A Vergiliarum occasu, vsque ad nonnullos dies ante æquinoctium vernum, circiter quatuor menses continenter. Iurè igitur, id tempus in tres partes dissecari potuit: ab ortu verò Vergiliarum, ad Arcturi exortum, menses circiter quinque habentur. Nec me latet hyemi, paulò longius tempus assignari à Galeno, plus quàm, scilicet menses quatuor, sed id frigidioribus Asiæ regionibus, in quibus tametsi tempus, ab occasu Vergiliarum, vsque ad æquinoctium vernum, sit semper angustius, maximè tamen crescit Autumnus: ab ortu scilicet Arcturi, vsque ad Vergiliarum exortum: vt mensium sit propemodum trium. Quare, aut dicendum est, iam Autumni extremitatem, degenerare in hyemem, in his locis, ob impensum algorem, aut Galenum in enumerandis temporibus, fuisse deceptum: quod tamen longè abesse à viro perinde doctissimo credendum est. Primum verò non admodum suam confirmat sententiam, sed potius, quod ille adstruxerat videtur demoliri: nempe Autumni interuallum, Arcturi exortu, & occasu Vergiliarum circumscribi. Sed dicendum potius est, ob maximam quam astra in octaua sphæra passa fuere luxationem, atq; ab initijs Arietis ac Libræ, in supremo cœlo constitutus non modicum recessum, factum esse, vt nunc in regionibus frigidioribus potissimum, quæ quinquaginta gradibus ab Æquatore sunt semotæ, autumnus (tempus scilicet inter Arcturi exortum, atque Vergiliarũ occasum) sit iam propemodum mensium trium. Sed de his frigidioribus, aut calidioribus iustò locis, non est præsentis instituti differere: quemadmodum antea dicebamus: sed de regionibus tantum, quæ non magno spacio temperamentum reliquere. Propterea, maximum ad cognitiones, præsagitionesq; morborum, tempora anni conferunt momentum. Principio nanq; horas anni considerandas esse iubet Hippocrates: quid vnaquæque efficere nata sit. Sed cùm anni tempora pro temperamenti varietate, varia admodum in nobis operari valeant; temperamenta verò ex qualitatibus proficiscantur, audiamus, quæ ipse Hippocrates in libris Aphorismorum, de quatuor protulerit qualitatibus, caliditate (inquam) frigiditate, humiditate, ac siccitate. In vniuersum igitur primum dixit: siccitates imbribus esse salubriores, ac minus lethales. Morbos quidem, qui siccitates sequuntur

quuntur recensens: Tabitudines, lippitudines, articulorum dolores, stillicidia vrinæ, & difficultates intestinorum, interdum etiam & febres acutas, quanquam hæ non admodum frequenter contingant. Sed qui in pluuiarum multitudine maxima ex parte nascũtur, sunt huiusmodi. febres longæ, alui profluuia, putredines, morbi cõmitiales, & apoplexiæ, atq; anginæ. Atque hæc de siccitate, & humiditate non in aphorismis solum: sed multis etiam in locis dixisse Hippocrates videtur. De alia autẽ qualitatum oppositione, calore (inquam) & frigore, per Austri, & Aquilonis symptomata, nos fieri voluit certiores, in hunc modum scribens: Νότοι βαρυήκοοι, ἀχλιώδεες καρηβαρικοὶ, νωθροὶ διαλυτικοὶ, ὁκόταν οὗτος δυναστεύῃ, τοιαῦτα ἐν τοῖσιν ἀῤῥωστίῃσι, πάσχουσιν. Ἢν δὲ βόῤῥειον ᾖ βῆχες, φάρυγγες, κοιλίαι σκληραὶ, δυσουρίαι, φρικώδεες, ὀδύναι πλευρέων, στηθέων, ὁκόταν οὗτος δυναστεύῃ, τοιαῦτα ἐν τῇσιν ἀῤῥωστίῃσι προσδέχεσθαι χρὴ. i. Austri igitur auditum hebetantes, caliginosi, caput grauantes, pigri, dissoluentes, quando huiuscemodi tempestas præualuerit, talia certè in morbis patiuntur. At, si Aquilo perflarit, tusses, fauces, alui duræ, difficultates vrinæ, horrores, costarum dolores, & pectoris, quando hæc tempestas præualuerit, talia in morbis expectanda sunt: Quinetiam & alterius dogmatis meminisse insuper oportet: quod in vniuersum sic habet. Temporum mutationes, potissimum generant morbos: de his loquor, quæ fiunt secundum illorum temperaturas, alterationibus. Cùm enim plurima ex anni temporibus, suam amiserint temperaturam, ac aliã adscitiam induerint, necessum me hercule est, vt morbi tunc generentur; potissimum in eorum hominũ naturis, quæ causæ cedent efficienti. Veluti si æstas quidem sicca fuerit, & Aquilonia, Autũnus etiam Aquilonius, ac siccus, his profectò, qui natura fuerintícciore, infestus erit: vtpote, qui supra modum exsiccarentur. Aderunt itaque his lippitudines siccæ, & febres acutæ, & grauedines; nonnullis verò & atræ biles: humidioribus verò, tantum abest, vt noxius sit futurus, vt ex eo aliquod nec leue illud, emolumentum sint capessuri, exiccarentur enim hi, & minimè laxi in hyemem prouenirent. Nam temperaturarum, aliæ ad alia tempora, bene, vel malè se habent; vt quæ siccæ pariter, ac calidæ sunt, calida ac sicca constitutione læduntur: benè autem se habent, ad frigidos & humidos status. Quoniam frigiditate, quod superfluum caloris est, extinguitur. humiditateq; siccatæ carnes madescunt. Hæ igitur sunt plurimorum temporum mutationes. Quod si vnius temporis dumtaxat mutatio, morbum parere debeat, ea maxima sit oportet. Qualis fuit illa, quæ Cranonæ viguit: vniuerso æstatis temperamento in humidum, calidumque mutato: qui status pestilentissimus est; vt quo facilè humores putrescant. Rectè igitur, inter morbos qui in humida fiunt constitutione, putredines numerauit. Nam cùm hyems sicca, & Aquilonia fuerit

Vnius temporis mutatio quando perniciosa.

uit, Ver verò pluuiosum & Australe, morbos ad æstatem expectare iussit: neutra harum intemperaturarum maxima existente. Hyems enim, si Aquilonia sit, & sicca, non multum à sua aberit natura: præsertim cùm siccitates (vt antea dicebam) imbribus salubriores sint, minusq; lethales. Cæterū, Veris intemperatura, procul dubio pernitiosa extitisset, quoniam abundè satis magna fuit, nisi talis hyems præcessisset, quæ corpora adeò siccauerat, atque infrigidauerat, vt summam Veris, tum humiditatem, tum caliditatem, tutò exciperet. Non enim simpliciter præsentes constitutiones considerandæ sunt, sed ex quibus, ad quas fiat transmutatio. Verum, quoniam Ver tale totum fuisset, meritò corpora, ab eo vltra mediocritatem deducta, æstate ægritudines senserunt. Quòd si hyems Australis, & pluuiosa, serenaque fuerit, Ver autem siccum, & Aquilonium, siquidem corpora adeò reluctentur, vt hyeme non afficiantur, Ver vtiq; præterire non poterunt. Plura sanè restant, de hac re dicenda, quæ nos consultò prætermittemus, tanquam abundè ab Hippocrate in libro de aëre, aqua, & locis sint tradita, ne tædiosa præfationis prolixitate, lectorem alioqui parum curiosum, remorari diutius videremur. Quàm potuit enim fieri compendiosissimè ea, quæ triuialia visa sunt, transcurrere in hac parte voluimus.

HIPPO

HIPPOCRATIS SECVNDI EPIDEMIωN LIBRI, SECTIO PRIMA, PETRO IACOBO STEVE VALENtino, medico interprete.

Ἄνθρακες ἐν Κρανῶνι οἱ θερινοί. ὗεν ἐν καύμασιν ὕδατι λάβρῳ, δι' ὅλου ἐγένετο, καὶ μᾶλλον νότῳ. καὶ ὑπεγίνοντο μὲν ἐν τῷ δέρματι ἰχῶρες, ἐγκαταλαμβανόμενοι δὲ ἐθερμαίνοντο, καὶ κνησμὸν ἐνεποίεον, εἶτα φλυκταινίδες ὥσπερ πυρίκαυστοι ἀνίσταντο, καὶ ὑπὸ τὸ δέρμα καίεσθαι ἐδόκεον.

Cranonæ carbunculi æstiui, pluebat per æstum largo imbri assidue: potissimumque Austro perflãte: fiebantque sub cute sanies, quæ inclusæ calescebant: pruritumque excitabant: deinde bullæ quædam similes his, quæ ab igne excitantur, erũpebant: atque sub cute deuri videbantur. 1.

PETRI IACOBI EXPOSITIO.

Calidum, humidumque statum (qui omnium pestilentissimus est) in hac oratione nobis proposuit Hippocrates: per æstum largo imbri ruente. Tanquam autẽ loci cognitio, non parum ad prænoscendos morbos conducat, statim, inquit, Cranonæ id accidisse: vt videamus, nunquid Cranonis positus, humido ac calido statui correspondeat, an minus. Nam, si quidẽ humidus, ac calidus status, in regione frigida, at sicca irruat, malum mitius nuntiat: loci nimirũ temperatura statui repugnãte. Nam, quæ de tempestatibus aduersus corporũ temperaturas diximus in præfatione, ea etiam de loci natura sunt inaudienda. Quemadmodum igitur, humida, calidaque corporis temperies, à simili tẽporis statu afficitur: ita & calida, humidaque regio, magis his morbis fuerit opportuna. Sanè igitur, hæc ad morborũ tum prædictionem, tum etiam curationẽ, non parum cõtulerint. Contemplari enim, vt ipse in Aphorismis scripsit, oportet; & tempus, & regionẽ, & ætatẽ, & morbos: in quibus cõueniat, aut non. Cùm itaq; quis ad ciuitatem aliquam accedit, cuius experientiam nondum est nactus, contẽplari quidem eius positum debet; quo vergat, quibus perfletur ventis, vnde sol oriatur, non enim parum refert, si ad Aquilonem iaceat, aut Austrum: neq; si ad occidentem, aut orientem solem spectet. Consideremus igitur Cranonis positum: quæ ciuitas est me

Situs loci cognitio quantum ad curationem conducat.

Cranõ ciuitas.

est mediterranea, in Pelasgiotide Thessalia, in conualle sita: in campis nimirum, quæ vocant Tempe: tantum Australibus ventis exposita, minimum verò Aquilonijs. Cùm itaq; Cranon Meridionalis sit, auersaque à ventis aquilonijs, hominum, qui inibi degunt, temperamẽtum, magna ex parte calidum, ac humidum fuerit, humorum putredini paratum. Non mirum igitur, si quæ putredini sunt opportuna, calido humidoque putrescant. At qui, carbunculi ex his quidem morbis sunt, qui putredini referuntur accepti. Quod si status hic toto anno perseuerasset, miserrimum profectò pestis genus, ciuitatẽ inuasisset: vtpote, quæ putredinem facillimè conciperet. Nam si in Thaso id accidisset, quæ quidem aliter est comparata, non adeò malum sæuisset. Thasus.
Thasus enim, insula & ciuitas eius nominis, in Ægeo mari sita est: iuxta Stigiticum sinum, respondens Macedoniæ, ex aduerso Thraciæ. Exposita quidem, ventis frigidis, & aquilonijs; quam Thessaliã, fortasse insulam, nominauit Ptholemeus. Atq; ideo, quòd aquilonijs ventis perfletur, non tanti momẽti fuisset status hic: quoniã regionis positus illi obstitisset. Non absq; ratione igitur, regionis nos certiores fieri voluit: Quod nimirũ ad ea, quæ dicturus erat capessenda, foret necessaria. Vnde non possum, non mirari Hippocratem, Epidemiωn tertio, vbi illam sæuissimam retulit tempestatẽ pestilentem, regionis nomen non indidisse; quin potius nudè sic scripsisse. ἔτος νότιον ἔπομβρον, ἄπνοια διὰ τέλεος. Annus austrinus, pluuius, à ventis in totũ silens. Nisi quis, quemadmodum Galenus, dicat: in ea parte nobis pestem proposuisse, quæ multarũ esset gentium communis. Atque idcirco pro locorum, ac temperaturarum ratione, non omnes vno morbo corripiebantur; verum plurimos sacer ignis adorsus est: qui prauus esset, nempe ex putri & perniciosa bile oriundus, non quidem ex pallida, in corporibus naturaliter genita: proinde multos interemit. Quin etiam, plurimi ex faucibus laborabãt, atq; ipsis vox erat vitiata: alios, ardentes febres vnà cum phrenitide, corripuerũt: alijs, ora aphthis vitiabantur: in pudendis tubercula erumpebant: lippitudines aderant, & carbunculi: quæ omnia, quanquam eadem non essent, tamen genere, vitiosæ cuiusdam, ac prauæ putredinis, erant cognata. Namq; fluxio illa (vt ipse retulit) quæ collecta erat, non adsimilis puri fuit: sed quæpiam alia putredo, tamque perniciosa, vt in quam deflecteret partem, maximum adferret discrimen. Etenim multis brachium, vel solidus cubitus decidit: nonnullis vniuersum fœmur, vel tibiæ, pesq; totus denudabãtur. Vides hæc omnia maximã status, in id quod præter naturam est, vicissitudinem fuisse comitata? Verum enimuero si status hic, qui Cranonæ viguit, toto perseuerasset anno, nequiora profectò induxisset mala: cùm per æstatem dumtaxat vigens, carbunculos excitauerit. Audiamus igitur, totam eius orationẽ, quæ sic habet: Cranonæ carbũculi æstiui, pluebat

pluebat per æstum, largo imbri aſſiduè, potiſſimumq; perflante auſtro. Pluuiarum itaque multitudo (vt ſcripſit Galenus) tripliciter intelligi, & fieri poteſt. Interim quidem, ob ipſum imbrem confertim ruentem, quales erant illę, quas in tẽpeſtate tertia primi libri de morbis vulgaribus recenſuit. Ἐν Θάσῳ, περὶ Ἀρκτοῦρον ὀλίγον, καὶ ἐπ' Ἀρκτούρου, ὕδατα πολλά, μεγάλα ἐν βορείοισι. *In Thaſo (inquiens) paulò ante Arcturum, & ſub Arcturo, multi, & magni, ſpirante Aquilone imbres. Interim verò propter temporis diuturnitatẽ: licet guttatim dumtaxat: ſingulis diebus imber decidat. Quod etiam in Thaſo accidiſſe, initio libri primi meminit.* Ἐν Θάσῳ φθινοπώρου περὶ ἰσημερίην καὶ ὑπὸ πληϊάδα, ὕδατα πολλά, ξυνεχέα, μαλθακά, ὡς ἐν νοτίοισι. *Pluuiæ multæ, continentes lenes, vt cùm ſpirat auſter. Quandoq; verò, pluuiarum fit multitudo, his ambobus ſimul iunctis: vt videlicet, tum confertim imber decidat, tum etiam plurimo tempore perſeueret. Qualis imber fuit is, qui Cranonem per æſtum irrigauit. Pluebat enim per æſtũ largo imbri aſſiduè. Fiebantq; ſub cute ſanies, quæ incluſæ caleſcebant, pruritumque excitabant: deinde bullæ ſimiles his, quæ ab igne excitantur, erumpebant: atque ſub cute deuri videbantur. Accipe carbunculorum modum, quem tibi in præſenti ſermone Hippocrates accuratè enarrauit. Nam fiunt interdum carbunculi, ex ſolo craſſo, ſimul ac feruidiſſimo ſanguine, cui nihil ſeroſi recrementi fuerit immixtũ, qui ſtatim ſummam cutem exurit: vlcusque cum cruſta efficit: fece nimirum ſanguinis, nimio calore retorrida, atq; in atrabilarem ſuccum tranſmutata, eo quidem nequiorem, quo magis incaluerit. Nam hæc, vna bilis atræ generatio exiſtit. Alia quidem, quæ ex bile flaua, ſupra modum aſſata, fit; quæ pariter ac illa, pro exuſtionis diuerſitate magis, aut minus praua eſt. In præſenti itaque calida, atque humida conſtitutione, melancholicus ſuccus, feci vini correſpondens, qui naturaliter quotidie generatur, ac in venis ſidit, ſupra modum exuſtus, in atram bilem mutatus eſt: ac generandis carbunculis materiam ſuggeſſit: nimia verò humiditate ſeroſi cuiuſdam humoris multitudo, in corporibus accreuit: qui cum alio, in parte abſcedens aliquam, cùm præ tenuitate ſupremas peteret partes, bullas quaſdam ſimiles his, quæ ab igne excitãtur efficiebat: quibus diruptis, cruſtaceum vlcus internam deurens partem apparebat. Atq; hæc carbunculorum generatio peſtilens erat: cùm eorum perpetuò periculoſus ſit affectus; nam ex materia conſtãt (vt diximus) vitioſa. Nunc verò veriſimile erat, fuiſſe pernitioſiſſimum eum, qui vltra natiuum vitium, etiam quod ſtatus afferebat, adiunctum habebat. Nam quæ ex populariter graſſantibus cauſis, ortum ducunt, ea omnia, & formidabiliora, & contagioſa magis ſunt, quoniam aër, quem inſpirando attrahimus, corporum temperaturas ita diſponat, vt ex facili occaſione in affectum labantur, quo vbi ſemel corpora*

Pluuiarũ multitudo quomodo intelligatur.

Duplex bilis atræ ſpecies.

corpora correpta sunt, fouendo potius, quàm sanando affectui, status facit. Caluus labitur. *Fabius Caluus, qui omnia Hippocratis opera Latio donauit sermone, in hac parte turpißime lapsus est. Carbones (inquiens) æstiui Cranone viguerunt: sub æstu valdè pluit: qui per totum corpus, sed in tergo magis fiebant. Quod enim Hippocrates* καὶ μᾶλλον νότῳ *scripsit,* καὶ μᾶλλον νώτῳ *legere visus est: nominum similitudine deceptus. Nam Græcè,* νότος, *per.* ο. *Austrum significat: per,* ω *mega verò dorsum, seu tergum. Adde quòd præcedens oratio* δι' ὅλου ὑγ-ροῦ *non significat, per totum corpus carbones erupisse. Sed aquam ipsam* δι' ὅλου, *hoc est,* συνεχῶς, *quod aßiduè significat, descendisse. Reliqua prætereo, quoniam parui momenti sint.*

Ἐν καύμασιν αὐχμηροῖς, οἱ πυρετοὶ ἀνιδρῶτες τὰ πλεῖστα, ἐν τουτέοισιν δὲ ἢν ἐπιψεκάσῃ, ἱδρωτικώτεροι γίνονται κατ' ἀρχάς.

2. In æstibus squaloris, febres plurimũ, absq; sudore contingunt: in his autem, si vel rora tantum cadant, iam magis sudificæ fiunt per initia.

Latenter in hac oratione, nobis Hippocrates ostendit, in prædicta tempestate, quæ Cranonem malè habuit, febres etiã viguisse: sudificas quidem, propter multam humiditatẽ, quæ præ nimio calore ad cutim trahebatur: præq; Quæ febris humida, quæ sicca. *eius multitudine, in halitum solui non poterat. Quas potißimum febres, summus interpres Galenus, humidas nominauit: in eo quẽ aduersus Lycum scripsit commentario.* ἐγὼ τούτῳ τῷ λόγῳ διηγήσομαι, τοὺς ὑγροὺς πυρετοὺς ὁποίους εἶναί φημι. ἱδροῦσι μὲν οἱ κάμνοντες ἀπὸ πρώτης ἡμέρας, ἐν δ' αὖθις ἱδρῶσιν, ἢ μετρίως, ἢ οὐδὲν ὠνινάμενοι, τούτους ὑγροὺς ἐγὼ πυρετοὺς ὀνομάζω. ξηροὺς δὲ ἔμπαλιν ἐκείνους καλῶ τῶν πυρετῶν, οἷς δίψα σφοδρά, καὶ γλῶττα ξηρά, καὶ δέρμα σκληρὸν οἷον περ βύρσα, καὶ πολὺς αὐχμὸς ἐν ἅπαντι τῷ σώματι. *id est. Ego autem, impræsentiarum, quas intelligam humidas febres, exponam. Sudant quidem ægroti, statim à primis diebus, atque his sudoribus, aut leue aliquod, aut nullum prorsus sentiunt auxilium. Has itaq; febres ego humidas nomino. Siccas rursus, illas censeo nuncupandas, quibus sitis ingens, lingua sicca, cutis arida, veluti corium, & multus in vniuerso corpore squalor, infesta sunt. Huiuscemodi autem febres, potißimum quæ ex multa humiditate nascuntur, quales erant quæ Cranone viguerunt, quoniam à praua ac pestilenti putredine ortum ducant, ægrè solent iudicari: atque in perniciem agere; vt ipsemet postmodum dicet.* ταῦτα δυσκριτότερα μᾶλλον ἢ ἄλλως. *Attamen hæ difficilius iudicari videntur, quàm aliter. Cæterum, Cranone vulgatas fuisse febres, apertè non dixit, fortasse quoniam cùm his carbones erupissent, ipse verò vt status acerbitatẽ, ac malitiam ostenderet, formidabilius malum nobis proposuit; quòd paucis admodum diebus interimat. Nam quòd Cranone (loco nimirum putredini*

exposito

expoſito) in huiuſcemodi tempeſtate febres paſſim graſſarentur, nemo ſanæ mentis dubitabit. In æſtibus igitur ſqualoris, febres plurimum abſque ſudore contingunt: Nam cùm humor is, qui tunc in corpore continetur, paucus ſit, ni mio calore in vaporem exhalat, ſudoriq́; generando nõ ſuppetit. Atq; proinde, plurimum, dixit: quoniam ſi corpus aliquod, temperamento quidem humidum ſit, ac tota victus ratio, ad humidum inclinet, mirum quidem non erit, ſi per æſtum dum non pluit, ſudifica febre capiatur: vtpote quod plurimam aceruauerit humiditatem. Sudori igitur generãdo, humiditatẽ materiam ſuggerere, calorem verò vt humiditas hæc per cutem erumpat efficere, manifeſtum ita eſt, vt nullus ambigat. Abſque enim tum humiditate, tum calore, ſudor in corporibus nullo modo generari poteſt. Aëris itaque nos ambientis humiditas, plurimas aceruat aquoſas ſuperfluitates: quæ vi caloris extra cutem propelluntur. Atque ideo, in æſtu ſi vel rora tantum decidant, iam potius febres cum ſudore apparent: in initijs quidem, quoniã ea, quæ aceruata eſt humiditas, non multa ſit, ſed calore ſtatim propulſata, deinde totum corpus ſenſim ſiccius efficitur. Si ergo longo temporis interuallo pluuiæ perſeuerauerint non per initia tantum, ſed per totum morbum, ſudores erumpent. Quanquam ſtatus hic peſtilentiſſimus eſſet, prauaq́ue in corporibus generata putredine, homines quàm celerrime de medio tolleret: præſertim ſi cũ calore humiditas coniuncta appareat. Sanè igitur Hippocratis oratio rationi quidem (vt viſum eſt) ſubſcribit: pariterq́; experimento confirmata ab eo eſt, initio tertiæ huius libri ſectionis, vbi ea refert, quæ in Perintho acciderunt: ὑπὸ δὲ τὰς ψεκάδας *(inquiens)* τὰς γενομένας ἐν τῷ θέρει, ἐπεφαίνετο ἱδρὼς ἐν τοῖσι πυρέττουσι, καὶ τινὲς αὐτίκα ἱδρῶτες ἐπ' ἀρχῆς ἐγένοντο οὐ μὴν κακοήθως. *Sub roribus, quæ æſtate deciderunt, cõparuit quidem ſudor in febricitantibus: & quidam confeſtim per initia ſudores eruperunt: non tamen malefico modo. Ceterũ admonendi in hac parte ſumus, Cornarium, medicum alioqui doctiſſimum, oſcitanter admodum, ne dicam ineptè, hunc locum interpretatũ fuiſſe: quoniam initium propoſitæ orationis* ἐν καύμασιν ἀνύδροις, *id eſt, in æſtibus ſqualoris, cũ præcedente, nulla prorſus ſeruata ſententiæ conſecutione, copulaſſe videtur: hunc in modum. Deinde puſtulæ, velut ab igne inuſtæ, excitabantur; & ſub cutem vri ſibi videbantur, in ardoribus ſiccitatis. Cuius ſanè lapſus occaſionem, ſibi præbuerũt, Græca propemodum omnia exemplaria vitiata.† Nec mirum profectò eſt, virum vertentem ſolum, non tamen penitius ſcrutantem autoris ſenſa, interdum delinquere.*

Sudoris cauſæ quænam ſint.

Cornarius labitur.

† Cornarius non [illegible] ſenſũ ſcrutabat, quã ſolũ uerſionem

Ταῦτα δυσκριτώτερα μᾶλλον ἢ ἄλλως.

3. Attamen hæc difficilius iudicari videntur, quàm aliter.

Nequiores eſſe dicit Hippocrates febres, difficiliusq́; iudicari eas nimirum, quæ in

quæ in calida fiunt, ac humida conſtitutione: quoniã praua cuiuſdam, ac peſtilentis putredinis ſunt ſoboles: quæ maxima ex parte cum ſudoribus erumpunt maleficis. Proinde nõ abſq; ratione in tẽpeſtate, quam in Perintho accidiſſe enarraut, dixit. Et quidam confeſtim per initia ſudores eruperunt: non tamen malefico modo. Tanquam hi ſudores frequenter malefici ſint, quòd ni mirum, tanta ſit humiditatis abundantia, vt eam calor ritè gubernare non poßit: tunc enim prauam aliquam putredinem, aut eſſe, aut ſaltem breui fore eſt neceſſum. In Perintho verò humiditas ea, quam corpora ex roribus collegerant, pauca quidem erat: ac ipſam calor maximus dißipare facile poterat. Nam tota ferè illius tempeſtatis conſtitutio, ad calidum, ſiccumq́ue vergebat. Sed iam videamus, quænam ex duabus conſtitutionibus ſalubrior ſit, aut (vt verius dicamus) minus morboſa, num ea, quæ calida ſimul, ac humida fuerit: an potius illa, quæ calida pariter, ac ſicca extiterit. Equidem, quòd ad calorem attinet, pares ſanè fuerint, atque æquales: quatenus verò, ad humidi, & ſicci oppoſitionem, maximo interuallo, humida à ſicca relinquitur. Nam ſiccitates, imbribus ſalubriores ſunt: & minus lethales. Quòd ſi quis ea, quæ diximus, probè aſſequatur, vera quidẽ eſſe cõperiet. Nam quanq̃ in ſiccitatibus febres fiant (vt inquit Hippo.) acutæ: in largis verò imbribus longæ, id quidem, intelligendum eſſe cenſeo, non de cõpoſitis intemperaturis, ſed ſimplicibus duntaxat: vt ſiccitates intelligas, eas quidem, quæ in calidi, ac frigidi oppoſitione, ſymmetriæ ſunt: ac in neutrã partẽ inclinant. Perinde etiam, & humiditates, nam ſi ſiccitates cum calore immodico iunctæ fuerint, humiditates verò in altera oppoſitione temperatæ, quis quæſo dubitabit ſiccitates ſanitati magis obfuturas? At ſi humiditates cũ calore pariter coniũgantur, longè peßima nobis ad futura diſcrimina timẽdum eſt. Non enim, veluti per ſiccitates vnà cũ calore, acutæ febres graßarẽtur, ſed peſtilẽtes, ex ſordida quadam putrefactione potius, in quibus ſanè, ſi ſudor erũpat, maleficus quidem erit. Quoniam abſque coctione fiet, ægrotumq; morbo neutiquã leuabit. Nam in vniuerſum ſudores non damnauit Hippocrates, ſiquidem plurimi optimi ſunt: ſi integre ſedent febrem, aut faciant vt ægrotus morbum facilius ferat. Plurimæ namque febres, ſudore iudicatæ ſunt: nec perſidè tamen. Atqui, ſudor hic ex morbi ratione eueniet: non autem ex temporis peſtilenti ſtatu. Proinde ſtatim ipſe ſubiunxit.

Sudores maleſici.

Quæ tẽporis conſtitutio ſalubrior calida, & humida, an calida & ſicca

Quomodo ſiccitates imbribus ſalubriores.

Ἀτὰρ ἧσσον, εἰ μὴ εἴη διὰ ταῦτα, ἀλλὰ διὰ τῆς νόσου τὸν τρόπον.

4. Cæterum, ſecus erit, ſi non propter hæc contingant: ſed propter morbi potius modum.

Quod plurimæ febres, ſudore legitime indicentur, docet experientia. Imo maxima ex parte febres, quas peracutas vocant, tertio, aut quinto die ſudore euanuiſſe

euanuisse, sunt visæ. Idque hac ratione, quoniam huiuscemodi febres, per impares dies, fiunt grauiores: quibus autem per impares dies fiunt accessiones, per impares etiam iudicia contingunt, atque celerius, quàm aliæ, quæ per pares dies excandescunt iudicantur. Propterea, Hippocrates in aphorismis scripsit: ἱδρῶτες πυρεταίνουσιν ἢν ἄρξωνται, ἀγαθοὶ τριταῖοι, καὶ πεμπταῖοι, καὶ ἑβδομαῖοι καὶ ἐναταῖοι, καὶ ἑνδεκαταῖοι, καὶ τεσσαρεσκαιδεκαταῖοι, καὶ ἑπτακαιδεκαταῖοι, καὶ μίῃ καὶ εἰκοστῇ, καὶ ἑβδόμῃ καὶ εἰκοστῇ, καὶ τριακοστῇ τετάρτῃ, οὗτοι γὰρ ἱδρῶτες τὰς νόσους κρίνουσιν. *id est. Sudores febricitanti si inceperint, boni sunt, tertio die, quinto, septimo, nono, vndecimo, & quartodecimo, & decimo septimo, et vigesimo primo, & vigesimo septimo, & trigesimo quarto. Nam hi omnes sudores, morbos iudicant. Optimus nanq; sudor est (vt in prognostico scripsit) qui in decretorio fit die, ac integrè sedat febrem. Quapropter, in præsentiarum non de sudore locutus Hippocrates est, qui in decretorio fit die, sed de eo, qui per totum morbi tempus apparet, citra iudicationem: hic enim laborem significat, & morbi longitudinem, & recidiuam, & mortem interdum. Ita enim in aphorismis proditū est.* πυρέσσοντι ἱδρὼς ἐπιγινόμενος, μὴ ἐκλείποντος τοῦ πυρετοῦ κακὸν, μηκύνει γὰρ νοῦσος, καὶ ὑγρασίην πλείω σημαίνει. *id est. Febricitanti sudor superueniens, febre non deficiēte, malum; prorogatur enim morbus & multam significat humiditatem. Ergo, si non ad temporis statum animum conuertas, sed morbi potius modum, nempe naturam intuearis, quæ de sudore colliguntur notæ, maleficæ non sunt: quin potius bonum magna ex parte portendunt: At verò quòd febrium modos, quandoque naturam ipsam vocent Græci, quandoque verò differentias, ac mores, apertè Galenus tertio, in primum de morbis vulgaribus commentario, annotauit.* τρόπους πυρετῶν, ἐνίοτε μὲν τὰ ἔθη καλοῦσιν, ἐνίοτε δὲ τὰς διαφορὰς, καὶ τὰς οὐσίας. *id est. Febrium modos interdum quidem mores nominant, interdum differentias, interdum substantiam ipsam.*

Sectione quarta apho. 36.

Sectione. 4. aphoris. 56.

Οἱ καῦσοι ἐν τῇσι θερινῇσι μᾶλλον γίνονται, καὶ ἐν τῇσιν ἄλλῃσιν ὥρῃσιν. ἀποξηραίνονται δὲ μᾶλλον θέρεος. φθινοπώρου μάλιστα θηριώδεες, ἐν ᾗ καρδιαλγία, καίτοι καὶ αὕτη ἥκιστα κακοεργίων, αὐτοῦ τοῦ νοσήματος τοιούτου ἐόντος.

5. Ardentes febres, per æstatem magis fiunt: licet in alijs etiam temporibus appareant. At æstate exsiccantur magis: ferinæ autem per autumnum præcipuè grassantur: adestq; cordis morsus, quanquam is, minus maleficus sit, cū talis morbi natura existat.

Temporum anni temperaturas hominū corpora transmutare, ad suamq; naturam conuertere, manifestum est. Nempe, qui sicci sunt aëris status, sicciora corpora reddunt: qui verò iusto humidiores, ea laxiora, ac humidiora efficiunt: perindeq; de reliquis oppositionibus est iudicandum. Hinc est, quòd

hyeme pituitæ plurima acervetur copia, æstate verò bilis, autũno bilis atræ, vereque (vtpote temperatissimo) sanguinis generetur multitudo. Nam, cùm hyemis temperatura, frigida ac humida sit, tum à pluuiarum multitudine, tum noctium longitudine, frigidi, humidiq; succi plurimum generari par est. Nec mirum etiam, si quæ frigiditati, ac humiditati adscribuntur ægritudines eo tempore potissimum appareant: quemadmodum laterales morbi, pulmonis inflammationes, tusses, pectoris dolores, quæ omnia præ aëris inspiratione attracti frigiditate, maximè fiunt: quomodo & partium neruosarum dolores, vt capitis, ac lumborum. Porrò, grauedines eo tempore, raucedinesq́ue, vertigines, & apoplexiæ, propter maximam humidi frigidiq́ue humoris redundantiam erumpunt. At æstate, quoniam tunc aëris nos ambientis temperatura calida simul ac sicca sit, bilis plurimum generatur: desiccato nimirum, abundeq́ue calefacto corpore. Vbi igitur ea supra modum abundauerit, ex ipsa morbi generabuntur: ac pro diuersitate partium in quibus decubuerit, hunc, vel illum afferet affectum. Nam si hæc per summa natet, vomitum inferet: si ad inferiora deuoluatur, alui profluuia sequentur: si vi caloris ad superiora nempe caput euolet, lippitudines oculorũ, auriumq; dolores succedẽt: necnon & oris vlcerationes. Nam quod ab Hippocrate adiectũ malum est, de genitalium putredinibus, non perpetuum existit: sicuti Galenus diligenter adnotauit. Id enim bilioso humori non refertur acceptum, sed nequam, ac putrido. Cum igitur æstatis tẽperatura ad humidum inclinauerit, aut in ea austri freqũeter spirauerint, hæ putredines fient: non tamen in genitalibus solũ, sed etiam in quauis alia corporis parte putredini opportuna. Talia erant illa quæ in Thaso accidisse recensuit. Atqui nos de hac status intemperie, satis, superq; in præcedentibus diximus. Quòd si æstas suam seruet naturam, hæc mala non accidunt: nisi his qui praua, multisq́ue recrementis scatent: quia, cum partes illæ sint languidissimæ, in eas celeriter malum decumbit. Cæterũ, si totus in vasis ob nimiam caliditatẽ efferuescat biliosus humor, proculdubio ardentes febres generabit: quas Græci καύσους vocant. Quòd autem hæ febres aliquando ex iecinore, intèrdum verò ex pulmonibus, quandoque ex ventriculo, aut alia parte incitamentũ accipiãt, manifestum est: vt cum in aliquam harum partium tenues, ac acres humiditates influxerint. At verò, hæc causi generatio ex causa interna ducet originem: quam Græci προηγούμενον αἴτιον. id est, antegredientem vocant. Est nanque alius generationis eiusdem modus: ex euidenti aliqua occasione profectus, veluti ex itinere longo, ex longa etiam siti, ex vini insuper robustioris potu. Enimuero ex longo itinere, exsiccatæ supra modum venæ, tenues, acresq́ue humores, quos Hippocrates ἰχῶρας vocauit, ad se trahunt: atque ita ex eorum acrimonia febris accenditur:

Pituitosi morbi qui hyeme potissimum generantur.

Biliosi morbi qui æstate maxime nascũtur.

Causus ex interna causa.

Causus ex causa externa.

ditur: quæ ardens quidem est, ab externa tamen causa proueniens, quam Græci πυρετὸν καυσώδη *nuncupant. Quinetiam, ex ingenti siti, arefactæ pariter venæ tenuibus, acribusq; referciuntur humoribus: ad quos huius morbi generatio refertur. Proinde Hippocrates, ad hanc spectans ardẽtis febris originem, initio quarti de victus ratione in morbis acutis, cùm causi generationem doceret, inquit:* Καῦσος δὲ γίνεται ὁκόταν ἀναξηρανθέντα τὰ φλεβία ἐν θέρει, ὥρῃ ἐπισπάσηται δριμέας, καὶ χολώδεας ἰχῶρας ἐς ἑωυτά. *id est. Causus fit, cùm præ siccitate, æstiuo tẽpore, venæ, acres & biliosas, quæ tenues sint, trahunt ad se humiditates, quas* ἰχῶρας *vocant. Et paulò post subiunxit.* γίνεται δὲ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ καὶ ἐκ πορείης μακρῆς, καὶ δίψεος μακροῦ, ὁκόταν ἀναξηρανθέντα τὰ φλεβία, δριμέα, καὶ θερμὰ ῥεύματα ἐπισπάσηται πρὸς ἑωυτά. *id est. Fit autẽ magna ex parte, longum ob iter, longamq; sitim, cum venulæ arefactæ, acres calidasque fluxiones, ad se traxerint. Vides quomodo causi meminit, qui ex causa externa proficiscitur? Atqui, ritè adiecit, æstiuo tempore, quoniam præcipua eius generatio æstate fit, consentiẽte nimirum temporis statu, atq; temperatura, quod & in præsenti significare voluit oratione, scribens in hunc modum: Ardentes febres per æstatem magis fiunt: quòd nimirum earum materia eo tempore turgeat. Cæterum in alijs etiam temporibus apparent: præcipuè autumno, qui morbos plurimos æstiuos excipit. Nam cum æstate, humores omnes vi caloris in halitum euanescant, ac in superficiem ducantur, autumni frigoribus in altum corporis truduntur, ac intima viscera petunt. Quòd si humor aliquis biliosus, tunc remanserit, interius efferuescit, lethalemque causum operatur: cordis inferens dolorem; ac biliosas deiectiones. Atque ob eam rem, ferinas magis per autumnum ardentes febres grassari scripsit Hippocrates. Verum de his paulò post dicemus. Nunc verò tantum dixisse sufficiat, quantum ad præsentem sermonem sat est. Nempe, & per autumnum ardentes grassari etiam febres, necnon & per ipsum ver: si corpus biliosum summè fuerit, ætateque floreat, biliosóque vsus fuerit victu: adde etiam & regionem calidam simul ac siccam esse. Itaq; ardentes febres plurimæ æstate fiunt; multæ autumno: paucæ vere: paucißimæ, aut nullæ hyeme. Nam morbi (vt inquit Hippocrates)* πάντα μὲν πάσῃσι τῇσιν ὥρῃσιν γίνεται. μᾶλλον δ' ἔνια κατ' ἐνίας αὐτέων καὶ γίνεται καὶ παροξύνεται. *id est. Omnes in omnibus temporibus fiunt: quidam verò magis in quibusdam eorum & fiunt, & exacerbantur. Cùm non solum ex aëris temperamento, morbi generentur, sed ex his, qui in victu contingunt erroribus. Proinde mirũ non est si ardentes febres, in alijs etiam temporibus appareant. Cæterũ, vt ipse dixit: æstate exsiccantur magis, ferinæ autẽ per autumnũ præcipuè grassantur. In qua sanè parte, causos qui æstate fiunt, cũ his, qui autũno generãtur confert:* Sectione. 3. aphoris. 19.

aliorum verò, qui in alijs temporibus euenire possunt, ne verbū protulit. Quoniam in his duntaxat temporibus, æstate, & autūno, præcipuè fiant, atq; frequenter. Quomodo autē, eas febres exsiccari magis per æstatem dixit? Nam febres corpora exsiccare potius, quàm ipsas exsiccari par est. Atqui nouimus ipsum qualitates quandoq; pro subiecta substantia desumere, Quemadmodū in eo aphorismo accepisse videtur: τὰ αὐξανόμενα, πλεῖστον ἔχει τὸ ἔμφυτον θερμόν. id est. Quæ augentur corpora, plurimū habent calidi innati. Ad substantiam planè id referens: nequaquam autē, ad qualitatem. Interdum verò, accuratè pro ipsismet qualitatibus: quod sanè apertum est. Itaq; in præsenti sermone, febrem, pro febricitantibus corporibus vsurpauit, atq; ipsa dixit per æstatem sicciora apparere. Quoniam eo tempore, magis in ipsis siccitatis symptomata sæuiant: qualia sunt tum sitis inexhausta, tum linguæ ariditas, tum etiam vigiliæ iuges. Sed quanquam æstate hæc symptomata, quæ ad siccitatem spectant, sint sæuiora, febres q; sicciores appareant, autūno tamen maleficentiores iudicādæ sunt: cuius rei causam, iam superius patefecimus. Nam cùm motus acrium, tenuiumque humiditatum, quas ex æstate remansisse non est mirum, ad internas corporis sedes, præcipuaq; viscera fit, truculentiora vt appareant symptomata, est necesse. Talia autem sunt, tum cordis morsus, tum etiam biliosæ deiectiones. Huius quidem rei testis, Galenus ipse est: qui in libro de acutorum victus ratione quarto, hæc verba protulit: Ἐγὼ δὲ φημὶ καὶ τὸ, τὰ περὶ τὴν νηδὺν δάκνεσθαι, καὶ διαχωρεῖν χολώδη, οὐ τῶν διὰ παντὸς συνόντων τοῖς καύσοις εἶναι, διὰ γὰρ τὸ μέγεθος τοῦ νοσήματος, καὶ τὴν ἔσω ῥοπὴν τῶν δριμέων ἰχώρων, ταῦτα συμβαίνει, τοῖς κατὰ γαστέρα καὶ ἧπαρ ἔχουσι τὴν οἷον ἑστίαν τοῦ καύσου. id est. Ego autem dico, & ventrem morderi, & biliosa deijcere, non esse ex his, quæ perpetuò febribus insunt ardentibus. Nempe quòd vehemens morbus sit, motusque acrium, tenuiumq; humorum, ad interna sit, propterea hæc contingunt: his qui ventrem, heparque causi veluti sedem habent. Cæterum, quòd talis humorum ad interna motus, autumno fiat, æstate verò, contrario modo humores ad superficiem ducantur, idem etiā Galenus confirmat, aphorismorum tertia sectione. οὐ μόνον δὲ κατὰ τοῦτο μοχθηρὸν ἐστὶ τὸ φθινόπωρον, ἀλλὰ καὶ ὅτι πρόσθεν μὲν, οἱ χυμοὶ τὴν ἐπὶ τὸ δέρμα κίνησιν ἐκινοῦντο, καὶ διεπνέοντο, κατὰ δὲ τὸ φθινόπωρον εἰς τὸ βάθος, ὑπό γε τοῦ περιέχοντος ψύξεως, ὠθοῦνταί τε, καὶ συνελαύνονται. id est. Non solum verò hac ratione, autūnus malus est: sed etiā quia præcedente tempore, humores mouebantur ad cutem, atque difflabant: autumno verò, ob ambientis frigiditatem, in altum corporis truduntur, impelluntur q;. Hæc itaq; demonstrant, nō esse præter rationem, quòd ardentes febres, ferinæ magis per autumnū videantur. Nam ferinas (quas θηριώδεις dixit) ex feris, quæ venenum iaculantur, translatitia appellatione nominauit:

Qualitas pro substantia.

Autumno humorū fit latio ad interna.

atque

atq; eo nomine sæuas, ac lethales intelligi voluit. Quanquam, alia lectio non φθινοπώρου μάλιστα θηριώδεες, quod ad febres refertur: sed absoluto sermone φθινοπώρου μάλιστα θηριῶδες, quod est: autumno ferinum magis sæuit; habeat. Quam Cornarius, nõ vulgaris eruditionis vir, secutus esse videtur. Cõuenitq; maximè cum illa, quæ sexto vulgariũ morborũ libro scripta est: τὸ θηριῶδες φθινοπώρου ἐπὶ αἱ καρδιαλγίαι, καὶ τὸ φρικῶδες, καὶ τὸ μελαγχολικόν. id est, ferinũ, autumno viget: cordisq; morsus, horridumq;, ac atrabilare. Verum enimuero in hac, quam ex sexto libro citauimus, plurima adijciũtur, quæ in proposita desiderantur; quale illud horrificum, & atrabilare. Proinde, rationi propius accedit, vt prima lectio genuina sit, atq; germana Hippocratis: tum propter sententiæ grauitatẽ, tum etiam propter sermonis consequutionẽ. Nam, si ex sexto libro esset translata, procul dubio integra cũ non sit, transferentis inscitiam ostenderet. Adde, quòd in his partibus Hippo. institutum diuersum est. Nam in libro vulgariũ morborũ sexto, ægritudines, quæ Autumno eueniunt numerat: in hoc verò, ardentiũ febrium, tum æstatis, tum autumni facit collationem. Quæ cũ æstate maximè grassentur, sicciores q; eo tempore appareãt, per autumnũ ferinæ magis, hoc est, sæuæ atq; exitiales corporibus occurrũt: propter eam, quam memorauimus causam: adestq; cordis morsus, quod sanè symptoma, ipsarũ truculentiam, ac immanitatẽ ostendit. Ventrem enim morderi, vt antea diximus, non cuiuis ardenti febri, sed atrocissimæ potius conuenit. Quod autem καρδιαλγία, aut καρδιωγμός, id est, cordis dolor, ad os ventriculi referatur, manifestum ita est, vt probari non debeat. Cæterum, ne quis id præter rationem, dictum arbitretur, videat Aphorismorũ sectionem quartam, aphorismo sexagesimo quinto, qua in parte Galenus hæc inquit. ὅτι μὲν οὖν, οὐ μόνον τὸ σφύζον ἐξ ἑαυτοῦ κατὰ φύσιν σπλάγχνον, ἀλλὰ καὶ τὸ στόμα τῆς γαστρὸς, οἱ παλαιοὶ καρδίαν ὠνόμαζον, ἐστὶ τῶν ὁμολογουμένων ἐστί. ὥσπερ γε καὶ ὅτι καρδιαλγίαν τὰ τούτου τοῦ μέρους ἀλγήματα προσαγορεύουσιν. id est. Quòd non solum id viscus, cui pulsus opificium refertur, sed etiam ventriculi os, cor nominarint antiqui, vnum aliquid ex confessis apud omnes est. Sicuti etiam, quòd cordis dolorem, huius partis dolorem appellent. Videat præterea, librum de Hippocratis, atque Platonis placitis secundum, cuius verba referre impræsentiarum, vt longitudinem fugiamus, haud quaquam est opus. Attamen Nicandri testimonium de hac re, audire conueniet, viri profectò, tum vetustissimi, tum etiam de medica re, optime meriti: qui in alexipharmacis, cum ea, quæ aconitum epotum symptomata sequuntur, recenset, hæc inquit:

Τοῦ δὲ πάντα χαλινὰ καὶ οὐρανόεσσαν ὑπήνην
ἔλα θ' ὑποστύφει χολόειν ποτόν. ἀμφὶ δὲ πρώτοις
εἰλύεται στέρνοισι κακῇ ἀλάλυγγι βαρείων

θηριῶδες. id est ferinum, quid nominauerit Hippocrates.

καρδιαλγία, aut καρδιωγμός, nõ cordis affectus sed oris ventriculi censeri debet.

φθῖτ' ἀμφὶ καρδιόωντα, δύη δ' ἐπιδάκνεται ἄκρον
νειαίρης, ἄκλειστον ἀειρόμενον στόμα γαστρός,
τοὔχεος, ἣν κραδίην ἐπιδόρπιον, οἱ δὲ δοχαίαν
κλείουσι στομάχοιο. *Hæc carmina ita conuertimus.*

Huius summa labra, & connexa in parte palati
Sedem, ac gingiuas adstringit potio dira.
Atque in transcursu, circum præcordia magno
Voluitur impulsu: atque hominem male corde dolentem
Exagitat grauiter, tumidi nanque hostia ventris
Noxa tenet; ventris dico, quod cor cereâle
Quidam, aut dixerunt, potusque, cibique lacunam.

His sanè carminibus Nicander, totam huius vocis καρδιαλγία *interpretatus est vim, atq; rationem. Sed iam videndum est, quare Hippocrates, antumno vigentem* καρδιαλγίαν, *minus maleficam esse dixerit. Equidem, tota orationis vis, in ea dictione, minus, consistit. Nam cordis morsum, perpetuò esse maleficum non poterat inficiari, cùm morbi cuiuslibet magnitudo, tum ex parte affecta, tum ex materia, quæ morbum parit, colligatur. Quantũ enim partis præstantia ad magnitudinem, sæuitatemq; morbi faciat, nemo nescit. Veluti si pituita in cerebrũ decubuerit, inibi formidabilius malum pariet: quàm si in aliam partẽ se receperit: quemadmodũ etiã, si in cor impetũ fecerit, id nanq; viscus solum abscessum pati non potest. Idem planè: & de materiæ prauitate sentiendum est, quod & venenatæ potiones docebunt: quibus interdũ, similes humores, in corpore generantur: tota natura delibutorij. Cùm itaq; dixerit, minus maleficum esse cordis morsum, qui autũno febricitantes exagitat: videtur sanè, id in respectu ad aliquid dixisse: tanq̃, si ita reliquisset scriptum: cordis morsus, quanquam maleficus sit, nõ tantũ officit Autũno, quantũ æstate. Nam, quod morsus hic autũno magis fiat, nempe à frigore circumfusi aëris introrsum protrusis humoribus, iam à nobis confessum est. Atqui vt ipse in Aphorismis aiebat:* Ἐν τῇσι νούσοισιν, ἧσσον κινδυνεύουσιν, οἷσιν ἂν οἰκείη τῆς φύσιος, καὶ τῆς ἡλικίης, καὶ τῆς ἕξιος, καὶ τῆς ὥρης ἡ νοῦσος ᾖ μᾶλλον, ἢ οἷσιν ἂν μὴ οἰκείη κατὰ τι τούτων *id est. In morbis, minus periclitantur, quorum naturæ, aut habitui, aut ætati, aut tempori, magis congruit morbus; quàm quibus minus. Æstate siquidem, cum humores, à calore in halitum digerantur, ac superiora petant; si ventriculi os mordeatur, ac vellicetur, humorem aliquem iam exustum significabit: qui suo pondere fidat, infarctusque adeò sit, vt vi caloris in altum extolli non possit. Nam, quòd attinet ad partem affectam, pares vtique fuerint, & qui Autumno, & qui æstate molestant. Quatenus verò, ad materiam, ex qua affectus prodit, maleficentior planè fuerit is, qui ex*

Cordis morsus autumno minus maleficus.

Aphorismorũ. 2. aphoris. 34.

qui ex superassata bile ortum duxerit, eo qui ex semiassata, aut nullo pacto excusta, verum dumtaxat acri, proficiscitur.

Αἱ Ἀσκαρίδες δ' εἴλης, ὁμοίως τούτῳ, καὶ ἐκεῖνα τὴν ἰκαῦτα ὀχλέουσι τῆς ἡμέρης τὰ πλεῖστα, οὐ μόνον διὰ τὸ μᾶλλον πονέειν, ἀλλὰ καὶ αὗται διὰ σφᾶς ἑωυτάς.

6. Ascarides pomeridiano tēpore similiter in ipso: atq; eam diei partem potissimum perturbant, non solum ideo, quod tunc magis labores affligant, sed etiam ipsæ per seipsas.

Quod Autumno, prauorum succorū copia generetur, tum ex victus ratione, tum etiā, ex temporis inæqualitate contingit. Siquidem per autumnū, homines plurimi fugacibus fructibus se ingurgitant: qui omnes & maligni sunt, & eo tempore abundant: atque si in ventriculo computrescant, medicamenti deleterij naturam ferè induunt. Proinde, & si ea, quæ ad ambientem aërem spectat, intemperie esset expers, proculdubio, nequissimis morbis, nihilosecius esset obnoxius, ob peccatum scilicet, quod in victu contingit. Cum itaque & cum eo, qui in victu consistit errore, temperies aëris inæqualis accedat, non mirum est, si morbi tum plurimi, tum nequissimi eo tempore eueniant: quos in Aphorismis recensuit: ac ipsos, per capita iterum præstrinxit, in sexto vulgarium morborum libro, sectione prima, in hunc scribens modum: τὸ θηριῶδες φθινοπώρου, καὶ αἱ καρδιαλγίαι, καὶ τὸ φρικῶδες, καὶ τὸ μελαγχολικόν. *id est. Ferinum Autumno magis viget, & cordis morsus, horridumq;, ac atrabilare. Nam quòd bilis atra maximè vigeat, facit quidē eius temperatura, quæ cùm frigida sit, assatum per æstatem sanguinē excipit: extinctoq; calore frigidum siccumque seruat: vt tum insaniæ generandæ, tum elephantiasi faciat satis. Quòd autē horrores fiant, nihil mirū est, cùm propter, temporis inæqualitatē; modo frigus, modo calor sentiatur, qui verò ex calore in frigus descendunt, horrore concutiūtur: veluti qui in balneis æstuāt, si frigidiori aëri se exposuerint. De cordis præterea morsu, abundè satis diximus, cùm præcedentem sermonem interpretabamur: nempe, quòd Autūno plurimū contingat. Cæterum, quod ferinū dixit, id satis cū præsente oratione facit. Enimuero, ventris animalia, ita vocauit Hippocrates: quòd noxas paulò minus sæuiores inferant, quàm feræ, quæ venenū eiaculantur. Nam, vt alia omittam, quæ lumbricos sequuntur symptomata, id vtiq; silendum nō est: quòd plurimi (vt Paulus refert) nulla ipsorū cura habita, exesi ab ipsis sunt: & conuulsi interierūt. Alij, se lumbricos vidisse perhibent: qui ex inguinibus ægroti eruperint. Non immeritò igitur Hippocrates, id animalium genus, ferinum nominauit:* θηρία *enim non feras solum, sed & lumbricos aluū occupantes, Hippocrates vocat: quod sanè Galenus in antiquarū Hippocratis vocū enarratione apertè confirmat, scribens:* θηρία τά τε ἕλμινθα, καὶ τὸ ἄγριον ἕλκος. *hoc est,* θηρία *i feras nominat,*

Ferinum vocat Hippocrates lumbricorū genus.

& lumbricos, & vlcera sæua. Deinde verò paulò post dicit: εἶτα γὰρ τοῖς ἄλλοις καὶ τὸ θηρίον εἰπών, τὰ γὰρ τοῖς ἐντέροις συνιστάμενα, δηλοῖ, τὰς ἕλμινθας δηλονότι, καὶ τὰς ἀσκαρίδας, ὥσπερ καὶ ὅταν εἴπῃ, φθινοπώρου τὸ θηριῶδες, ἀπό τινος τῶν εἰρημένων ὀνομάζει. *Deinde, in alijs, cùm feram, id est,* θηρίον *dicit, quæ in intestinis continentur animalia, intelligi voluit: lumbricos, videlicet, atque ascaridas, quemadmodum, cùm dixit: Autumno ferinum viget: à quopiam prædictorum sumpsit denominationem. Hæc autem animalia, Autumno generari dixit: quoniam tunc, propter aëris nos ambientis inæqualem temperaturam, & quòd non amplius recrementa per halitum digerantur, quemadmodum in præcedenti constitutione, prauæ cuiusdam putredinis seminaria interius parantur: quæ lumbricis generandis materiam suggerunt. Adde quod fugaciũ fructuum esus, qui facillimè corrũpuntur, ad id etiam non mediocriter conducit. Horum verò, in vniuersum triplex genus existit: vnumquodq; priuatim in corpore sibi propriam vendicans sedem. Nam ex his, qui teretes vocãtur, in gracilibus fiunt intestinis: atq; iccirco in ventriculum freqũeter deuoluuntur. Qui verò, lati nuncupantur, ex tunica intestinorũ, in materiam animalis modo mobilem transmutata, generantur. Atq; proinde, mira quandoq; visuntur magnitudine, ac propemodum incredibili: vt visas aliquando intestinorũ tænias, quæ triginta cubitos æquarent longitudine Plinius asseueret. Quod sanè, & nos ipsi vidimus, minori paulo longitudine, in Æthiope quodã, quem crudus quidam ventris dolor, cum totius corporis marcore, diutissime exercuerat. Hi autem lati lumbrici, propter hanc insignem longitudinẽ interdum fasciæ à Latinis scriptoribus vocantur. At, qui ascarides nominantur, minutissimi in extrema recti intestini parte generati, qua sphincter musculus anum claudit, vehementissimos inferunt pruritus. Atq; ideo, horũ duntaxat meminit Hippocrates: vel quoniã per hos reliquos intelligi voluerit, vel quoniam horum sensus, maximè repræsentetur, hominemq; magis fatiget. Nam alia lumbricorũ genera, nõ adeò manifestam de se præbẽt coniecturam. Quin potius, aliquando quanquam ventris obsideant regionem, tum medico, tum etiam ægroto ignotum id est. Rectè igitur Hippocrates dixit, ferinum Autumno grassari, atque tum maximè vigere, quoniam ex cruda, crassáque, ac putredini opportuna materia (qualis ex fugacibus fructibus suppeditatur) lumbricorum omniũ origo existat. Nam quòd per ferinum, sæuos, lethalesq; morbos intelligat, Cancrum nimirũ, elephantiasim, & tabem, vt plurimi fuerunt, qui in hanc descenderunt sententiam, ita ipsos à veritate deuiasse puto. Siquidẽ hæc omnia, in eo quod atrabilare dixit, cõplexus est. Galenus enim, sexto Vulgarium morborum libro, cùm hæc omnia recenseat, nihil tamen inibi probasse visus est: sed ea tantũ admisisse, quòd in hanc vnam conspirarent veritatem*

Lumbricorũ generatio maxime autumno ex sordidâ quadam putrefactione.

Lumbricorum mira lõgitudo.

veritatem omnes sententiæ, per Autumnum nimirum, hæc omnia mala generari. Ferinũ itaq; ad ventris animalia tutò referendum putamus: quæ cũ autumno generari alibi dixerit, in præsenti sermone in qua diei parte magis sæuiant ostendit: inquiens: Ascarides pomeridiano tẽpore, similiter in ipso, quoniam post meridiem maximè in ipso Autumno Ascarides sæuiant. Quod autem nos post meridiem, aut pomeridiano tẽpore dicimus, id Hippocrates δείλης Græce dixit. Δείλη igitur, interdum matutinum, interdum verò, vespertinum significat crepusculũ. At cùm absolutè profertur, dumtaxat pro tempore sumitur pomeridiano: quãdo iam vergit sol ad occasum. Nam cùm diluculum significare volumus, ἑώαν δείλην dicimus: quomodo Synesius: λύσαντες ἐκ Βερνικίδος περὶ δείλης ἑώας, μόλις ὑπὲρ μεσοῦσαν ἡμέραν τὸν φάριον παρηλλάξαμεν. id est. Soluentes autẽ matutino crepusculo, vix sub diei æstu percurrimus Pharium. Quanquam interdum, ex superabundanti, cùm vespertinum crepusculum significare animo est, ὀψίαν etiam addamus, quemadmodum Demosthenes: ἠρξάμεθα δὲ τοῦ διαψηφίζεσθαι δείλης ὀψίας, ὥστε συνέβη, ἡνίκα τοὐμὸν ὄνομα ἐκάλει, τὸ σκότος ἤδη εἶναι. id est. Cæpimus autem recenseri vespertino crepusculo, ita sanè, vt cùm nomen meum aduocaretur, nox esset. At quòd, si absque appendice proferatur, nunq̃ pro diluculo sumatur, exemplis plurimis ostendam, principio Aristotelis Stagiritæ, in Problematis: διὰ τί ὁ ζέφυρος πρὸς τὴν δείλην πνεῖ, πρωῒ δὲ οὔ, id est, quare Fauonius vespertino crepusculo flat, matutino verò nequaquam. Homerus etiam, ἰλιάδος φ.

ἔσσεται ἢ ἠὼς ἢ δείλης ἢ μέσον ἦμαρ. id est.

Aurora aut vesper aderit, medium'ue diei. δείελον idem

Rursus & alibi δείελον dicit in eadem significatione εἰσόκεν ἔλθῃ quod δείλη.

δείελος ὀψὲ δύων σκιάσῃ δ' ἐρίβωλον ἄρουραν id est, adfueritque

Vesper, & occidua cingat caligine terras. Quin etiam & alibi.

τέρποντ'· ἤδη γὰρ καὶ ἐπήλυθε δείελον ἦμαρ.

Gaudebant, siquidem veniebat vesper ab alto.

Eodem planè modo Theocritus.

ἀέλιος μὲν ἔπειτα ποτὶ ζόφον ἔτραπεν ἵππως
δείελον ἦμαρ ἄγων.

Sol tamen interea tingebat atrore quadrigas
Vesper & aduersa surgebat parte.

Hæc omnia, dilucidè ostẽdunt, Hippo. cùm absolutè δείλην scripserit, præter pomeridianũ tempus, nihil aliud significare voluisse: quo tempore Ascarides corpora magis perturbant. Non quoniam tunc dolores magis affligãt, vt ipse dixit, siquidem id vniuersale est, vt postmodum dicet, nempe, Autumno post meridiem morbos ingrauescere: sed ipse etiã per seipsas: tanquam ita dixisset,

Ascarides post meridiem magis afficiunt.

Δείλη quid.

Sed quoniam talis sit earum natura. Sanè, quæ ex natura rei desumuntur, maxime docet experientia. Proinde, experimento animum appulit, nihil rationem moratus, quam quisque pro ingenio sibi potest meditari, dum id quod experimento comprehensum est, non inficietur. Nobis verò, quo in hac parte officium nostrum præstemus, dicendum est. Ascaridas, vtpote quæ autumno præcipuè generentur, tam insignem ex ipso contraxisse virtutem, tam accurateque, ipsius naturam sequi, vt semper ea diei parte, quæ Autũno proportione respondet (tale autem est, pomeridianum tempus) ipsæ veluti irritatæ, aut ex horæ familiaritate nonnihil contrahẽtes prauitatis, in pernitiem nostram furiose debacchentur. longè quidem aliter quàm Autumnales morbi reliqui, qui cùm extra Autumnum fuerint, nihil penitus, aut minimum mutationis in Autumnali diei parte, subire deprehenduntur. Ascarides autem, per quas, & reliquum lumbricorum genus intelligi volumus, sæuissima inferunt ad vespertinum tempus symptomata, non febres solum; sed conuulsorias corporis totius cõmotiones, vomitus etiam, & cardialgiam, capitis etiam dolores, & deliquia. Quod sanè in pueris multoties vsuvenire conspicimus: atq; ob eam rem, Hippocrates libro morborũ vulgarium sexto sic scripsit: πρὸς τὰς ἀρχὰς τοὺς παροξυσμοὺς σκέπτεσθαι, καὶ ἐν ἁπάσῃ τῇ νόσῳ, οἷον τὸ ἐν δείλῃ παροξύνεσθαι, καὶ ὁ ἐνιαυτὸς, ἐν δείλῃ καὶ αἱ ἀσκαρίδες. id est. Circa initia, exacerbationes considerandæ sunt, in omni morbo: veluti ad vesperam exacerbari, & annus similiter: ad vesperam etiam Ascarides. In qua parte, cùm eorum, quæ dixerat exemplum proponeret, ad vesperam exacerbari, quod Autumni est, seorsum ab alia parte dixit, in qua Ascaridas ad vesperam etiam apparere scripsit. Nam id, autumno similiter peculiare existit. Equidem, Hippocratis doctrinam indies magis admirari animum subit, cùm videam hominis acerrimũ ingenium, sibique perpetuò simile. Eorum namq;, quæ in hoc secundo libro scripserat non immemor, reliqua etiam scripsisse videtur. Nam, cùm in præsenti oratione dixisset, Ascaridas post meridiem maximè vrgere, nõ ideo, quòd tũc labores magis afficiant, sed ipsas penitus ex se, id est, ex sua natura; meritò in ea parte, seorsum à peculiari illa morborum exacerbatione, de Ascaridibus sermonem fecit. Vides igitur, quomodo ab Hippocratis sentẽtia desciscant hi, qui prædictam orationẽ ita legũt: & annus ad vesperam: per vesperam autũnum intelligentes. Cùm liceat Hippo. sententiã seruare incolumem, etiam si nihil tam nouũ attuleris, nempe δείλην autumnum significare. Quanq̃ nõ me fugiat, Galenũ eius lectionis meminisse, verũ ipsam laudasse nõ cõperio. Nam, quòd de diei tẽpore, & nõ anni, ea vox impræsentiarũ efferatur, satis abũdè hæc verba, quæ Hippocrates adiecit, declarant. καὶ ἐκεῖνα τηνικαῦτα ὀχλέουσι τῆς ἡμέρης τὰ πλεῖστα. id est. & eam diei partem potissimum perturbant.

Ascarides post meridiem vrgent.

Quod de Ascaridibus dicitur de reliquis lũbricis est intelligendum.

Ἐν φθινο

Ἐν φθινοπώρῳ ὀξύταται νόσοι, καὶ θανατωδέσταται, τὸ ἐπίπαν ὅμοιον δὲ τὸ δείλης παροξύνεσθαι, ὡς τοῦ ἐνιαυτοῦ περίοδον ἔχοντος τῶν νόσων, ὅιον, ἡ ἡμέρη τῆς νόσου. ὅιον τὸ δείλης παροξύνεσθαι, διὰ τὸ τῆς νόσου καὶ ἑκάστης καταστάσιος πρὸς ἀλλήλας, ὅταν μὴ νεωτεροποιηθῇ ἐν τῷ αὐτῷ εἴδει, εἰ δὲ μὴ ἄλλης ταῦτα καταστάσιος ἂν ἄρχοι.

7. Autumno morbi acutissimi fiunt: lethalesque magis: in vniuersum simile quid habent, vt pomeridiano tempore, grauiores euadant. Quod scilicet annus, habeat circuitum vniuersalem morborum, quemadmodum dies morbi priuati. Quale igitur est, autũno pomeridiano tempore morbũ ingrauescere, talis vniuscuiusque morbi, ad vnamquamque constitutionẽ ratio est: dum nihil in priore specie nouetur, alioqui alia, pro alia, tempestas inciperet.

Primam huius sermonis partem, in Aphorismis scripsit: eisdem ferè verbis: ἐν φθινοπώρῳ ὀξύταται αἱ νοῦσοι, καὶ θανατωδέσταται τὸ ἐπίπαν, id est, Autumno morbi acutissimi fiunt, lethalesque magis maxima ex parte ὀξύταται, verò ab eo, hoc est, acutissimæ vocatæ sunt ægritudines, nõ quidem tanquam ad motus celeritatem spectaret, sed ad ipsarũ malignitatem, ac nequitiam; quasi δεινότατα, aut χαλεπώτατα, hoc est, grauissimæ dixisset. Nam plurimi qui Autumno generantur morbi, diutini sunt: quanquam maxima ex parte lethales, quemadmodum aqua intercutem, tabes, intestinorum difficultates, eorundemque leuitates, furores, & insaniæ, quartanæ febres, ac erraticæ, & alij plures, qui recensentur. Cùm enim acutorum morborum ratio, ex duobus desumatur, ex motus nimirum celeritate, atque symptomatum sæuitate, ad alterum ipsorum respiciẽs, nempe symptomatum sæuitatem, atrocitatemque, Autumni morbos acutissimos nominauit: quoniã autumno morbi omnes magis sæuiant, ac grauiores efficiantur: multiplici sanè de causa. Primum quidẽ quoniam sanguinem ab æstatis calore superassatum excipit: ægrotusque plurimis vires sunt debilitatæ. Deinde, quoniam humores qui æstate in supernas corporis partes feruntur, autumni frigoribus ad interna propelluntur, ac viscera petunt. Accedit & his, temporis inæqualis temperatura, fugaciumque fructuum esus, qui eo tempore abundant. Hæc itaque omnia, autumnum sæuissimis malignisque morbis, reddunt opportunũ. Quòd verò deinceps dixit: in vniuersum simile quid habent, vt pomeridiano tempore grauiores euadãt, hoc modo demonstrauit: sicut annus ad vniuersalem morborũ circuitum sese habet, ita dies ad particularem morbum, si igitur in vniuersali morborum circuitu id spectetur, vt autumno acutissimi fiant, & magis lethales, merito in ipso autumnali die grauior morbi pars post meridiem, cùm sol ad occasum vergit, fuerit. Siquidem partium diei ratio hæc est: vt matutinum tempus, veri proportione respondeat, meridies æstati, occasus autũno, nox verò hyemi.

Aphorismo 3. sectiõe a[...] rismo. 9.

Acutorũ m[...] borũ ratio [...] quibus su[...] tur.

Quare acu[...] simi morbi [...] tumno ge[...] tur.

Morbi aut[...] nales post [...] diem fiunt [...] uiores, & [...] re.

Quemad-

Quemadmodum igitur de autumno dixit, ita & nos de alijs temporibus dicamus. Nempe in morbis qui æstate eueniũt, grauiorem morbum sub diei æstu esse, hyeme verò noctu. Quale enim est, autumno morbum pomeridiano tempore grauescere, talis vniuscuiusque morbi ad vnamquanque temporis constitutionē ratio est. Ergo si morbi, qui autumno generantur, in autũnali diei parte exacerbantur, sanè, & æstiui, & hyemales, hi quidem in brumali diei parte, illi verò in æstiua excandescent. Cæterum, de vere (quod temperatissimum est) quid tutò enuntiari potest? Equidem si morbum matutino tempore ingrauescere dixerimus, tum rationi tum experimēto reniteremur. Rationi quidem, quoniā cùm omnis morbus intemperies, siue ἀμετρία sit, ab eo quod temperatum est mitigatur; à simili verò intemperie sæuit, atq; exacerbatur: cuius rei & ea, quæ diximus testimonium faciunt. Nam si æstate, sub diei æstu, æstiui morbi incrudescant, non est mirum; quoniam eorum plurimi à bile sunt oriundi: quòd bilis autē in calidiori diei hora magis efferuescat, æquũ quidem est, ac rationi consentaneum: noctu verò, quæ diei pars frigidior existit, tantum abest vt bilis sæuiat, vt frigiditate quodammodo temperetur. At hyeme, quoniam frigiditate, & humiditate, humores infesti sunt, nō absre erit si per frigidiorem humidioremque diei horam magis molestent, ipsis nimirum ex horæ temperamēto refrigeratis simul & humectatis. Quòd si tum calefierent, tum desiccarentur, non perinde esset. Temperatissima igitur diei hora matutina est: atque ideo veri proportione quadam respondet. Si igitur morbus calidior fuerit, modicè ab horæ temperamento refrigerabitur: si frigidior, modicè calefiet: grauior autem neutiquam reddetur. Nam quæ temperata sunt, id quidem habent: vt cùm ex æquo ab extremis deflectant, ipsa possint quodammodo ad se trahere. Itaque si in aliqua diei parte, in ipso vere, morbi meritò temperari, mitigarique possint, id matutino tempore fiet; qua diei parte maximè symmetria viget. Porrò non parum ad præsens institutum facit, quòd morbi vere ex temporis ratione non generentur, quemadmodum in alijs temporibus, sed quicunque eo tēpore nascuntur, ex accidenti potius originem habere videantur. Ver enim saluberrimum est: minimeque morbis obnoxiũ: quod si qui in eo generentur (vt sanè multi generantur) nō ex propria veris ratione generantur: sed quòd prauis humoribus imbuta corpora, ex alijs constitutionibus excipiat, nō secus quàm exercitium, quod tametsi saluberrimum sit, impura corpora multis calamitatibus afficit: quatenus prauam per corpus materiā, vltro citróque tumultuari cogit. Sed de hac re abundè in sequentibus dicemus. Nunc verò satis sit intellexisse, longè alia ratione vere, quàm alijs temporibus morbos generari. Cùm alijs temporibus ex propria ipsorum natura morbi nascantur, hi quidem æstate, alij autumno rursus

Qua diei parte vnusquisq; morbus exacerbatur.

Morbi vere nō ex temporis ratione generantur.

Multò alia ratione vere quā alijs temporibus morbi generantur.

rursus alij hyeme, dummodo tempora suam propriam habeãt naturam. Atque ideo adiecit. dum nihil in priore specie nouetur, alioqui alia, pro alia tempestas inciperet. Neq; enim appellationes temporum morborum causæ sunt (vt scripsit Galen.) sed temperaturæ. Quapropter si æstas veri fuerit similis pro similitudine iudicium erit faciendum: quomodo etsi in autumni naturam deflexerit. Nam ea, quæ diximus omnia, de anni temporibus intelligenda sunt, cùm suam seruauerint temperaturam, si enim propriam amiserint temperaturam, alia pro alia tempestas inciperet.

Ὧδε καὶ τὸν ἐνιαυτὸν πρὸς ἑωυτὸν, οὕτως ἔχειν, ἐν τοῖσι καθεστῶσι καιροῖσι καὶ ὡραίως τὰ ὡραῖα ἀποδιδοῦσιν ἔτεσιν, εὐσταθέες καὶ εὐκρινέες αἱ νοῦσοι, ἐν δὲ τοῖσιν ἀκαταστάτοισιν, καὶ δύσκριτοι. ὡς ἐν Περίνθῳ ὅταν ἢ ἐκλίπῃ ἢ πλεονάσῃ, ἢ πνευμάτων, ἢ μὴ πνευμάτων, ἢ ὑδάτων, ἢ αὐχμῶν, ἢ καυμάτων, ἢ ψύξεων.

8. Annus igitur, si ad ipsum spectes, sic habet. In constantibus temporibus, ac annis tempestiuè opportuna præbẽtibus, stabiles morbi, iudicatuq; perquam faciles fiunt, in inconstantibus verò, iudicatũ difficiles. Quemadmodũ in Perintho cum nonnihil venti, aut tranquillitates, aut imbres, aut squalores, aut æstus, aut frigora, vel deficiant vel superabundauerint.

Hæc etiam, in Aphorismis scripta sunt: ad eundẽ ferè modum, nec verba ipsa aliquam præseferunt dubitationem. Nam si tempora ipsa tempestiuè ac secundam naturã succedant, nihil vtique a naturæ cursu euariabit: quòd si nil euariet, nec morbi ipsi euariabunt. Quin potius æstiui morbi, æstate accedent, autumnales autumno, brumales verò hyeme. Quòd autẽ ægroti in morbis minus periculi subeant, cùm ætati & tempori morbus correspondet; iam antea dictum à nobis est, Hippocratisque testimonio confirmatum. At si tempora propriam exuerint temperaturam, morbi instabiles erunt: pro temperaturæ varietate. Nam si ingens fuerit, lethales morbi erunt: si non adeò, ægrè iudicabuntur: aut omnino facient recidiuã. Cæterum quæ sit temporum anni inuicem successio, qualisque esse debeat eorum temperatura, vt tempestiuè succedant iam est antea demonstratum: vt ab ortu Vergiliarum (qui æstatis initium est) calidum siccumque sensim augeatur, vsque ad Canis exortũ: sub ortu verò Canis, austri aliquantisper perflent: deinde succedant pluuiæ, tantisper dum spirẽt Etesiæ, vsque ad Arcturi exortum: qui autumni est initium. Atque iam, vt paulatim inde fiat mutatio in frigidum oportet: vsq; ad Vergiliarum occasum, qui vbi adsit, iam frigiditas pollet: sensuque manifesta percipitur: augeturque deinde, ac circiter vernum æquinoctium venit: sub quo, vsq; ad Vergiliarum exortum temperata quædam accessio fit. Quod igitur, si annus hoc modo se habet, nullũ vulgarium morborum genus fiat, experientia

Temporũ degeneratio animaduertenda.

Temporũ naturalis successus.

perientia docet: sed dumtaxat ἀποράδες *quos vocant, hoc est, dispersi, qui victum comitantur. Proinde Hippocrates dum ea, quæ dixit experimēto vellet fulcire, quæ in Perintho contingunt proposuit. Nam ibi, si quid aut ventorum, aut aquarum, aut squaloris, aut æstus, vel deficiat, vel superabundauerit, morbi generantur; qui causæ efficienti correspondent. Perinthi autem meminit; quoniā cùm hæc scriberet fortasse ipsam incoleret, quod sanè sectione huius libri tertia videtur indicasse, scribens;* ἐς Πέρινθον περὶ ἡλίου τροπὰς θερινὰς ἤλθομεν. ἐγεγόνει δὲ ὁ χειμὼν, εὔδιος, νότιος. Τὸ ἔαρ καὶ τὸ θέρος, πάνυ ἄνυδρον μέχρι πλειάδων δύσιος. *In Perinthum per æstiuum solstitium cùm venissem, præcesserat hyems clementi cœlo austrina, ver autē, & æstas valdè absque aquis, ad occiduas Vergilias vsq;. Omnes igitur temporum mutationes in his complexus est, quæ aut per ventos, aut imbres, aut æstus, aut squalores eueniunt. Verum id non in Perintho solum, sed vbique terrarum considerare licet, cùm tempora propriam ipsorum non seruant naturam.*

Τὸ δὲ ἔαρ τὸ ἐπίπαν ὑγιεινότατον, καὶ ἥκιστα θανατῶδες.

9 Ver autē saluberrimum in vniuersum est, & minimū lethale.

Si præsens oratio prædictam præcessisset, propriam vtiq; seruasset sedem, neque in his, quæ Hippocrates scripsit, ordo desideraretur. Nam cùm primū nobis aliorum temporum naturam proposuisset, cùm illis etiam ver erat coniungendum, deinde totius anni natura explicanda. Cæterum, cùm Hippocrates in his ordini, sermonisque consecutioni non studeret, quandoquidem non in hoc ipsa scribebat, vt in lucem prodirent: sed dumtaxat vt ea, quæ tum ratione, tum experimento colligebat, memoria seruaret. hæc perpetuò meminisse decet, ne quispiam ipsum calumniari propterea possit. Siquidem sermonis propositi in his libris veritatem, non docendi modum contemplari oportet: quemadmodū & in aphorismis, & in alijs nonnullis ipsius cōmentarijs. Attamen veritas sub tam compendiosa verborum serie interdum latet; vt neque à peritissimis extorqueri possit. Quid igitur mirū, si interdum nos in laconica ipsius breuiloquentia hæsitemus? qua potissimum in his, quæ sibi scribebat, vsus esse videtur: cùm Galenus ille, interpres nunquam satis pro dignitate laudatus, pariter consilij sui inopiam sæpius promps erit. Namq; sibi dumtaxat Hippocrates in his multoties sapere videbatur. Atqui, hæc in sermonis processu longè manifesta euadent: in præsentiarum verò tantum sermonis veritatem examinemus: in quo ver in vniuersum saluberrimum, minimūque lethale esse dixit. Sanè sententia hæc in Aphorismis eisdem ferè verbis scripta est: quam abundè satis Galenus explicauit: sed ne ad Galenum in his quæ breuiter referri possunt, sit confugiendū, quantum compēdij ratio feret, ipsam nos breuiter explicabimus. Cùm ver ex sua natura temperatissimum sit, nihil

Non sermonis consecutioni: sed potius veritati in hoc libro est inuitendum.

Natura veris tēperatissima.

sit; nihil quidem supra mediocritatem operabitur. Quare nullius humoris superabundãtiam efficiet, sed sanguinem moderatum generabit: siquidem corpus id, quod proponimus, sanum sit: nullisque scateat recrementis. Quòd nec æstate, nec autumno, nec hyeme continget vnquam. Nam tametsi corpus rectè valeat, æstate in eo bilis generatur redundantia, proinde biliosis morbis id corpus expositum erit: hyeme pituitæ aceruatur multitudo, autumno bilis atræ. Meritò igitur ver saluberrimum existimatur, quoniam in eo nullus humor supra mediocrem naturæ modum accrescit. Et quanquam Hippocrates veris morbos cum recẽsuit, pernitiosissimos, numerauerit, nempe furores, affectus melancholicos, morbos comitiales, & similia: non voluit ex veris propria natura hos morbos generari: sed quoniam hominibus quàm plurimis ex autumno, & hyeme prauorum succorum copia sit collecta, quam vere morbum parere (vt antea diximus) non est mirum. Non aliter quidem quàm exercitatio, quæ cùm saluberrima sit, si homini iniungatur, qui crudus, multisq; humoribus abundet, proculdubio aut Apoplexiam, aut comitialem morbum excitabit: cùm alioqui humores corporis prauos expurget, ac in halitum ipsos digerat, ni præ multitudine, ac acrimonia, in summa cute impetum facientes hæreant. Si enim non purgatus te exercueris, vlcera (vt dixit Hippocrates) per corpus vniuersum erumpent.

Πρὸς τὰς ἀρχὰς σκεπτέον τῶν νόσων, εἰ αὐτίκα ἀνθεῖ. δῆλον δὲ τῇ ἐπιδόσει, τὰς δὲ ἐπιδόσιας, τῇσι περιόδοισι καὶ αἱ κρίσιες ἐν τούτῳ δῆλοι.

10. Ad initia morborum animum adhibere oportet: num statim floreant, hoc autem ex incremento manifestũ euadet: incrementa verò ex circuitibus: indeq; iudicia manifesta fiunt.

Cum totus medici scopus sit, vt ad vigorem morbi animum conuertat; atque ad ipsum respiciens victus rationem instituat, ex qua potissimum curationis ratio dependet, æquum vtiq; fuerit, si secundum morborum initia contempletur, num morbus statim ad vigorem peruenturus sit, an in longius tempus protrahẽdus, Nam quòd pars ea, quæ victũ præscribit διαιτητικὴ *vocata, non parum ad curationẽ conferat momẽti, vel id dumtaxat nobis manifestò ostendet: quòd altera therapeutices methodi pars existat: Hæc enim in tres distributa est, ac primam quidẽ victus ratio constituit, secundã medicamentorũ administratio, quàm* φαρμακευτικὴν *nominant, tertiã manus operatio, quæ* χειρουργία *vocatur. Ad initia igitur morborum animum adhibere oportet: num statim floreant, in vigoreque sint. Quoniam vt in aphorismis scripsit* Ὁκόσοισι μὲν οὖν αὐτίκα ἡ ἀκμὴ, αὐτίκα λεπτῶς διαιτᾶν. ὁκόσοισι δὲ ἡ ἀκμὴ ὕστερον, ἐς ἐκεῖνο καὶ πρὸ ἐκείνου σμικρὸν, ἀφαιρετέον. ἔμπροσθεν δὲ πιοτέρως διαιτᾶν, ὡς ἂν ἐξαρκέσῃ ὁ νοσέων. *id est, Quibus itaq; statim vigor adest, his statim tenuis victus est*

Medicus statū morbi semper sibi ob oculos ponere debet.

Therapeutices, methodi partes.

Pri. aphoris. sectione aphorismo. 10.

ctus est adhibendus; quibus verò posterius, his in ipso consistendi vigore, parumq; antea, cibus subtrahendus est. Prius aut vberius reficere oportet; vt ægrotus non deficiat. Neq; tamē id obiter, perfunctorie'ue animaduerti oportet: sed accuratè, ac diligenter, quantū scilicet ab initio; ad vsq; consistendi vigorē, tēporis intersit: vt tutò ægrotanti victus iniūgatur. Cæterū, cum multiplex initij ratio existat, non fuerit ab re, quomodo Hippocrates initium sumpserit demonstrare. Interdum enim, initiū morbi, pro primo insultu momentaneo, ac indiuisibili primæ accessionis effertur: in quo quidem sensu, hæc oratio audienda non est. Nam, quomodo considerauerit quispiā, per morborum initia num statim floreant, si initium id indiuiduum est, atque momento tantum temporis durat? Est autem initium aliud, quod latitudinē quandam obtinet: plurimum ad tertium vsque diem protensum. Sicque principium morbi dicimus, primos illos dies, in quibus morbus hominem inuasit, quomodo hyemis principium dicimus, primos huius temporis intelligētes dies. Atq; in hac significatione, sæpius est ab Hippocra. desumptum: quemadmodum in primo libro morborum vulgarium, vbi febrium modos nobis proponit: qua in parte inquit, Αὐτίκα γὰρ συνεχὴς ἐστὶν ὅισιν ἀρχόμενος αὐθεῖ καὶ ἀκμάζει μάλιστα, id est, Est enim continua, quæ in initio maximè florescit, ac viget. Nam hæc, quòd in hoc secundum latitudinem principio, nonnunquam tria morbi tempora cōplectente, florescat, ac vigeat, mirum nōn est. Cùm alioqui pugnantia videretur statuisse: si principium pro vno ex morbi temporibus desumatur. Non enim posset, in principio vigere, cùm distincta inuicem hæc tempora sint, principium, & vigor. Similiter etiam, in eo aphorismo principium, accepit. Ἀρχομένων τῶν νόσων, ἤν τι δοκέῃ κινεῖν κίνει, ἀκμαζουσῶν δὲ ἡσυχίην ἔχειν βέλτιόν ἐστιν. id est. Incipientibus morbis, si quid videtur mouendum moueto, consistētibus verò melius est cōquiescere. Insuper etiā in prognostico; (ἢν μὲν οὖν ἐν ἀρχῇ τῆς νόσου τὸ πρόσωπον τοιοῦτον ᾖ. id est, Si igitur in principio huiusmodi facies appareat) initium pro eo, quòd ad tertium vsque diem extenditur sumendū est. Multis etiam alijs in locis, in hac significatione principiū ab Hippo. sumptū est: quæ nos vt prolixitatē sermonis fugiamus, prætermittemus: studiosos ad Gale. de crisibus cōmentarios relegantes, in quibus plurima ad præsens institutum facientia inuenire poterunt: propositæ tantū orationi inhærentes, in qua Hippocra. hoc modo principium extulit. Ad initia (inquiens) animū adhibere oportet, num statim floreant, in vigoreque sint. Quòd verò, ad initia dixit: id intelligēdum est: quasi circa initia, aut secundū initia dixisset. Nam Græci, hoc modo frequenter eam dictionem πρὸς efferunt, πρὸς τὰς ἀρχὰς, tanquam περὶ τὰς ἀρχὰς, dicentes. Itaque per initia morborum contemplari oportet, vniuersam morbi ex temporibus omnibus constitutionem; ad quem vsque

Multiplex principij ratio

Statim ab initio medicus tam morbi constitutionem rimari debet.

vsq; diem, tum initiũ, tum incrementũ, tum vigor, tum declinatio protrahẽda sint: atq; quot diebus, horũ vnumquodq; circumscribendũ. Hæc autẽ ex coctionis notis erũt desumenda. Porrò quoniã status, vigorisq; cognitio medico maximè necessaria existit, in præsenti oratione, quomodo statũ anteq̃ adsit, cognoscemus proponit. Id inquiens, ex incremento manifestũ fieri, incrementa verò ex circuitibus, indéq; iudicia manifesta euadere. Cæterum, quomodo id cognosci poßit, in sequenti oratione apertius demonstrat.

Καὶ τοῖσιν ἐν τῇσι περιόδοισι παροξυσμοῖσι, εἰ πρωϊαίτερον ἢ οὔ, καὶ εἰ πλέονα χρόνον ἢ οὔ, καὶ εἰ μᾶλλον, ἢ οὔ.

11. Atq; in accessionibus, quæ per circuitus fiunt considerandum est: num præcocius accedant, an non, & num diutius durent, an non, & num magis infestent, an non.

Temporũ constituentiũ morbos ratio.

Quòd principium, de eo quod morbi pars existit, intelligẽtes, coctione sicut cætera tempora definiatur, omnibus in confesso est. Vt id quidẽ tempus principium sit, in quo coctionis signa nondum apparẽt, ægrotusq; nõ supra modũ cruciatur: sed tanq̃ vires validæ seruentur, & morbus non admodum sæuierit, tollerabiles sustinet labores. Propterea Hippoc. περὶ μὲν τὰς ἀρχὰς καὶ τὰ τέλη πάντα ἀσθενέστερα, περὶ δὲ τὰς ἀκμὰς ἰσχυρότερα. *id est. Circa initia, & fines omnia imbecilliora, circa statũ verò fortiora, esse dixit. Cùm verò, iam coctionis notæ aliquæ, attamẽ obscuræ vidẽtur, tunc quidẽ principij finis est: augmentum verò morbi inchoabit: in quo grauiorem iam morbum factum, ægroti difficilius tollerabũt: & quoniã ex præcedenti tempore vires sunt quodã modo cõfractæ, & quoniã morbus ad statũ pergit, nam omnia symptomata grauescere necessum est, cùm morbus iudicationi appropinquat. Quòd autẽ iudicatio in grauiori morbi parte, nimirũ statu contingat, sæpius est à Galeno inculcatũ. Quod si iam coctio modis omnibus sit absoluta, suumq; acceperit cõplementum, status morbi erit: in quo quoniã natura pugnæ vacat, sæuißima accidunt symptomata, natura in totũ morbum superare nitẽte. Reliquũ verò morbi tempus declinatio vocabitur. Atq; hæc quidẽ tempora morbũ vniuersum constituũt: quæ aliquando cùm morbus nequam, malignusq; est: ex sola symptomatũ sæuitate sunt desumẽda. Siquidem cruditatis signa per vniuersum morbũ apparẽt. At quòd morbus: qui absq; coctionis signis iudicatus fuerit, nõ poßit in ægrotãtis cedere salutẽ, ipse in sequẽtibus monstrabit:* τὰ προκρινόμενα ἢν ὠμῶς κριθῇ, ὑποστροφαί, ἢν δὲ μὴ ἀκρισίαι, γένοιτο δ᾽ ἂν καὶ ὀλέθρια τὰ μὴ σμικρά. *id est. Quæ prius iudicata sunt, siquidẽ cruda erant recidiuæ fiunt; sin secus, praua iudicatio cõtinget; quæ si nõ diminuta sint in perniciem agũt. Nam coctiones, iudicationis celeritatem, ac sanitatis firmam spem pollicentur: cruditates verò econtrario, aut morbi longitudinem, aut recidiuam, aut*

Circa iudicationem sæuiũt omnia.

Iudiciũ cum cruditate.

mortem. Cæterum, vt quis tempora hæc liquidò distinguere possit, alia etiam aduertat oportet, quæ Hippocrates in præsenti oratione proposuit: ad quæ capessenda animaduertēdum quidem est: morbos plurimos accessiones habere, ac alios quidem per pares, alios verò per impares dies. Quibus verò per impares dies accessiones fiunt, per impares etiā & iudicia contingūt: atq; breuiori tempore in vniuersum finiuntur, his quibus per pares dies fiunt accessiones. Qui verò per dies pares exacuūtur, hi in paribus diebus iudicia subeunt. Verum hæc nō sunt impræsentiarū discutienda, vtpote quæ fusissimè sunt experimentis ab Hippocrate confirmata, in alijs vulgarium morborū libris. Neq; nos aliquid, quod ab Hippocratis, Galeniq; doctrina desciscat, proferre vnquam cogitauimus, satis esse ad redargutionē existimantes, si quid egregijs, summisq; his viris, nō cōueniat. Igitur ad tēpora huiusmodi interstinguenda, accessiones hæ considerandæ sunt. Nam si celerius prorumpant, ac temporis maius spacium amplectantur, magisq; infesta sint symptomata, incrementū hæc absque dubio significabunt. E contrario verò, si serius inuadant, temporisque spacium minus contineant, atq; non vsqueadeo molestent, declinationis indicia erunt. At verò, de statu quid dicendum est? aut quomodo dignosci poterit, cū ab Hippocrate id sit prætermissum? Enimuero Hippocra.ea quæ necessario alia sequuntur, omittere consueuit: quoniam ipsa addere peritis sit facilè. Nam cùm morbus in eisdem permanserit, eundemq; seruauerit tenorem, vt neq; præueniant accessiones, neq; tardent, symptomataq; haud dispari quapiam ratione infesta sint, vigorem, seu statum indicabūt. Rectè igitur Hippo.hæc omnia simul inspiciēda esse iubet: nō satis ad tempora hæc dignoscenda arbitratus, si ex eo, quod morbi accessiones citius indies corripiāt, aut serotinæ semper magis accedant, indicium quis desumpserit, siquidem morbi plurimi ex sua peculiari natura, præcotius indies accedere videntur, alij verò subsequi potius, ac tardare. Atq; proinde Græci, illos προληπτικοὺς. id est. præueniētes, siue anticipantes, hos verò ὑστερητικοὺς. id est. tardantes, aut subsequentes, nominant. Veruntamen si præuentio hæc, aut subsequutio maior fuerit, quàm morbi exigat ratio, alia, vt diximus, incrementi, alia rursus declinationis euidens sanè nota fuerit. Porrò, cùm in qualibet accessione declinatio, aut intermissio manifesta ex natura eius sit: intermissio quidē, cū morbus hominē ad integritatē dimiserit, declinatio verò cum morbus continenter affligit: ex his nō parū momenti, ad nostram fulciendam sententiā sumi poterit. Quod & Hippo.haudquaq̄ reticuit, dicens: considerandum esse num diutius durent, an nō: & num magis infestent, an non. Nam si declinationis, aut intermissionis tēpus breuius sit, intollerabiliusq;, ac symptomatū accessionis non omnino expers, incrementum significabitur. Rursus verò, si longius, tollerabi

Accessiones pares ac impares quid ferãt discriminis.

Incrementi cognitio.

Declinationis notæ.

Status cognitio ex quibus.

Morbus ὑστερητικός.

Morbus προληπτικός.

Declinatio aut intermissio accessionis, notas etiam habet cōstitutionis morbi.

tollerabiliusq́; sit, accessionisq́; symptomata euanuerint, declinationē instare manifestū est. At vero, Hippocrates accessionē totum tempus nominauit, ab initio vnius vsq; ad alterius accessionis principiū. Ac proinde, quæ tradita ab eo sunt nota etiā ad intermissionis tempus cōmodè aptari poterūt. Atq; hæc dicimus, ne quis nos inconsideratè, temere'ue quicpiam protulisse existimet. Nam & Galenus primo de crisibus cōmentario, nō aliter à nobis propositam sententiam accepisse videtur. Hæc itaque sunt, quæ imprasentiarum compendioso sermone, Hippocrates nos docuit: quo modo quis morbi tēpora exactè dignoscat. Verum cùm aliquando status momētaneus sit, ita vt nemini, cùm adest, sit cognitus, veluti si prima accessio, & principiū, & incrementum, & vigorem complecteretur, secunda verò iam manifestò decresceret, cum medicus ad statum maximè respiciens, victus rationē instituere debeat: hæc ad artificiosam coniecturam sufficere nō poterūt. Adde, quòd interdum si ad tertiam vsq; diem indicia apparuerint augmēti, fieri quidem poterit, vt sequēs accessio quarta manifestas declinationis præseferat notas, neq; quando fuerit status dignosci poterit, priusquam primū declinationis tēpus intueamur. Atque ob eam rem animaduertenda alia erunt, quæ ipse in aphorismis Cognitio naturæ morborum maximi facienda.
scripsit: Τοὺς παροξυσμοὺς *(inquiens)* καὶ τὰς καταστάσιας δηλώσουσιν αἱ νοῦσοι, καὶ αἱ ὧραι τοῦ ἔτεος, καὶ αἱ τῶν περιόδων πρὸς ἀλλήλας ἀνταποδώσιες, ἤν τε καθ' ἡμέρην, ἤν τε παρ' ἡμέρην, ἤν τε καὶ διὰ πλείονος χρόνου γίγνωνται *id est. Accessiones, ac constitutiones morbi ipsi indicabunt, & tempora anni, & circuituum inuicem incrementa, siue indies, siue tertio quoque die, siue longiori interposito tempore fiant. Sanè morborū ex vniuersalibus temporibus coaptationē, ac seriem, constitutionem nominauit Hippocrates. Igitur morbi ipsi constitutiones, atq; accessiones indicabunt: veluti tertiana febris, quòd citò discutietur significat: & quòd tertio quoq; die fient accessiones. Quotidiana autē, quòd longa erit: ac indies exacerbabitur. Quartana quòd longissima, ac quarto quoq; die inuadet. Atque in intermittentibus res hoc modo se habet: in continuis verò, si febris ardens sit, acuta quidem erit, ac tertio quoque die supercrescet: quemadmodum lateralis morbus peripneumonia & phrenitis. Angina verò, neruorum distensio, & cholera peracuti quidem sunt; ac citissimè ad vigorem perducūtur. Aqua intercutem, atra bilis, tabes, ac supputatio, diutini. Tabi verò, ac supputationibus, quæ ventri, aut iecori adueniunt, accessiones quotidie accidunt, & magis ad noctem. Hæc itaque morbi indicabunt: tempora verò anni nonnihil adijciēt. Nam nō satis fuerit, si quartanam febrem longam esse cognoscas, verum ipsius principium animaduertendum est: quippe, quæ æstate euenerit, breuior sanè futura est: quæ autumno autem diuturnior, & quo magis hyemi fuerit finitima. In vniuersum siquidem æstas*

Aphorismorū prima sectione aphoris. 12.

Aeſtas morbis celeritatem addit, hyems verò adimit.

morbis celeritatem, quemadmodum hyems tarditatẽ conciliat. Nanq; humores æſtate diſcuti, & vires diſſolui contingit. Proinde in quibus vires validæ ſunt, humoribus noxijs euacuatis, morbi ceſſant: in quibus verò ſunt imbecillæ, vnà cum ipſis euacuatis, & ipſæ diffractæ collabuntur. Hyeme verò, quoniam humores veluti in latibulis deliteſcant, ac vires validæ ſeruentur, morbi diutini ſunt. Non enim morbi diſſolui poſſunt, manentibus his, qui ipſos genuerunt humoribus: neq; ægrotos mori contingit, viribus interim ſufficientibus. Conſtitutionẽ igitur, num longa ſcilicet futura ſit ægritudo, an breuis potius, anni tẽpora manifeſtò oſtendent. Acceſsiones verò nihilominus ſignificabunt: nam æſtate magna ex parte morbi tertio quoque die exacerbantur: autumno quarto, hyeme verò quotidie, ac potiſsimũ noctu. Horum autẽ rationẽ iam ſuperius patefecimus: quam rurſus repetere, vt moroſum, ita & inutile fuerit. Diximus autẽ æſtate bilis copiam abundare, ac plurimũ morbos ad bilem referri, quæ tertio quoq; die inualeſcit. Autumno verò atram bilem, quæ ſuapte natura, quarto quoq; die agitatur. Hyeme pituitæ aceruari copiam, quæ cùm ex ſua natura indies moueatur, ex hyemis conditione noctu magis inualeſcit. Atqui ea, quæ de temporum natura dixit, ad ægrotantiũ etiam naturam, ætatem, & victus rationẽ, ſunt referenda. Victus verò rationẽ intelligimus, nõ ſolum in eſculentorũ, ac poculentorũ adminiſtratione, verum etiam in omni vitæ ſtudio, laboribus videlicet, aſſuetudinibus, & exercitijs. Nanq; vniuerſa huiuſmodi morborum conſtitutiones, atq; acceſsiones indicare nata ſunt. Num igitur omnia, quæ recenſuimus, ad artificioſam, exactamq; ſufficient coniecturam? minimè quidẽ: verũ alia addẽda erũt, quæ ipſe in ſequenti oratione enarrabit. Nam hactenus, quæ diximus omnia, ex natura morborũ deſumuntur: ac ex his quæ ipſis neceſſariò adſunt ſymtωmatibus: nunc verò ex mox apparentibus totam iubet morbi conſiſtentiam coniectare.

Victus ratio quæ complectatur.

πάντων δὲ τῶν συνεχέων, ἢ διαλιπόντων τῶν χρονίων, οὖρα, καὶ διαχωρήματα, καὶ πτύελα. καὶ τρωμάτων ὀδυνωδέων καὶ φυμάτων φλεγμοναὶ, καὶ ὅσα ἄλλα ἐπιφαίνονται ὕστερον.

12. Omnium autem morborum, tum continuorum, tum intermittentium longorum, vrinæ, ſeceſſus, & ſputa conſideranda ſunt: vulnerumq; dolorificorũ, ac tuberculorum, inflammationes: & quæcunq; alia ex poſt apparentibus exiſtunt.

Quænam poſt apparentia nominauit Hippocrates? Nempe ſignorum, ac ſymptωmatum, quædam affectionẽ ipſam ſignificant: quædam aſsidentia vocantur, alia decernũt, alia coctionẽ, alia cruditatem, alia ſalutẽ, alia deniq; pernitiem oſtendunt. Equidẽ ea, quæ ſimul ſemper cum morbo inuadũt, affectum ipſum ſignificare dicũtur: atq; ideo Græci παθογνωμονικὰ *vocant. Quæ verò*

verò assidentia, Græcè συνεδρεύοντα vocantur, aliquãdo inuadunt: aliquãdo superueniũt: aliquando neq; omnino veniũt, in summa naturam morbi nõ constituũt, sed proprias faciũt differẽtias: veluti in laterali morbo, quod facilius in affectũ latus, quàm in cõtrariũ decumbat ægrotus. Atq; quòd dolor interdum ad clauiculas, & mãmam pertingat, aliquãdo verò deorsum deflectat. Quæ verò κρίσιμα, hoc est, decretoria nuncupãtur, cũ ipso morbi initio nõ inuadunt: quòd si inuadãt certam perniciem adferũt. Huiusmodi etiã sunt, & coctionis indicia, nunq̃ in primo morbi insultu apparentia: quod sanè tempus cruditatis signis iurè deputatũ est. Itaq; hæc coctionis indicia, potissimũ Hippo. post apparentia nominauit: quanq̃ & decretoria in eadem classe reponi possent, quatenus nõ vnà cũ morbo, sed iuxta ipsius maximè vigorem debent apparere, si tamẽ in ægrotantis gratiam, quicpiã vtilitatis sint allatura. Vniuersi igitur venosi generis vrinæ, instrumentorũ verò, quibus spiramus sputa inferioris verò ventris, alui excrementa dispositionẽ significabunt: ex quibus maximè horum locorũ indicia desumuntur. Præcipua tamẽ in morbis continuis, vrinarũ ratio est habenda. Nanq; hæc venosi generis omnes dispositiones significant. Si igitur sanis similes fuerint, venosum vniuersum genus robustum esse demonstrant: morbumq; citò terminandũ. Si verò crudiores, venarũ significant imbecillitatẽ. Quæ verò superantis causæ prauitatẽ indicant, penitus sunt exitiales, veluti nigræ. Audiamus igitur, quæ ipse de vrinis protulerit, vt cognoscamus quænam earũ laudandæ, quæ verò detestandæ sint: de quibus in prognostico sigillatim edisserit. οὖρον ἄριστον ἐστὶν ὅταν ᾖ λευκή τε ἡ ὑπόστασις, καὶ λείη, καὶ ὁμαλὴ, παρὰ πάντα χρόνον ἔστ' ἂν κριθῇ ἡ νοῦσος. σημαίνει γὰρ ἀσφάλειάν τε καὶ νόσημα ὀλιγοχρόνιον ἔσεσθαι. Vrina optima est, si candidũ sedimentũ habuerit; æquale ac lene, per omne tẽpus dum morbus iudicetur, securitatẽ enim ac morbũ fore breuem significat. Huiusmodi enim vrina, concoctionẽ nobis significabit; humorũ, qui in venus continẽtur. Atqui cõcoctio in mediocri ipsorum consistẽtia statuitur. Proinde cũ neq; iusto crassiores, neq; tenuiores esse præseferat: meritò salutis celeritatẽ, firmamq; portendet spem. Nam si humores pituitosi, atque crassiores fuerint, sedimentum vrina ostendet copiosum: si bilosi rursus, atq; tenues, nullũ prorsus, aut omnino ὑπαιώρημα, quod nos pendulam nubeculam dicimus, demonstrabit. Igitur si mediocrem nacti fuerint consistentiam, mediocre etiam & vrina continebit sedimentum; quod album, lene, ac æquale visatur. Idq; si omnes in venis ex æquo humores fuerint mediocres: nam si inæquales ijdem fuerint, talis vrina neutiq̃ perstabit: quin potius intermittet. Ac proinde subiungens manifestius rem ipsam aperuit, his verbis: ἢν δὲ διαλείπῃ, καὶ ποτὲ μὲν καθαρὸν οὐρέῃ, ποτὲ δὲ ὑφίσταται τὸ λευκὸν καὶ λεῖον, χρονιωτέρα γίνεται ἡ νοῦσος, καὶ ἧσσον ἀσφαλής. id est. Si verò

Concoctio sta tuenda in humorum medio critate.

intermittat, atque interdum puram reddat vrinam, interdum subsideat candidum ac lene, morbus diuturnior, ac minus securus est. Ne autem in biliosis morbis lotium desideraretur, quale esse deberet, deinceps subdidit, in hunc modum: Νεφέλαι ἐμφερόμεναι τοῖσιν οὔροισιν, λευκαὶ μὲν ἀγαθαί, μέλαιναι δὲ φλαῦραι. *id est. Nubeculæ, quæ inuehuntur in vrina, candidæ quidem bonæ sunt, nigræ verò vitio non carent. Nanque ad biliosorum morborum concoctionem, sat quidē erit, si nubecula vrinæ inuehatur: quod idem est, ac si vrinam* ἐναιώρημα *habere dixisset: atque vrinæ color ad croceū vergat, substantiaq; mediocris extiterit. Atque isthæc de vrinis, quæ coctionem significant dixit. De his verò, quæ cruditatem, iam eius audiamus sententiam:* ἐς' ἂν δὲ πυῤῥὸν ᾖ τὸ οὖρον καὶ λεπτὸν, σημαίνει τὸ νόσημα ἄπεπτον εἶναι. *id est. Dum vrina fulua fuerit, ac tenuis, significat crudum adhuc morbum existere. Quandoquidem naturalem vrinam non fuluam, nec tenuem, sed modicè croceam, atq; mediocrem esse antea est proditum. Quod si morbus diutinus sit, ac talis excernatur vrina, periculum impendet, ne durare ægrotus possit, quoad morbus concoquatur. Denique de exitiali vrina sermonem ad hunc modum contexuit:* Θανατωδέστερα δὲ τῶν οὔρων, τά τε δυσώδεα, καὶ ὑδατώδεα, καὶ μέλανα, καὶ παχέα. *id est. Exitiosior verò vrina est, si aquosa, malè olens, nigra, & crassa sit. At quoniam frequenter vrina tum vesicæ, tum renū dispositionē significat, ipse in calce orationis de vrinis admonuit.* Μὴ ἐξαπατάτω δὲ σε ἢν ἡ κύστις νόσημα ἔχουσα, τῶν οὔρων τοιαῦτα ἀποδιδῷ, οὐ γὰρ ὅλου σώματος σημεῖον ἐστιν, ἀλλ' αὐτῆς καθ' ἑωυτῆς. *id est. Nec te decipiat, si affectum quempiam vesica perpessa, talem quampiam reddiderit vrinam, non enim corporis totius feret indicia, sed ipsius vesicæ per se. Non aliter & alui excrementa, inferioris ventris declarant dispositiones: quemadmodū ab eodem Hippocrate in prognostico sumus edocti.* διαχώρημα ἄριστον ἐστιν, μαλθακόν τε καὶ ξυνεστηκὸς, καὶ τὴν ὥρην, ἥνπερ ὑγιαίνοντι ὑπεχώρει, πλῆθος δὲ πρὸς λόγον τῶν εἰσιόντων. τοιαύτης γὰρ ἐούσης τῆς διεξόδου ἡ κάτω κοιλίη ὑγιαίνοι ἄν. *id est. Deiectio optima est, si mollis constansque est, & eo secreta tempore, quo secunda valetudine assueuit, atque pro ratione ingesti cibi. Cùm enim huiusmodi fuerit secessus, inferior vēter benè valet. Subfulua verò, nec admodū graue olens sit oportet; quæ talis nō fuerit, significabit vtiq;, aut ventrem ipsum esse affectū, aut viscerum aliqua, ex quibus in ventrē materia decumbat. Hæc autē aliquādo bonū nunciabit, vbi nimirum, per eam secretionē viscera ipsa expurgabuntur: interdum verò malum, quando videlicet symptomatis ratione tale contigerit.* ὑδαρὲς δὲ κάρτα ἢ λευκὸν, ἢ χλωρὸν, ἢ ἐρυθρὸν ἰσχυρῶς, ἢ ἀφρῶδες διαχωρέειν, πονηρὰ ταῦτα πάντα. *Quòd si deiectio aquosa admodum fuerit, aut candida, aut crocea, aut impense rubra, aut spumosa, praua vtique censenda est. Et rursus:* πονηρὸν δὲ καὶ σμικρόν τε

Nubecula in biliosis morbis

σμικρόν τε ἐὸν καὶ γλίσχρον καὶ λευκὸν καὶ ὑπόχλωρον καὶ λεῖον. id est. Praua autem & exigua, & glutinosa, & candida, subuiridisque, ac leuis. De exitiosis verò postmodum: Τούτων δὲ θανατωδέστερα ἂν εἴη, τὰ μέλανα, ἢ λιπαρὰ, ἢ πελιὰ, ἢ ἰώδεα καὶ κάκοσμα. id est. His autẽ exitialiores cẽsendæ sunt: nigræ aut pingues, aut liuentes, aut æruginosæ, odorisque tetri. Atq; hæc in summa de deiectionibus ab Hippocra. scripta sunt: ex quibus ventris inferioris potissimum incommoda medicus perpendere citra negotium poterit; rursusque ex illis, non pauca de futuro morbi vigore rimari. Nam vt in aphorismo scripsit: καὶ οὖρα καὶ ὑποχωρήματα καὶ ἱδρῶτες, καὶ δύσκριτα, καὶ εὔκριτα, καὶ βραχέα, καὶ μακρὰ τὰ νοσήματα ἐπιφαινόμενα δηλοῖ. id est, Et vrinæ & deiectiones, & sudores, & iudicatu difficiles & faciles, & longos & breues futuros morbos, tanq̃ post apparentia declarant. Porrò non minorem sputa, ad hanc rem quam paramus, vsum nobis præstare poterunt. Nam in morbis, tum continuis, vt pleuritide, & tabe, tum intermittẽtibus longis, in quibus etiam spirationis instrumenta vitiata sunt, ex sputis, quæ post apparent, indicia sunt desumenda. Atque primum in pleuritide, quemadmodum ipse in eo quem interpretabamur aphorismo scripsit: ἅπερ καὶ τοῖσιν ἐπιφαινομένοισιν οἷον ἐν πλευριτικοῖσι, πτύαλον ἢν αὐτίκα ἐπιφαίνηται ἀρχομένου, βραχύνει, ἢν δ' ὕστερον ἐπιφαίνηται, μηκύνει. id est. Sed & ex his, quæ mox apparent, quemadmodum in pleuriticis, sputum si continuò appareat, morbum facit breuiorem; si verò post, prolongat. Breuiorem quidem quoniam significat inflammationis tegumentum, quæ subcingentem membranam obsidet, non esse cum tanta meatuum angustatione vt nihil extra remittat. Longiorem verò, quoniam incoctæ, quas vocant pleuritides, in quibus nil expuitur, aut celeriter hominem rapiunt, si cũ cruditate signa habuerint exitialia: aut longo temporis spacio finiuntur: si sola summæ cruditatis adfuerint indicia; qualia sunt, quæ ex sputi priuatione sumuntur. Nam cruditates solàm morbi longitudinẽ significãt; ex se tamen, neq; euasurũ, neq; moriturũ, hominẽ ostendunt. Itaq; sputa huiuscemodi morborũ præcipua signa cẽsenda sunt: quæ sanè pro ea, quam recipere possunt differentia, longiorẽ vel breuiorẽ fore morbũ significabunt. Igitur si coctũ fuerit, sanitatis certam dabit spem: vnà cum breuitate: si crudum, iam morbũ in longius tempus productũ iri significabit: cæterũ breuiorem fore morbũ nunciabit, q̃ si nullũ appareret sputũ. Quòd si id non solũ crudũ, sed iunctas etiã secum habuerit prauitatis notas, mortem certò futurã præsagiet. Coctũ itaq; sputũ cẽseri debet, si candidũ, lene & æquale consistentia expuatur; crudũ verò si subflauũ, subruffum, subpallidũ, subspumosum, & tenue. Hæc tamen sputa si statim per initia reddantur, ac facilè (nam id in omnibus pectoris affectionibus maximũ planè habet momentũ) boni proculdubio erunt consulenda, quem-

Sputa cõsideranda.

Pleuritides ἄπτυστοι in quibus scilicet nihil expuitione redditur.

Cruditatis signa quid polliceantur.

Coctum sputũ quid nunciet.

Crudum quid portendat.

Prauum quid præsagiat.

da: quemadmodum Hippocrates in Prognostico scripsit: πτύελον δὲ χρὴ ἐπὶ πᾶσι τοῖσιν ἀλγήμασι τοῖσι περὶ τὸν πνεύμονα καὶ τὰς πλευρὰς, ταχέως τε ἀναπτύεσθαι καὶ εὐπετέως, ξυμμεμιγμένον τε φαίνεσθαι τὸ ξανθὸν ἰσχυρῶς τῷ πτυέλῳ. *id est. Sputum oportet in omnibus doloribus qui sunt circa pulmonem, ac latera celeriter expui, ac facilè: commixtumque videri vehementer flauũ sputo. Ita nanque si flauum cum naturali sputo maximè subigatur, subflauum tale apparebit sputum. Porrò quæ sine aliqua mixtione, syncera excernũtur, vel flaua, vel rufa, vel virida, vel nigra, ad hæc si crassa, atque spumosa, vel viscosa, atque rotunda fuerint: hæc praua omnia sunt: atque in perniciem ducunt. Nempe vitiosam, prauamque affectionem significantia, à malo corporis temperamento generatam. Quamuis pro varietate, quàm in maioris minorisque prauitatis differentia subeunt, hæc quidem magis, illa verò minus sint detestanda. Scripsit verò eorũ seriem in præsagijs Hippocrates in hunc modum:* Τότε γὰρ ξανθὸν ἄκρητον ἐὸν, κινδυνῶδες, τότε λευκὸν καὶ γλίσχρον, καὶ στρογγύλον ἀλυσιτελὲς, κακὸν δὲ καὶ χλωρὸν ἐὸν κάρτα καὶ ἀφρῶδες. εἰ δὲ ἦν οὕτως ἄκρητον ὥστε καὶ μέλαν φαίνεσθαι, δεινότερον ἐστι τῶν ἐκείνων. *id est, Siquidẽ flauũ impermixtũ existat sputum, periculosum est: album verò & viscosum, & rotundum inutile. Malum autem quod viride est valdè atque spumosum. Si verò ita sit impermixtum, vt nigrum appareat, omni alio peius est. Atque hæc quidem in pleuritide sunt consideranda. In tabe verò, vtpote quæ pulmonis exulcerationem præseferat, sputum etiam considerandũ est. Nam si id veluti sanguis spumosus fuerit, morbum inchoare significat, si verò purulentum sit, morbus iam factus est. Quòd si graue oleat carbonibus iniectum, mortem propè esse significabit. Iam verò alia, quæ ipse in præsenti oratione scripsit attingamus, vt vniuerso de his, quæ post apparent sermoni finem imponamus. Nam iam huius commentationis cumulus in maximam accreuisse molem videtur: verũ res aliter fieri non potuit; quòd nimirum difficillima sit, ac breuissima oratione Hippocrates, amplissimam materiam esset complexus. Quæ autẽ restant talia sunt, quæ ex dictis manifesta euadere possint. Vulnerumque dolorifico rum, ac tuberculorum inflammationes esse considerandas iubet: tanquam in his, quæ post apparent, continentur. At quòd vulnera ipsa, quatuor tempora, quemadmodum reliqui omnes affectus habeant, manifestum est: quæ tum coctione, tum etiam symptomatibus discernuntur. Cùm verò pus conficitur, dolores, & febres magis vrgent, quàm pure confecto. Pus enim in morbi incremento conficitur; in vigore verò confectũ iam est. Igitur ex doloribus augmentum deprehendi potest, ex inflammationibusque. Nam febres, dum pus conficitur, non aliam ob causam accidunt, quàm quòd vehementer pars inflammetur, atque calorem sensim ad cor vsque transmittat. Hæc igitur vniuersa*

Vulnera nō secus quàm alij morbi quatuor tempora habēt

uersa est, de post apparentibus doctrina, quanquam ad morborum naturam probè dignoscendam, aliud etiam addendum sit, quod ex cōmunibus quibusdam rebus constituitur: ac in sequenti declarabitur sermone. Interim tamen haudquaquam dissimulandum est, quòd in præsenti sententia, admodū lacera, atque diuulsa, nōnulla nos restituimus: veluti quæ ad vrinas, & deiectiones spectant: alia verò, quæ confuse, citraque texturæ concinnitatem iacebant, planè immutauimus. Ne autem quispiam hæc nos temerè fecisse arbitretur, sciat nobis occasionem potissimum suppeditasse aphorismum illum primæ sectionis, quem per totam hanc tractationē, tanquam firmam anchoram circumduximus. Nam is, si probè res ipsa perpendatur, ex his potissimum locis collectus fuisse censendus est. Nec minus sanè nobis auxilio fuerunt, quæ à Gale. in libro de crisibus primo, tum ex hoc loco citata sunt, tum etiā ab ipso in expositione allata. Quantum autem nos candoris huic loco conciliauerimus, æquus sanè studiosusque lector iudicabit, qui nostra cum Cornarij, aut alterius versione contulerit.

Ἴσως δὲ καὶ τῶν ἄλλων πρηγμάτων κοινῶν, τὰ μὲν θᾶσσον βραχύτερα, τὰ δὲ βραδύτερον μακρότερα. καὶ ἐν περιόδοισι τὰς ὑποστροφὰς ταχυτέρας, μετ' ἄλλης ὑποδόσιος ἀπαυδώσης τῆς νόσου.

13. Fortassis autem & aliarum rerum communium, quæ quidem celerius prorumpunt breuiores morbos faciunt: quæ vero serius longiores. At in periodis citiorem recursum, cum reliquo incremento morbus repudiat.

Hactenus signa vniuscuiusque affectionis propria, recensuit Hippocra. vt per sputum, costarum ac lateris affectus dijudicarentur: per vrinas, quæ venoso generi accidunt dispositiones: per alui excrementa, ventris inferioris mala: per labores, ac dolores, vulnera & abcessus: quæ omnia ipse post apparentia nominauit. In præsenti verò sermone ea: quæ morbis omnibus ad salutē non parum conducunt; contemplari iubet. Hæc autem erunt, quæ ipse sigillatim in prognostico scripsit, his verbis: Τὰ δὲ ἐν ἐλαχίστῳ μέλλοντα κρίνεσθαι, εὐπετέστερα προγινώσκεσθαι. μέγιστα γὰρ τὰ διαφέροντα ἀπ' ἀρχῆς αὐτέοισιν ἐστι. οἱ μὲν γὰρ περιεσόμενοι εὔπνοοί τε καὶ ἀνώδυνοί εἰσιν, καὶ κοιμώμενοι τὰς νύκτας, τά τε ἄλλα σημεῖα ἔχουσιν ἀσφαλέστατα. οἱ δὲ ἀπολλύμενοι, δύσπνοοι γίνονται, ἀλλοφάσσοντες, ἀγρυπνέοντες, τά τε ἄλλα σημεῖα κάκιστα ἔχοντες. *id est. Quæ breui iudicanda sunt, haud est difficile præcognoscere: siquidem maximè ab initio dissident. Qui enim superstites euasuri sunt, benè spirant: absque dolore agunt: noctu dormiunt; & alia signa habent securissima. Qui verò morituri sunt, difficulter spirant: conflictantur: noctes ducunt insomnes: & alia signa habent deterrima. Hæc igitur in omnibus morbis, tanquam communia quædam indicia,*

Cōmunia quæ in morbis Hip. cōsiderare iussit, quænam sint.

indicia, consideranda sunt; maximum me hercule ad prædictionem, quæ ex futurorum cognitione paratur, habentia momentum. Quæ sanè non immeritò ab Hippocrate κοινὰ πράγματα, *hoc est, cõmunes res, aut summa capita, vocata sunt, vtpote quæ æquam, ac parem in quouis morbo facultatẽ obtineat. Cæterum, quæ in pleuriticis (vt priuatæ alicuius affectionis mentionẽ faciamus) seorsum tanquam cõmunia signa, inspicienda esse velit, eodem ipso in libro scripsit:* Ἔστι δὲ τὰ μὲν ἀγαθὰ τάδε, εὐπετέως φέρειν τὸ νόσημα, εὔπνουν εἶν, τὴν ὀδύνην ἀπηλλάχθαι, τότε τὸ πτύελον ῥηϊδίως ἀναβήσσειν, τότε σῶμα ὁμαλῶς φαίνεσθαι θερμόν τε καὶ μαλθακόν, καὶ δίψαν μὴ ἔχειν, οὖρά τε καὶ διαχωρήματα καὶ ὕπνους καὶ ἱδρῶτας, ὡς διαγέγραπται ἕκαστα εὐδόκιμα ἀγαθὰ ἐόντα ἐπιγίνεσθαι. οὕτω μὲν γὰρ ἁπάντων τουτέων ἐπιγινομένων, οὐκ ἂν ἀποθάνοι ὁ ἄνθρωπος. κατὰ δὲ τἀναντία τουτέων, δυσπετέως φέρειν τὴν νοῦσον, πνεῦμα μέγα, καὶ πυκνὸν εἶναι, τὴν ὀδύνην μὴ παύεσθαι, τὸ πτύελον μόλις ἀναβήσσειν, δίψην κάρτα, τότε σῶμα ὑπὸ πυρὸς ἀνωμάλως ἔχεσθαι, καὶ τὴν μὲν κοιλίην καὶ τὰς πλευρὰς θερμὰς εἶναι ἰσχυρῶς, τὸ δὲ μέτωπον καὶ τὰς χεῖρας καὶ τοὺς πόδας ψυχρούς. οὖρα δὲ καὶ διαχωρήματα καὶ ὕπνους καὶ ἱδρῶτας ὡς διαγέγραπται ἕκαστα ἀδόκιμα κακὰ ἐόντα. *id est. Bona autem hæc sunt: morbum facilè ferre, probè spirare, dolorem mitigari, sputum facilè excreare, corpus æqualiter, tum calidum, tum molle habere, sitim non sentire, vrinas atq; secessus, sudores, atque somnos, hæc sicut scriptum est, bona esse percipere. Si enim hæc hoc modo succedant, hominem mori non contingit. His autem cõtraria sunt: morbum ægrè perferre, spiritum magnum, ac densum esse, dolorem nõ sedari, sputum vix reddere, siti cruciari, corpus ab igne inæqualiter accendi, vt venter, & latera vehementer calida appareant, frons verò, & manus, vnà cum pedibus frigidi: vrinas, ac secessus, somnos, atq; sudores, vt scriptum est, praua esse percipere. Huiusmodi ergo signa, quo citius in morbo apparuerint, bona quidem, celerrimam sanitatem: praua verò citissimam perniciem adfuturam pollicentur. Non autẽ in circuitibus (quemadmodum antea dicebamus) res hoc modo se habet: nam hi si celerius prorumpant, vnà cum symptomatũ incrementis, longitudinem potius significabunt, quàm breuitatem. Propterea Hipp. in Periodis, citiorem recursum, cum reliquorũ symptomatũ immanitate, morbũ repudiare aiebat. Qua in parte quod perperam in Græco exẽplari legebatur* ὑπερωϊάστρον *in accusandi casu, nos in meliorẽ statũ mutauimus, in datiuũ scilicet, propter verbi illius* ἀπαυδάω *naturam, quod ita apud peritos autores constructũ inueniatur: quẽadmodum apud Aristophanem* τοῦβιος ἀπαυδῶ. *Quin & illud quod legebatur* καὶ ἄλλης *fortasse citra sensum, mutatũ à nobis est in* μετ᾽ ἄλλης, *optima sanè sententiæ consequutione obseruata.*

Non perinde est in communibus signis atque in periodorũ recursibus.

Καὶ γὰρ τὴν παραχρῆμα ἀπολυομένων, ταχύτεραι αἱ κρίσιες, ὅτι ταχέες οἱ πόνοι, καὶ ξυνεχέες, καὶ ἰσχυροί.

Etenim

14. Etenim eorum, qui confestim morituri sunt, celeriores sunt iudicationes, quoniam labores celeriter vrgent, continuiq; sunt, ac vehementes.

Cùm in præcedenti sermone dixisset Hippocra. inspiciendà esse ea, quæ morbis omnibus communia sunt; num benè, num malè se habeant: iam in hac oratione subinferens inquit: Etenim eorum, qui morituri sunt, celeriores sunt iudicationes: quoniam labores celeriter vrgent, continuique sunt, ac vehementes. Nam quòd hi, qui breui de vita discessuri sunt, haudquaquam ex lõgo interuallo iudicia subeant, manifestum est. Atqui iudicia, quæ in mortem ducunt, sæuissima habeant symptomata oportet; cum ea, quibus à discrimine vindicantur ægroti, ipsorum nõ sint expertia. Siquidẽ symptomata omnia ingrauescere necessum est, cum morbus iudicio appropinquat. Quos igitur labores, hoc est, decretoria symptomata, ab initio statim vehementer aßidueque vrgent, hos statim morituros esse, est sperandum. Quoniam hæc decretoria signa, si in principio apparent, nequam sanè, malignaque sunt: quandoquidem absque coctione contingunt: quemadmodum ipse in sequenti ostendet sermone. τὰ δὲ κρίνοντα ἐπὶ τὸ βέλτιον, μὴ αὐτίκα ἐπιφαινέσθω. id est, quæ in melius decernere debent, vt non statim appareant oportet. Huiusmodi enim, aut hominem citißimè rapiũt, aut morbum in tempus longißimum protrahunt. Sanè si non vehemẽter vrgeant, sed modũ aliquẽ seruent in affligendo: morbusq; solũ cruditatis habeat indicia, in longũ quidẽ tempus morbus ipse producendus est. Sin autem primo quoque morbi tempore se promãt, continenterq;, ac cum maxima sæuitate ægrotum affligant, morbusque non solum cruditatis, sed perniciei, atque calamitatis habeat indicia, veluti vrinas nigras: secessus opimos; atque si lateralis fuerit, cum his sputa coniungantur, aut viridia aut nigra, proculdubio hunc actutum moriturum esse prædicere certò poteris. Atq; id quidem est, quod in sequentibus dicturus est: τὰ περικρινόμενα ἢν ὦμὰ κριθῇ, ὑποστροφαί, ἢν δὲ μὴ ἀκρισίαι, γίνοιτο δ' ἂν καὶ ὄλεθρια τὰ μὴ σμικρά. id est, quæ iudicata sunt si cruda fuere, recidiuæ, sin aliter prauæ indicationes: hæc si non parua sint in perniciem agunt. Cruditates enim aut acrisias, aut dolores, aut diuturnitatem, aut mortem, aut recidiuas significare in primo de morbis vulgaribus scripsit Hippocrates. Coctiones verò tum celeritatem iudicij tum sanitatis fiduciam.

Iuxta morborũ iudicia symptomata vigẽt atrocißima.

Τὰ δὲ κρίνοντα ἐπὶ τὸ βέλτιον μὴ αὐτίκα ἐπιφαινέσθω.

15. Quæ in melius decernere debent, vt non statim appareant oportet.

In superiori sermone Hippocrates, τῶν παραχρῆμα ἀποθνησκόντων, id est eorũ qui confestim moriuntur, dixit celeriores esse iudicationes, quoniam labores celeriter

αὐτίκα & πρῆχρῆμα quid significent, & quot sumatur modis.

celeriter vrgent, continuique sunt, ac vehementes. Quod nimirum decretoria signa non statim apparere debeant: τὰ κρίνοντα enim (vt ipse inquit) μὴ αὐτίκα ἐπιφαινέσθω. Quod autem in superiore oratione παραχρῆμα. id est, confestim dixit: id ipsum in præsenti oratione αὐτίκα, id est, statim. Ea verò vox Hippocrati licet perpetuò id quod statim fit, significet, cùm id ad aliquid dicatur certò nos intelligere non poterimus, quantum temporis exactè per eam vocẽ denotetur, nisi eius sententiam capessamus. Aliquando igitur cùm principiũ morbi, in vna eius significatione, pro tempore desumatur, quod vsq; ad secundam extenditur accessionem: maxima ex parte ad tertium vsq; diem protenso, si quando in huiusmodi Hippocrates αὐτίκα, id est, statim apponat, pro toto eo tempore desumi oportebit. Quemadmodum in eo vulgatissimo aphorismo, quem hactenus sumus interpretati, ἀτὰρ καὶ τοῖσιν ἐπιφαινομένοισιν, οἷον ἐν τῇσι πλευριτικοῖσι πτύελον ἢν αὐτίκα ἐπιφαίνηται ἀρχομένου, βραχύνει, ἢν δ᾽ ὕστερον, μηκύνει. id est, Sed ex his quæ mox apparẽt, quemadmodum in pleuriticis, sputum si statim appareat ab initio, morbum facit breuiorem; sin secus, producit. In hac sanè parte tantum temporis interuallum ea vox obtinere debet, quantum vtiq; & principij nomen. Cæterum interdum vsus est ea voce, pro indiuisibili fermè, ac momentaneo temporis spacio: quomodo nos statim in morbis apparere signa quæ passionem significant dicimus: à Græcis παθογνωμονικὰ nũcupata. In hac equidẽ parte, statim, pro primo morbi insultu accipimus. At in præsenti sermone: Iudicatoria nõ statim appareãt; neq; pro primo morbi insultu, neque pro eo quod ad tertium diem protenditur sumendum est: sed pro morbi potius tempore, quod coctione significatur. Perinde quidem ac si diceret: decretoria signa, si in melius decernere debent, non appareant oportet, in toto morbi tempore, tantisper dum cruditatis signa visuntur. Nam si appareant, aut præposteras iudicationes, aut dolores, aut diuturnitatem, aut recidiuam, aut mortem significant.

Signa decretoria cum cruditate quid minãtur.

Τὰ κρίσιμα μὴ κρίνοντα, τὰ μὲν θανατώδεα, τὰ δὲ δύσκριτα.

16. Iudicatoria non iudicantia, hæc quidem lethalia sunt, hæc verò difficilis indicationis.

Si quæ iuuare solent suo tempore non iuuerint, proculdubio malum quampiam portendunt. Cùm itaq; decretoria signa accidunt; si ea ad salutem non ducant, vtique aut ad mortem, aut ad prauas deducent iudicationes. Constat autem prauas dici iudicationes quæ cùm naturalibus vacuationibus, vel abcessibus factæ, non solum ægrotos nihil iuuerunt, verum quoque & deterius habere quàm antea fecerunt. Cæterum vt sententiã Hippocra. dilucidemus, aduertendum est: iudicatoriorum duplicem esse rationem. Quædam enim futuram iudicationem præmonstrant: alia verò ipsam iudicationem absoluunt.

Praua iudicatio quæ dicatur.

Decretoriorũ duplex ratio.

Igitur

Igitur capitis dolor repente inuadens, desipientia, vigiliæ iuges, lucida quædam oculis obuersantia, rubor faciei, hypochondria citra dolorem distenta, sanguinis è naribus profluuij signa sunt. Cordis præterea morsus, tenebricosa oculis offusa, labrum inferius intremiscēs, vomitum præmonstrant futurum. Vrinarum verò suppreßio, ac alui, rigorq́ue superueniens, ni vomitus signa adsint, sudores significabūt: & magis quando ægrotantes delirauerint increscente acceßione, & partes calidiores, ac rubicundiores extiterint, & vapor quidam calidus affuerit, pulsusq́ue undosus appareat, & mollis. Quod si horum nulla adsint, sed tantum futuræ iudicationis indicia; si mulier quidem sit ac lumborum sentiat distentionem, ac dolorem, menses erumpēt: sin aliter aluus remollietur, nisi mariscæ successerint. Hæc itaq; omnia ex his quæ futuram indicant iudicationē sunt. Nanque alia iudicationē ipsam perficiūt: veluti sanguinis è naribus profluuiū, vomitus, aluus citata, abcessus in aliquē decumbens articulum. Si igitur hæc cum fiunt, ægrotum non leuent: aut mortem planè inferent, aut prauam facient iudicationem. Mortem quidem inferent, cum in contraria his, quæ secundū naturam esse debent vergant. Prauā verò facient iudicationem, quando vel reuersiones minabuntur, vel dolores vel morbi longitudinem. Porrò hæc ita distinguenda sunt, vt & tyronibus poßint esse auxilio. Quanquam fortasse quoniam argutijs, nugisq́ue quibus ab incunabilis imbuti sunt (quæ est huius tēporis infœlicitas) non sint implicita ea vel odio prosequentur, vel saltem cōtemnent. Cùm alioqui hæc petenda potius maximo animi affectu essent, vtpote quæ ad curationē non parum cōferant auxilij. Scio tamen quod si quæ alia, hæc maximè suis præceptoribus debent, vt optima quæque auersentur, ac vitent. Verum si qui fuerint, quos veritatis studium alliciat, his vtique quæ scribentur conducent. Proinde animum his quæ dicuntur aduertant.. Diximus quidem (quod & Hippocrates in sequentibus confirmabit) quæ contraria indicant malum nunciare: non solum si recidiuam minentur, verum si pristinæ naturæ in contrariū repant. Quod igitur ad ea, quæ naturæ contraria sunt, intelligēda, illa quæ secundū naturam, prius nouisse oporteat, & manifestum est, & ab Hippocrate non semel inculcatū. Principiū nanque in medicina (inquit) natura ipsa primum est. Quandoquidem ex his, quæ secundum naturam sunt, ea quæ naturæ contraria sunt, intelligi queunt, & nō aliter. Si in memoriam ergo reuocemus ea, quæ superius de his qnæ secundum naturam sunt, diximus, tum vrinis, tum alui recrementis, tum etiam sputis, equidem cognoscemus: quæ secundum naturam sunt omnia, & amica, & grata esse: neque vnquam dolores, aut labores intulisse; quomodo quæ ipsis contraria fuerint. Perpendere itaque licebit, in omnium signorum generibus num ea, quæ dicta sunt, veritatem obtineant,

Signa profluuij sanguinis è naribus.

Vomitus indicia.

Sudoris notæ.

Menstruorum citatæ alui & mariscarū indicia.

Quæ secundū naturā sunt eorum quæ præter naturā, norma & amußis.

neant: ac primum in his quæ paßionem ipsam significant, quæ Græcis παθογνωμονικὰ vocantur. Hæc autem vnà cum morbo inuadunt: veluti in laterali affectu, febris, spirandi difficultas, & tußis. Quis enim non nouit, minus periculi impendere, si febris hæc acuta non sit, si spirandi difficultas non ingens si tußis nõ admodũ molestet: quàm si his contraria adsint? Nempe quæ à natura magis abhorrent, formidabiliora tum medicis, tum ægrotis ipsis esse necessum est. In signis etiam, quæ plurimis morbis cõmunia sunt, hæc ipsa etiam contemplari facilè fuerit. οἵτε γὰρ εὐηθέστατοι (inquit Hippocrates) τῶν πυρετῶν, καὶ ἐπὶ σημείων ἀσφαλεστάτων βεβῶτες, τεταρταῖοι παύονται, ἢ πρόσθεν, id est,

Prognosticorum tertio.

Mitißimæ febres & signis firmatæ securißimis, quarta die aut citius finiuntur. Quænam ille securißima nominauit signa? Profectò nõ alia securiora inueniri, aut intelligi poßunt, quàm quæ coctionem significant. Coctiones enim, quòd secundũ naturã sint, tum celeritatẽ iudicationis, tum sanitatis certam pollicentur spem. Quas autem mitißimas febres nominauit? Nam sic citius sententiam nostrã aperiemus. Eas quidẽ Hippo. mitißimas nominauit, quæ communia signa mitiora præseferunt. Communia autem signa quemadmodum in Prognostico scripsit: sunt probè spirare, absque laboribus esse, noctu dormire, ac alia similia, quæ minus à natura abhorrent, veluti siti non cruciari, calorem per vniuersum corpus æqualem sentire. Vides igitur hæc omnia his, quæ secundũ naturã sunt maxime accedere? Nam quæ contrario modo se habent, qualia in ardentibus febribus visuntur: ea quidẽ secura non sunt, quin potius medicos quàm maximè terrent. τῶν ὀξέων enim (vt ait Hippocrates) νοσημάτων οὐ πάμπαν ἀσφαλέες αἱ προδιαγορεύσιες, οὔτε τοῦ θανάτου οὔτε τῆς ὑγιείης, Acutorũ morborũ non omnino tutæ sunt prædictiones, neq; salutis neq; mortis. Verũ pro euariationis modo, maius aut minus periculũ sperandũ est. Nam quæ maximè à naturæ cursu euariant, maximè timere faciunt: maximosq; inferunt labores. Sicq; in coctionis signis est iudicandũ: quæ omnia

Signa decretoria cum coctione quid nũciẽt.

secundũ naturã sunt: nam si his perstantibus decretoria signa sæuierint, iudicationem bonã efficient: quandoquidem ea per se neque bonam, neq; malam crisim significãt, sed cùm signis coctionis, aut cruditatis iuncta. Cæterũ cruditatis signa, quoniam minus ab his, quæ secundum naturã euariant, quàm

Eadem cũ cruditate quid denotent.

ea quæ perniciem ostendunt, cùm his decretoria signa si apparuerint, aut prauam iudicationẽ efficient, aut laborem, aut morbi longitudinẽ, aut recidiuã. Quod si violenta ea sint, neque aliquo modo mitescant: mortẽ etiam inferẽt; quemadmodum ipse Hippocrates dixit, τῶν παραχρῆμα ἀπολλυμένων, ταχύτεραι αἱ κρίσιες, ὅτι ταχέες οἱ πόνοι καὶ ξυνεχέες καὶ ἰσχυροί. id est,

Eadem cũ signis prauitatis quid portẽdãt.

Eorum qui confestim morituri sunt, celeriores sunt iudicationes, quoniam labores celeriter vrgent, continuique sunt ac vehementes. At si cum signis, quæ perniciẽ indicant

maximè

maximè à naturæ cursu euariantibus; hæc decretoria signa se prompserint, certissimam significabunt perniciē. Atque id quidē est quod Hippocrates dixit, iudicatoria non iudicantia hæc quidem lethalia sunt, hæc verò perfidè decernunt.

Τὰ προκεινόμενα ἢν ὠμῶς κριθῇ, ὑποστροφαὶ, ἢν δὲ μὴ ἀκρισίαι. γένοιτο δ' ἂν καὶ ὀλέθρια τὰ μὴ σμικρά.

17. Quæ prius iudicata sunt, si cum cruditate, recidiuæ, sin autem secus prauæ iudicationes. fuerint autem pernitiosa, quæ parua non extiterint.

Hæc omnia ex his quæ iam dicta sunt, liquidò cōprehendi possunt. Nam iudicatoria signa cum cruditate, mala semper sunt. Si quando enim morbo liberasse visa fuerint, fideliter id neutiquam fecerūt; sed tanquam in corpore delitescentes reliquias reseruassent: rursus ex his veluti ex radicibus, malum pullulauit. Quod si nulla recidiuæ spes relicta fuerit, proculdubiò praua est sequuta indicatio; quæ nimirum ægroto potius detrimento fuerit, quàm auxilio. Atque id sanè est, quod Hippocrates, dixit: cruditates afferre labores. Cæterum quod dixit: γένοιτο δ' ἂν καὶ ὀλέθρια τὰ μὴ σμικρά. *id est, Fuerint autem pernitiosa, quæ non parua extiterint: ita intelligendum est. Quemadmodum quæ maxime vrgent decretoria signa, si cum coctione accidant, citissimam indicant, ac certissimam sanitatem: eodem planè modo si maximè infesta sint, ac vehementia, idq́ue cum cruditate contingat, certissimam citissimamq́ue indicant perniciem.*

Signa decretoria cum cruditate nunquam fideliter iudicarunt.

Cruditates cũ vehementia decretoriorũ signorum etiam mortem citissimam ferunt.

Ὅσα κρίσιμα σημεῖα γινόμενα, τὰ αὐτὰ ταῦτα μὴ γινόμενα δύσκριτα.

18. Quæcunque cum fiunt, decretoria sunt: hæc si non fiant malè decernunt.

Hæc sententia cum illa, quæ superius scripta est, in idem ferè recidit: τὰ κρίσιμα μὴ κρίνοντα, τὰ μὲν θανατώδεα, τὰ δὲ δύσκριτα. *id est. Iudicatoria nō iudicantia, hæc quidem lethalia sunt; hæc verò perfidè decernunt. Siquidem series ipsius, duobus modis intelligi potest: altero quidē* ὅσα κρίσιμα σημεῖα γινόμενα, τὰ αὐτὰ ταῦτα μὴ γινόμενα κρίσιμα, δύσκριτα. *hoc est: Quæcunque cùm fiunt decernunt, hæc si non fiant decretoria, malè decernunt. Atque hæc sententia (vt videtur) eadē cum superiore est. Altero verò, vt sicut iacet, ita legatur; non addita illa dictione* κρίσιμα. *Tuncq; sensus erit, huiusmodi. Si in morborum vigore, quando decretoria signa apparent, atq; decernunt; non apparuerint hæc signa, morbus malè iudicabitur. Sed quomodo morbus malè iudicabitur, absque decretorijs signis? Proinde in priorem sententiā animus inclinat. Quod si secūda tibi magis arrideat, ac eā cōmodè tutari valeas: liberā tibi eligēdi facultatē relinquimus: nos enim iccirco vtrāuis earū proposuimus.*

Τὰ γῶν

Τὰ ἐναντία δὲ σημαίνοντα, κακὸν, οὐ μόνον ἢν παλινδρομέῃ ἀλλὰ καὶ τῆς ἀρχαίης φύσιος τὰ ἐναντία ῥέποντα. ὥσπερ καὶ τῶν κακῶν σημείων, ἐπὶ τ' ἐναντία ῥέποντα.

19. Quæ contraria significant, malum præseferunt: non solum si recurrant, sed etiam si pristinæ naturæ in contrarium repant. Ita ex malis signis hæc sunt: Quæcunque in contraria vergunt.

Quo magis aliquid à naturæ cursu euariauerit, eo perniciosius est. Cùm igitur coctiones secundum naturam sint, his aduersabuntur, quæcunque secundum naturam non fuerint: veluti tum cruditates, tum ea quæ perniciosa sunt. Atqui coctiones sanitatis securitatem pollicentur, celeritatemque. Cruditates verò longitudinem, quantum verò in ipsis est, neque euasurum, neque moriturum hominem ostendunt. Rursus, quæ perniciosa sunt, mortem certò futuram significant. Primæ itaque coctionis fœlici pollicitationi, quæ perniciosa prauaq; sunt repugnabunt. Secundæ verò, cruditates aduersabuntur. Tanto enim ea, quæ praua sunt, cruditatibus fuerint perniciosiora, quanto magis à natura abhorruerint. Quæ igitur contraria indicant, siue ea cruda, siue perniciosa fuerint, malum præseferunt: nō solum si recurrant (quod vtiq; facturi morbi sunt, si cum cruditate indicationes subeant) verum si pristinæ naturæ in contrarium repant. Sanè pristinam naturam sanam esse manifestum est: quàm coctionem habuisse est necessum: cùm autem coctio optima sit cruditas verò mala, prauitas verò nequissima: quæ nequissima sunt, optimis magis videntur aduersari quàm quæ mala. Itaque si in hæc repserint, mortem significant.

Coctionis fœlicia nuntia.

Cruditas cui coctionis pollicitationi pugnet: cui itē prauitas.

Signis secundū naturam maximè aduersantur praua indicia.

Θεωρεῖν δὲ οὕτω δεῖ, χρώματα, συμπτώσιας φλεβῶν, ὄγκους ὑποχονδρίων, ἀναρρόπων, καταρρόπων, πολλὰ δὲ καὶ τῶν τοιούτων, οἷον ἀποφθειρουσέων οἱ τιτθοὶ προσισχναίνονται, οὐδὲ γὰρ ἐναντίον. οὐδὲ βῆχες χρόνιαι ὅτι ὄρχιος οἰδήσαντος παύονται. ὄρχις οἰδήσας, ἀπὸ βηχέων, ὑπόμνημα κοινωνίης, στηθέων, μαζῶν, γονῆς, φωνῆς.

20. Contemplari autē sic oportet: colores, venarū compressiones, tumores præcordiorum, sursum vergentium, deorsum vergentium. Plurima autem ex his, veluti abortientium, mammæ gracilescunt: neque enim id rationi est contrarium. Quemadmodum neque illud: quòd diutinæ tusses, testiculo tumescente sedentur: testiculi'que tumores, tussi superueniente abeant. Tanquam monumentum colligantiæ pectoris, mammarum, geniture, ac vocis inter se.

Libri Hippocratis temporū diuturnitate miserrime fuere labefacti.

Solœcismum commisisse in præsenti oratione Hippocrates videtur. Sed quare in Hippocratē culpa reijcienda erit, si temporis iniuria id factum, hominumque incuria est? Nam Hippocrates nunquam non proba gauisus est

orationis textura. Filium verò ipsius Thessalum (si ad illum opus hoc referatur) linguæ inscium fuisse credere fas non est: quin potius peritissimum, atque ea non aliter scripsisse, quàm vel in patris tabellis reperisset, vel ipse à patre esset edoctus. Quapropter in his tempus conterendum non est: cùm leuiora sint, quàm vt quempiam remorentur. Quantum verò ad orationis attinet reparationem (quæ penitus vniuersa erat vitiata) hæc nouisse maximè decet. Plurima nempe esse, quæ non semel, sed iterum, atque iterum, repetita in his vulgarium morborum libris sunt: nec pauca eisdem ferè verbis scripta, quædam verò adaucta vndiquaque, quæ accuratiore diligentia fuisse scripta meritò censeri possunt. Proinde qui in horum librorum assidua lectione fuerit versatus, diligenterque obseruauerit methodum ab Hippocrate in ipsis traditam, ex alijs locis plurima in pristinum statum restituere poterit: quanquam commodius, aptiusq; fieret, si Galeni commentarij non excidissent. Cæterum cùm tam prauè nobiscum actum sit, vt nulla alia supersit spes, quàm coniectura, O Edipum agere satius fuerit. Legebatur itaq; in omnibus, quos hactenus videre licuit codicibus, prima huius orationis pars, in hunc modũ. θεωρεῖν ἢ ὅτω δεῖ, βρωμάτων, συμπτωσίων. φλεβῶν ὄγκοι ὑποχονδρίων, ἀναῤῥοπίων καταῤῥοπίων. *Non ineptè solũ, verũ etiã indistinctè, citraq; ordinem, vt tanto viro indigna penitus sententia censeretur. At nos ita restituimus: idque non absque ratione:* θεωρεῖν δὲ ὅτω δεῖ χρώματα, συμπτώσιας φλεβῶν, ὄγκους ὑποχονδρίων, ἀναῤῥοπίων, καταῤῥοπίων. *Nam in libro vulgarium morborum sexto, sectione secunda, talis sententia legitur:* φλέβες κροτάφων οὐχ ἱδρύμεναι, οὐδὲ χλώρασμα λαμπρὸν, ἢν πνεῦμα ἐγκαταλείπηται, ἢ βὴξ ξηρὴ, μὴ θηριώδης, ἐς ἄρθρα στήριξιν προσδέχεσθαι δεῖ. *hoc est. Cùm venæ temporum non quiescunt, ac color non constat, siquidem spiritus deficiat, atque tussis adsit sicca, non ferina, in articulos abscessum expectare oportet. Nam quod perinde sit, si quis alium moneat, dixisse, venarum motus inspiciendi sunt: num quiescant venæ, aut dixisse num moueatur, cuiuis manifestum est: nempe altero contrariorum, reliquum ostendente. Nam si considerandi motus sunt, animaduertere oportet, num moueantur, an potius quiescant. Præsertim cum libro vulgariũ morborum quarto, in hunc modum scripserit, vbi longam rerum, quæ in morbis obseruandæ sunt, cateruam recensuit:* φλέβες κροτάφων, καὶ συμπτώσιες καὶ χροιῶν μεταβολαί. *id est. Temporum venæ, & compreßiones, & colorum mutationes, considerandæ sunt: in qua parte manifestum est, esse intelligendum* σφύζουσαι, *quod pulsantes significat, vt series esset: inspiciendæ sunt, temporum venæ si pulsent, aut considant, & colorum mutationes. Quantum igitur ad colores, ac venarum compreßiones spectat, hæc satis nostram confirmant sententiam. Ad præcordiorum*

Eandem sentẽtiam Hippocrates in his ἐπιδημιῶν libris iterum atque iterum inculcat.

Codex Hippocraticus emaculatur.

Contrariorum nõdispar est ratio.

verò tumores hæc facient, quæ in libro vulgarium morborum sexto, in citatæ orationis consequutione scribuntur: ἐν ἄρθρα σήριξιν προσδέχεσθαι δεῖ, κατ' ἴξιν τῶν ἐντασίων τῶν κατὰ κοιλίην. *id est. In articulos abscessum expectare oportet, è directo distensionum, quæ secundum ventrem fuerint. At quòd partes quæ vtrinque in ventre sunt,* ὑποχόνδρια *Græcis, Latinis verò præcordia, aut ilia nominentur, vel nominis dumtaxat ratio ostendet. Nam quoniam sub nothis costis, quæ potius cartilagines sunt, iaceant: ita nominatæ sunt. Omittimus alia plurima, quæ nostram confirmarent sententiam, in processu sermonis dicenda. Verum enimvero cùm orationis effugimus vitium, in tenebricosam eius sententiam incidimus: neque probè diuinare possumus: quare Hippocrates signorum tam diuersi generis simul cumulauerit congeriem. Nam alia iudicationis per excretionem sunt signa: alia eius quæ per abscessum fit: alia nullius horum sunt indicia. Equidem colores non solum iudicia futura demonstrant: sed humorum in corporibus abundantiam, nisi in profundum decubuerint. At inter iudicia nonnunquam id quod per excretionem futurum est ostendunt: veluti color faciei, ac oculorum rubens, ex his est, quæ sanguinis è naribus præmonstrant profluuium. At cum color is non constat: neque floridus est: sed potius pallens, vnà cum alijs indicijs. futurum ad articulos abscessum significat. Quemadmodum Hippocrates in citata oratione patefecit, inquiens:* φλέβες κροτάφων οὐχ ἱδρυμέναι, οὐδὲ χλώρασμα λαμπρὸν, ἢν πνεῦμα ἐγκαταλείπηται, ἢ βὴξ ξηρὴ, μὴ θηριώδης, ἐν ἄρθρα σήριξιν προσδέχεσθαι δεῖ κατ' ἴξιν τῶν ἐντασίων τῶν κατὰ κοιλίην ὡς ἐπὶ πολύ. *Cum venæ temporum non quiescunt, neque color splendidus est, & spiritus deficit, tussis quoque sicca adest non ferina: tunc in articulos vt firmetur morbus expectare oportet: e directo distentionum, quæ secundum ventrem fuerint, maxima ex parte. Compreßiones insuper venarum naturalis caloris significant extinctionem, ac sanguinei humoris inopiam, vitalemque facultatem debilitatam: neq; iudicium quoquo modo demonstrant, nisi quòd facultas ad intima se receperit, toto venarum sanguine comitata, tales appareant. Nam cum iudicatio imminet, venarum tunc motum apparere manifestum est: quod nobis Galenus, in libro de ratione curandi, ad Glauconem primo, his verbis ostendit:* Εἰ γὰρ ἐπὶ τούτοις ἅπασιν ἐξαίφνης ὀγκούμενοι οἱ σφυγμοὶ μὴ καταπίπτοιεν εἰς μικρότητα, μηδ' ἀμυδροὶ γίγνοιντο, παραχρῆμα τὴν κρίσιν ἐλπίζειν. εἰ δὲ πρὸς τὸ μὴ καταπίπτειν εἰς ὕψος ἀρθεῖεν, καὶ σφοδρότητα προσλαμβάνοιεν, ἐπιβλέπειν ἤδη χρὴ τὸ πρόσωπον τοῦ νοσοῦντος. εἰ γὰρ καὶ πάλλοιτό τι τῶν ἐν αὐτῷ μορίων, ἢ σφύζοιεν αἱ ἐν τοῖς κροτάφοις φλέβες, ἢ μῆλον, ἢ ῥὶς, ἢ ὀφθαλμὸς ἐρυθρότερα γίγνοιντο, τὴν κρίσιν μᾶλλον ἐλπίζειν. *id est. Si enim omnibus his incidentibus repente pulsus turgescant, neque in paruitatem recidant,*

Color, humorũ significat redũdantiam nisi in profundũ se receperint.

Compreßiões venarum quid indicent.

Venarum validi motus etiam sunt iudicationis mox futuræ indicium.

dant, nec obscuri euadant, iamiam iudicium expectandum est. Si verò præterquam quòd non considunt, etiam in altum attollantur, vehementioresque reddantur, iam inspicienda ægrotantis facies est, in qua si pars aliqua palpitet, aut vibrent in temporibus venæ, aut mala, aut naris, aut oculus rubicundior appareat, iudicij maior aderit spes. Itaque si de venis, quæ in temporibus pulsant Hippocratis sententia sit (quomodo ipse mihi persuadeo: nam aliarum nusquam meminit, sed harum dumtaxat, ac eius quæ in cubito micat, necnon & illius quæ in vmbilico pulsat: homine nimirum secundum abdomen extenuato, aliter enim arteria quæ per spinam perreptat motum non repræsentabit: quanquam nostrates medici ad Mauritanos deficientes, ita sint imperiti, vt putent nõ aliud ex ea motione depræhendi, quàm melancholicum affectum ex flatuoso spiritu: immò non putent eam esse arteriæ vibrationem) illarum vtique obseruatio hæc erit: vt si concidant, aut moueantur intueamur. Id enim Hippocrates obseruari voluit. Si enim considant, nihil aliud quàm reliquæ, quæ per corpus dispersæ sunt significant: si verò pulsent inflammatas esse partes omnes, quæ circa caput sunt ostendunt. Atque pro signorum differentia cum quibus coniunctæ fuerint, aut abscessum futurum, aut excretionem ostendent. Nam si cum his quæ Galenus recensuit, videlicet dolore capitis repente inuadente, cui collum condolescat, ac hypochondrij retractione, repentinaque spirandi difficultate, maxilla insuper, aut nare, aut oculo rubescente, non sponteque lacrymante, aut splendoribus obuersantibus, talis venarum motus appareat, sanguinem de naribus effluxurum significabit. Quod si hæ non quiescunt, neque color splendidus est, & spiritus deficit, tussis quoque sicca adest, non ferina, in articulis morbum firmatum iri oportet, in rectum, vt plurimum distentionum, quæ secundum ventrem fuerint. Atque hæc sunt, quæ de spectando abscessu Hippocrates docuit: audiamus autem huius orationis quod residuum est, id verò in hunc modum habet: ἔχουσι δὲ οὗτοι οἱ πλεῖστοι καὶ ἐξέρυθρα, καὶ τῇ φύσει λευκοχρωτέρου προσώπου, καὶ οὐχ αἱμοῤῥαγέουσι ῥινῶν, ἢ σμικρὰ αἱμοῤῥαγέουσι. *id est. Plurimi autem horum faciem habent rubicundam: & candidiore sunt corporis natura: neque his nares sanguinem effundunt: aut modicè fundunt. Rectè quidem Hippocrates, accurateque omnes abscessuum modos nobis proponit: neque quicpiam quod ad absolutam abscessuum tractationem spectet prætermisisse videtur, cum tam supernarum, quàm infernarum partium abscessus complexus sit. Nam si prima symptomatum syndrone concurrat, potius ad infernas partes abscessum expectare oportet: & fortasse ad testes: quandoquidem ex tussi sicca, non ferina id denotetur. Quibus enim tussis sicca adest, si testiũ tumor superueniat discutitur: vt ipse inferius dicet: ac*

Aegrotantis facies maximũ habet momentum in declarãda futura iudicatione.

Arteria quæ p spinam perreptat abdominis partibus extenuatis suum motũ indicat.

Cõpreßiones venarum quid indicent, pulsationes item.

Sanguis de naribus profluxuri indicia.

Abscessus ad articulos quid significet.

Quando abscessus in testiculis firmãdus sit.

etiam in quarto vulgarium morborum commētario. Huiusmodi nanq; tussis cùm ob maximam humoris in pectoris cauitate contenti, crassitiem, non possit pectora expurgare, translata sensim alio materia, iurè quidem optimo discutitur. Quanquam interdum alia ratione contingat: quoniam humoris, qui in pulmones decumbit, tenuior sit, quàm vt ab spiritu per tussim concitato possit subduci. Cuiusmodi sanè ea tussis fuit, quæ Thasios malè habuit: de qua nos in sequentibus dicemus. Vbi autem in morbo aliquo diutino (is enim per abscessum iudicatur) secunda symptomatum congeries visa fuerit: vt nimirum cum his superius appositus signis, facies etiam rubicunda appareat, tunc apud aures abscessus sperandus est: si sanguis ex naribus non fluxerit, aut si fluxerit discutiendo morbo non fuerit. Quod per Iouem non absque ratione adiectum est: cùm in Aphorismis scriptum inueniamus: ὁκόσοισιν ἐλπὶς ἐς ἄρθρα ἀφίστασθαι, ῥύεται τῆς ἀποστάσιος οὖρον πολὺ, κάρτα παχὺ, καὶ λευκὸν γινόμενον, οἷον ἐν τοῖσι κοπιώδεσι πυρετοῖσι τεταρταίοισι, ἄρχεται ἐνίοισι γίνεσθαι. ἢν δὲ καὶ ἐκ τῶν ῥινῶν αἱμοῤῥαγήσῃ, καὶ πάνυ ταχὺ λύεται. *id est. Quibus spes est abscessum in articulis firmatum iri, liberat ab abscessu vrina multa, ac valdè crassa, albaque, qualis laboriosis in febribus, quarta die incipit quibusdam fieri. Quod si sanguis ex naribus profundatur, breui admodum solutio fit. Hæc sanè sunt quæ futurum abscessum possunt præpedire: crassiore nimirum humoris parte, qui abscessus materia esse consueuit, ad vrinas relegata, tenuiore verò, quæ suopte nutu sursum conscendit, ad nares se conferente, diruptisque vasis foras expurgata. Si igitur fluat, cæterum non pro morbi ratione, quid sperandum est? An abscessum etiam expectare oportet? Maximè quidem, ac promptè: quemadmodum ipse in sequentibus dixit:* καὶ ἢν μὲν ῥυέντων ἐγκαταλείπηται, ἑτοῖμον. *id est. Et si quid eorum, quæ profluunt introrsum relinquatur, promptum est. Proptum (inquam) vt abscessus erumpat. Signa autem ex quibus non commodè, neque abundè humorem noxium profluxisse depræhendemus, ipse retulit:* δίψα ἐγκαταληφθεῖσα, καὶ στόματος ἡ ξηρασίη, καὶ ἀηδίη, καὶ ἀποσιτίη τούτου τὸν τρόπον. *id est. Sitis intus relicta, oris exsiccatio, & insuauitas, & inappetentia, ob eam causam remanent. Denique morbos ostendit, qui hoc modo terminari solent, inquiens:* πυρετοὶ δὲ οὐκ ὀξέες δὲ τοιοίδε, ὑποστροφώδεες δέ. *hoc est. Febres autem non acutæ, eiusmodi sunt, quæ recidiuam faciunt. Nam morbi mos vnum ex his est, quæ futurorum abscessuum præsentionem firmant. Si quidem acutæ, quoniam celerrimo ducantur motu, maximo naturæ impulsu cito iudicantur: atque per excretionem. Quæ autem acutæ non sunt, quòd nullum maximum impetum faciant, imperfectas habent indicationes: proindeq; rursus exoriuntur: & per secundam*

Marginal notes:

Tussis quibus rationibus sicca fit.

Abscessus ad aures quando expectandus.

Sectione. 4. aphorismo. 74.

Quādo abscessus certò prædici potest breui futurus.

Indicia non recte expurgati corporis.

Cuiusmodi febres consueuerint abscessibus iudicari.

ſecundam in abſceſſum expulſionem integrè ſoluuntur. Hæc itaque quòd ad colorum, ac venarum rationē attinet, dicta ſufficiant; redeundumq; eo nobis eſt, vnde nonnihil diſtracta ſermonis ſeries eſſe videtur: percurrendæque reliquæ orationis partes ſunt: inter quas tumores præcordiorum ſeſe offerunt. Proinde videamus, num idem, an diuerſa prædictis ſignificent. Nam quòd præcordiorum tenſiones ex iudicatorijs ſignis etiam ſint, omnibus in confeſſo eſt. Significant enim ſanguinis de naribus profluuium. Num igitur id eſt, quod Hippocrates animaduerti voluit? maximè quidem. Cæterum non id ſolum, ſed plurima alia, quæ ipſe de præcordijs ſcripſit: non parum ad morborum præſagitiones facientia. Primum quidem, quod in Prognoſtico dixit: ὑποχόνδριον δὲ ἄριστον ἀνώδυνόν τε ἐὸν, καὶ μαλθακὸν, καὶ ὁμαλὸν, καὶ τὰ δεξιὰ καὶ τὰ ἀριστερά. Φλεγμαῖνον δὲ ἢ ὀδύνην παρέχον, ἢ ἀντεταμένον, ἢ ἀνωμάλως διακείμενον τὰ δεξιὰ πρὸς τὰ ἀριστερὰ, ταῦτα πάντα φυλάσσεσθαι χρή. *id eſt. Præcordia ſaluberrima ſunt: ſi vacant dolore, molliaque ac æqualia vtrinq; extiterint. Inflammatione autem obſeſſa, aut dolore, aut tenſionem præ ſe ferentia, aut inæqualiter affecta, tum dextera, tum ſiniſtra paret, hæc omnia ſanè vitanda ſunt. Deinde de inflammatione hæc inquit:* οἴδημα δὲ ἐν τῷ ὑποχονδρίῳ σκληρόν τε ἐὸν καὶ ἐπώδυνον, κάκιστον μὲν, εἰ παρὰ πᾶν εἴη τὸ ὑποχόνδριον, εἰ δὲ εἴη ἐν τῷ ἑτέρῳ μέρει, ἀκινδυνώτερον ἐστὶ ἐν τῷ ἐπ' ἀριστερά. *id eſt. Tumor in præcordijs durus & dolens, peſſimus eſt: ſi vtranque occupet partem. Quòd ſi alterutram tantum, ſiniſtra minore cum periculo eſt. At quòd Hippocrates tumorem durum, dolentemque inflammationem nominet, ſatis abundè Galenus monſtrauit. Si igitur is tumor, in aliquo internorum viſcerum ſit, aut iocinore, aut ventriculo, aut liene, breui periculum impendet: quemadmodum ipſe dixit:* Σημαίνει δὲ τὰ τοιαῦτα οἰδήματα, ἐν ἀρχῇ μὲν κίνδυνον θανάτου ὀλιγοχρονίου ἔσεσθαι. *id eſt. Huiuſcemodi verò tumores ab initio mortem breui fore ſignificant. Quòd ſi febris trigeſimum tranſcendat diem, ac tumor perſiſtit, in ſuppurationem verti contingit. Cæterum ſi ſurſum tendant humores (quod ex capitis dolore, oculorumque hebetudine ſignificatur) accidit, vt in prima circuitione, aut ſecunda, ſanguis de naribus fluat: idque potiſsimum in iunioribus, quintum & trigeſimum annum agentibus. Atq; hæc de inflammatione dicta ſunt. Nam ſi mollior tumor eſt, nec dolet, & preſſus digitis cedit, diuturniorem efficit iudicationem: quia frigidior, ac minori cum periculo eſt: quoniam dolore vacat. At ſi prætereat ſexageſimum diem, & febris detinet, fore ſuppurationem, hoc loco, & reliquo ventre ſignificat. Quòd autē deinceps adiecit, conſiderandū eſſe num ad ſuperiora, num ad inferiora præcordia vergant, propterea dictum arbitror: quoniam non idem ſit iudiciū. Nam qui ſurſum ſpectant tumores, vtpote qui in loco ſint calidiore, celerius*

Præcordia ſaluberrima.

Durum dolentemq; tumorē Hippocrates pro inflammatione poſuit.

Mollior tumor œdematis rationem præſe ferens.

Quibus in locis tumores celerius in suppuratione vertantur.

in suppurationem impetum faciunt. Qui verò longius absunt deorsum versus, serius, minusque suppurant. Atque id est, quod Hippocrates dixit: τὰς ἀποστάσιας ἧσσον τὰ ἐν τῇ γαστρὶ οἰδήματα ποιέεται τῶν ἐν τοῖσιν ὑποχονδρίοισιν, ἥκιστα δὲ τὰ ὑπὸ κάτω τοῦ ὀμφαλοῦ ἐς ἐκπύησιν τρέπεται. *id est. Tumor, qui ventrem obsidet, minus facit abscessum, quàm qui præcordia: minimum autem omnium tumor subter vmbilicum ad suppurationem mouetur. Sic igitur in præcordijs res se habet. Plurima verò ex his consideranda sunt, veluti mammæ gracilescentes abortum significant: non enim id rationi est contrarium.*

Gracilescêtes mammæ abortum significât.

Equidem id verissimum esse, tum experientia docet, tum etiam ratio confirmat. Nam si mammæ gracilescant, vt fœtus indigentiam patiatur est necesse. Communes enim venæ quædam sunt, tum mammis, tum etiam vtero: per quas deficientis sanguinis indicia repræsentantur. Cæterum, id nihil cum præcedentibus facit: quoniam iudicationis nota nullo modo esse possit. Denique quòd diutinæ tusses in testes quandoque abscedant, manifestum est: & ipse etiam in quarto vulgarium morborum libro id ipsum ostendit. Verum id, quoniam ex his sit, quæ futurum abscessum significant, mirum non est, si inter alia signa recenseatur: quorum alia abscessum, alia verò excretionem significant. Diutinæ itaque tusses testium tumoribus superuenientibus, euanescunt: si quidem siccæ fuerint, & quibus nihil expuatur. Nam quoniam materiam ex qua pendent, crassissimam esse ostendunt, ideo & longo tempore durant, & abscessum in costis non excitant: quod si excitarent, aut hominem celerrimè auferrent, aut materia calore concocta foras expelleretur: quemadmodum in pleuriticis. Non ab re igitur Galenus, in sexti de morbis vulgaribus enarratione, tusses diutinas sine costarum dolore in testes abscedere dixit. Atqui meminisse perpetuò oportet, eius vrinæ, quæ abscessum futurum demonstrat: ac eius, quæ ab abscessu liberat. Et quidem si tenuem crudamque vrinam diutius quispiam mingat, si cætera vt in conualiturìs indicia adfuerint: in hoc abscessum ad inferiores septo transuerso partes expectare oportet: talis igitur vrina est, quæ abscessum fore significat. Nam si vrina fuerit, tum crassa, tum alba, maximaque copia mingatur, ab abscessu hæc potius liberabit. Habes igitur totam Hippocratis orationem enucleatam: cum tamen institutum eius intelligere nequeas. Nam quæ dicta sunt, vera quidem omnia, ac rationi consentanea videntur. Cæterum, quorsum signorum diuersi generis cumulum acceruauit? Nam si ea tantum apposuisset, quæ iudicationis futuræ, aut per abscessum, aut per excretionem, signa sunt: neque alia inseruisset, quæ decretoria nõ sunt, elegans quidem, ac candida eius oratio fuisset: neque aliqua ex parte suspecta esse posset. Cùm autem temerè plurima in vnum congesserit, quæ diuersas in morbis

Tusses siccæ in testes abscedunt.

Tusses siccæ quæ in testes abscedũt, sine morbo laterali veniunt.

Vrina abscessum futurũ significans.

Vrina ab abscessu liberans

bis habent præsagitiones: meritò eius oratio crimine vacare non videtur. Quòd si quis dixerit, Hippocratem in his signa apposuisse, quæ morbis omnibus communia sunt: ac quæ medicus in omnibus morbis contemplari debet: Verum quidem dixerit: Hippocratem tamen accusabit, quòd eorum, ne centesimam (vt ita dixerim) partem numerauerit. Verum si liber hic ex his esset, quos in lucem prodituros sperabat Hippocrates: meritò quis in eum tanquam mutila quædam, ac quasi decurtata docentem, insurgere posset. Cùm autem hæc à Thessalo (ex his quæ Hippocrates sparsim scripserat, vt sibi dumtaxat faceret satis) collecta sint: non mirum si aliquando obscuriora videantur, quàm vt nos facilè capessamus. Nam aliquando nosipsi, quæ scripsimus, vel sola characterum forma intelligimus, quæ alioqui alteri haud quaquam peruia esse possent. Quapropter in his Hippocrates obscurior interdum Sibyllinis folijs existit. Verum quod nos assequi possumus, iamiam ostendemus. Videtur quidem Hippocrates, quæ animaduertenda in morbis sunt voluisse numerare, ac cùm plurima alia iam mente teneret, quædam dumtaxat, quæ ipse ne exciderēt timebat, alicubi scripsisse: qualia sunt, quæ hoc loco scripta occurrunt. At cùm aliàs plura iam consideranda se offerent, tunc plura his, quæ alibi scripsisset addidisse. Quemadmodum fecisse videtur, in quarto morborum vulgarium commentario, vbi plurima per seriem quandam numerantur: quæ ad quid valeant nullo verbo definitum est: sed nude potius scripta sunt, in hunc modum: αἱ καταστάσιες περὶ οἵας ἐν ᾗσι μᾶλλον καὶ ἧσσον γίνονται ὥρῃσι, χώρῃσι, τὰς ἀκμὰς ὅτι τῶν νούσων, περὶ πρὸς κρίσιν, καὶ τὸ καθ' ἡμέρην, καὶ τὸ πρωΐτερον, καὶ ὀψιαίτερον, τρίτῃ τετάρτῃ περιόδῳ, καὶ περιόδους ἐν ᾗσι τὰ κρίνοντα, οἰδεῦντα, αἱμοδύμενα καὶ μή. *Quæ omnia nullo verbo determinantur: sed promiscuè confusa iacent: atque vt sibi ad memoriam seruaret per seriem ea scribebat, verbumque mente condebat. Nam hæc ita intelligenda sunt:* σκεπτέαι αἱ καταστάσιες καὶ τὰ λοιπά. *id est. Considerandæ sunt morborum constitutiones, quales in quibus magis, aut minus, fiant temporibus, regionibus, vigores morborum, & ad iudicationem, & singulis diebus, num citius accedant, an serius, tertia, quarta circuitione, & circuitus in quibus iudicatoria apparent, tumentia, cruenta, ac secus. Cæterum, cùm ex his, quæ ipse diffusè scripserat, verum sparsim, nobis sententiam vnam congerere voluit: in primo libro morborum vulgarium ipsam apposuit: quem ipse in lucem edendum existimabat, in hunc modum.* Τὰ δὲ περὶ τὰ νοσήματα ἐξ ὧν διεγνώσκομεν μαθόντες ἐκ τῆς κοινῆς φύσιος ἁπάντων, καὶ τῆς ἰδίης ἑκάστου, ἐκ τοῦ νοσήματος, ἐκ τοῦ νοσέοντος, ἐκ τῶν προσφερομένων, ἐκ τοῦ προσφέροντος, ὅτι τὸ ῥᾷον γὰρ καὶ χαλεπώτερον, ἐκ τούτων. ἐκ τῆς καταστάσιος ὅλης, καὶ κατὰ μέρεα τῶν οὐρανίων, καὶ χώρης ἑκάστης. ἐκ τοῦ ἔθεος, ἐκ τῆς διαίτης, ἐκ τῶν ἐπιτηδευμάτων, ἐκ τῆς ἡλικίης

Liber hic non ex his qui scribuntur vt extant in lucem.

Quare obscurus adeò in hoc libro sit Hippocrates.

Hippocratis animus qualis fuerit in hoc scribēdo libro aperitur.

ἑκάστης, λόγοισι, τρόποισι, σιγῇ, διανοήμασι, ὕπνοισι, οὐχ ὕπνοισι, ἐνυπνίοισιν οἷσι, καὶ ὅτε, τιλμοῖσι, κνησμοῖσι, δακρύοισιν, ἐκ τῶν παροξυσμῶν. διαχωρήμασιν, οὔροισι, πτυάλοισι, ἐμέτοισι. καὶ ὅσαι ἐξ οἵων ἐς οἷα διαδοχαὶ νοσημάτων, καὶ ἀποστάσιες ἐπὶ τὸ ὀλέθριον, καὶ κρίσιμον, ἱδρὼς, ψύξις, ῥῖγος, βὴξ, πταρμοὶ, λυγμοὶ, πνεύματα, ἐρεύξιες, φῦσαι, σιγώδεες, ψοφώδεες, αἱμοῤῥαγίαι, αἱμοῤῥοΐδες. ἐκ τούτων καὶ ὅσα διὰ τούτων σκεπτέον. id est. *Morbos dignoſcimus edocti ex cõmuni omnium natura, & propria vniuſcuiuſque, ex morbo, ex ægrotante, ex oblatis, ex offerente. Nam ex his aut leuiores, aut grauiores morbi deprahẽduntur. Ex tota, aut particulari conſtitutione cœleſtium, & vniuſcuiuſque regionis, ex conſuetudine, ex victus ratione, ex vitæ inſtitutis, ex ætate cuiuſq;, ſermonibus, moribus, ſilentio, cogitationibus, ſomnis, vigilijs, inſomnijs quibuſdam, & quãdo, vellicationibus, pruritibus, lacrymis, exacerbationibus, ſeceſſibus, lotio, ſputis, vomitibus. Et quæ ex quibus, in quales ſucceſſiones morborũ. Et abſceſſus in perniciem, & ad iudicationẽ: ſudor, perfrigeratio, rigor, tuſſis, ſternutatio, ſingultus, ſpiritus, ructus, flatus, ſilentes, ſtrepentes, ſanguinis profluuia, hæmorroides. Ex huiuſmodi autẽ, & quæ per hæc fiunt, conſiderandum eſt.*

Quid medicus per ſingulos morbos conſiderare debeat.

Hactenus Hippocrates: qui vnica oratione, quæcunque per varia cõmentariorum loca ſparſim inculcauerat, complexus eſt. Docens quidem medicũ quot ſint, ac quanta quæ ipſum mẽte tenere velit: qui morborum curationem aggreditur. Quodque non debeat varijs diſtrictus negocijs inquieto, ac fluctuanti animo, hùc atq; illuc temerè vagari, cuia refert quæcunque ſcripta ſunt ſigillatim, per ſingulorum morborũ curationem diligenter perſcrutari.

Non debet medicus cui tot rerũ incumbit diligẽs perquiſitio, varijs negotijs impediri.

Ἀποστάσιες ἢ διὰ φλεβῶν, ἢ τόνων, ἢ δι' ὀστέων, ἢ νεύρων, ἢ ἐκ ῥοπέων ἑτέρων. χρησαὶ δὲ αἱ κάτω τῆς νόσου, οἷον κιρσοί, ὀσφύος βάρεα ἐκ τῶν ἄνω.

21. Abſceſſus aut per venas, aut per tonos, aut per oſſa, aut neruos aut alia diuerticula fiunt. Commodi tamen, vtilesq; ſunt: qui ſub morbo fiunt, veluti varices, lumborum grauitates ex ſupernis.

Quod omnis iudicatio fit ab ſceſſus.

Vniuerſam de iudicationũ modis materiam, nobis Hippocrates in præſentia differere inſtituit. Nam quod omnis iudicatio per abſceſſum fiat, maximè notũ eſt: abſcedente nimirũ, qui partes aliquas infeſtabat humore, atq; in ſedem aliã protruſo, ſiue id naturæ robore, ſiue ægrotationis accidat malitia. Quòd ſi quid abſceſſus Hippocrati ſignificet, nondũ ſis aſſequutus: ac proinde veluti ex abrupto noſtrã dãnaueris ſententiã: ridiculus planè videri poſſis. Ac multò ſanè magis, ſi eo veneris inſcitiæ, ne inſipientiam dixerim, vt quod ignoras, nõ ſolũ te noſce putas, verũetiã obſcuri cuiuſdã nominis libellis alios docere conaris. Si igitur nõ noſti: diſcas oportet, nedũ alios inſtituere cogitas, teipſum potius prodas. Abſceſſus itaque, quem Hippocrates ἀπόστασιν *vocat tranſlatio humorum eſt, qui in aliqua fatigant ſede, ſiue per decubitum in ali*

Quid ſit abſceſſus.

quam

quam ingruant partem, veluti tumores, siue per effluxum vacuentur, vt dysenteria, diarrhœa, sanguis de naribus, & similia. Quin etiã cùm ex aliqua ægritudine, in aliam fit transmutatio, abscessum Hippocrates cõsueuit appellare. Hæc omnia nisi ipsius fulciantur testimonio, futilia me hercule erunt. Proinde his, quæ dicẽtur animũ adhibeto. Principio itaq; quòd per effluxũ vacuationes vocet Hippocra. abscessus, liquidò cõpræhendes: si primi de morbis vulgaribus cõmentarij tempestatem secundam perlegeris, vbi in hunc modum scribitur: γινομένων δὲ χρόνων μακρῶν, καὶ πόνων πολλῶν, καὶ κακῆς ξυντήξιος, ἐπὶ τουτέοισιν ἀποστάσιες ἐγίγνοντο, ἢ μέζους ὥστε ὑποφέρειν μὴ δύνασθαι, ἢ μείους ὥστε μηδὲν ὠφελέειν, ἀλλὰ ταχὺ παλινδρομέειν καὶ ξυνεπείγειν ἐπὶ τὸ κάκιον. *id est Post longum verò temporis interuallum, multosque labores, ac prauam colliquationẽ; his abscessus suboriebãtur: aut maiores, quàm vt ferri possent, aut minores quàm vt quicquam prodessent, sed statim retrocederent, & in deterius properarent. Cumq; deinceps quales fuissent recenseret, hæc inquit,* ἦν δὲ τουτέοισι τὰ γινόμενα, δυσεντεριώδεα, καὶ τεινεσμοί, καὶ λειεντερικοί, καὶ ῥοώδεα. *id est. Erant autẽ, quæ his superuenerunt, dysenteriæ, tenesmi, lienteriæ, & fluores. Hæc itaq; ostendunt, per effluxum vacuationes abscessus etiam nominari. At quòd ex morbo, in morbum transmutatio abscessus ab Hippocrate vocetur, in calce appositæ orationis indicauit, adijciens:* ἔστι δ' οἷσι καὶ ὕδρωπες. *id est, quibusdam verò & hydropes. Quòd si hæc non satisfaciant, in eadem tempestate superius paulò quæ scripta sunt perlustrato:* οἱ δὲ τεταρταῖοι, πολλοῖσι μὲν ἐξ ἀρχῆς, ἐν τάξει τεταρταίου ἤρξαντο. ἔστι δ' οἷς οὐκ ὀλίγοισιν ἐξ ἄλλων πυρετῶν καὶ νουσημάτων ἀποστάσιες τεταρταῖοι ἐγίγνοντο. *i. Quartanæ multis quidẽ ab initio in ordine quartanæ cœperũt. quibusdã verò (neq; his paucis) ex alijs febribus & morbis abscessus in quartanas fiebãt. Quin & eodẽ loco hæc inquit:* μοῦνον δὲ χρηστὸν καὶ μέγιστον τῶν γινομένων σημείων, καὶ πλείστους ἐῤῥύσατο τῶν ὄντων ἐπὶ τοῖς μεγίστοις κινδύνοισιν, οἷσιν ἐπὶ τὸ στραγγουριῶδες ἐτράπετο, καὶ ἐς τοῦτο ἀποστάσιες ἐγίνοντο. *id est, Solum verò bonum, maximique momenti signum, inter ea quæ fiebant extitit: quodque plurimos à maximis periculis vindicauit: quibus ad vrinæ stillicidium conuertebatur: atq; ad hoc abscessus fiebant. Iam verò id dissimulandum non est, in Prognostico tumoris suppurationem vocasse etiam Hippocratẽ abscessum in ea oratione libri primi:* Τὰς δὲ ἀποστάσιας ἧσσον τὰ ἐν τῇ γαστρὶ οἰδήματα ποιέεται τῶν ἐν τοῖσιν ὑποχονδρίοισιν, ἥκιστα δὲ τὰ ὑποκάτω τοῦ ὀμφαλοῦ ἐς ἀπόστασιν τρέπεται. *id est, tumores in ventre minus faciũt abscessum quàm in præcordijs, minimè autem omnium qui sunt sub vmbilico deorsum in suppurationem vertuntur. Cæterum de abscessu qui decumbendo fit (quoniam in eo non sit controuersia) testimoniũ adferre fuerit superuacaneum. Proindéque in omnium hominum consensu persistemus:*

P° epid. part. 2. sent. 33.

Per effluxũ vacuationes abscessus nominari.

sent. 35.

sent. 36.

idem animaduertit Gal. in

Ex morbo in morbum transmutatio abscessus etiam nominatur.

E v

ipsum tu

ipsum tumorē nominantes. Porrò quòd omnis iudicatio aliquo horum modorum fiat, manifestum est. Nimirū aut per effluxū vacuata materia, aut per abscessum transmutata. Atqui nos iudicationem, vt Hippocrates nominauit ita intelligimus, non exquisitam illam morbi in melius aut peius, citamque mutationem, sed eam, quæ ad abscessum etiam protenditur. Quapropter de his in præsentiarum erit differendum. Abscessus itaque aut per venas, aut per tonos, aut per ossa, aut per neruos, aut per cutem, aut aliunde fiunt. Equidem per venas, ossa, neruos & cutem fieri abscessus liquidum est. Quanquam per ossa fieri huiusmodi materiæ transumptiones graue admodum esse videatur: ob substantiæ scilicet duriciem, & meatuum constipationem, Attamen dicamus sicut Hippocrates, quod forti naturæ nihil est impossibile: quæ humores ita extenuare potest, vt eos ossium cauitates facilè recipiant. Quos autem Hippocrates nuncupauerit tonos iam nunc inquirendum meritò est. Ac cùm maximam operum ipsius partē disquisiuerimus, non aliud commodius huc facere existimauimus: quàm id quod in quarta huius libri sectione vbi de venis agitur: scriptum ab eo est. Nam in ea parte, vt apparet, neruos ipsos ex sexto neruorum pari, ac septimo descendentes, qui in stomachum insinuantur, ac recurrētes à medicis nominantur, Hippocrates tonos nuncupauit. Fortasse quod vocis contentioni non exiguum prebeant auxiliū. Meritò igitur, qui ad hos neruos spectant abscessus, per tonos fieri ex ipsius sententia rectè quis dicat. Nam qui ad alios pertinent: per neruos fieri iam dixit Hippocrates: cùm nimirum plerosque ferè omnes corporis neruos, perinde ac nos neruos nominauerit: hos vero, quos recurrētes vocamus, priuatim tonos: non desunt tamen qui duriores neruos motioni potissimum inseruientes, à robore tonos nominauerint. Quanquam si oratio hoc modo legatur: nihil dubitationis præseferret: ἀποστάσιες ἢ διὰ φλεβῶν τόνου, ἢ δι᾽ ὀστέων, ἢ νεύρων, ἢ ἐκτροπέων ἑτέρων. *id est. Abscessus aut pro venarum robore, aut ossium, aut neruorum fiunt, aut alio quopiam modo. Sicque per primam orationis partem, ostendisset abscessus qui decumbendo emergunt, per secundam verò alios omnes, qui per effluxum fiunt. Nam quod abscessus per humorum decubitum factus ex parium vnde dicit ortum robore cōtingat necessum est, si frugi quoquo modo futurus sit. At quod earum, quas enumerauit partium robur, maximum sit, quem Græci* τόνον *vocant, satis abundè Gale. decimo tertio therapeutices methodi demonstrauit, his verbis:* σφοδρότερος μὲν γὰρ ὁ τῶν ἀρτηριῶν καὶ φλεβῶν, καὶ νεύρων, καὶ μυῶν ἐστὶ τόνος, ἀσθενέστερος δὲ καὶ ἴσως οὐδ᾽ ὅλως ὁ τῶν ἀδενωδῶν σωμάτων. *hoc est. Valentius siquidem est arteriarum, ac venarū, neruorumque ac musculorum robur: debilius verò & fortè nullum omnino corporum, quæ glandularū sunt natura. Cæterum quòd Hippocrates vtraque vasa,*

Hippocrates latius quodam modo nomen κρίσιος extēdit

Tonos quosnā Hippocrates nominauerit.

Abscessus qui cedit in ægroti salutem ex partium vnde prodit robore nascitur.

Maximum est omnium feminificarum partium robur.

vasa, tam venas quàm arterias, venas nominare cõsueuerit, manifestum ita est: vt sibi familiare, reliquisq; antiquis extiterit. Quibus solum eam, quæ ex pulmonibus in laryngem emergit, arteriam nominare consuetum erat. At verò nos hæc tetigisse voluimus: ut nostrã patefaceremus coniecturam, quando quidẽ lapsum lubricũ videbamus, casu tantũ inuerso τόνων, *aut* πόνων. *Periti itaque viderint quantũ à veritate absit coniectura. Nam id decreto non statuimus. Porrò quod ad eruditionẽ, morborumq; curationem attinet, id est, ni mirum: omnem iudicationẽ cum euidenti aliqua fieri vacuatione, vel abscessu. Deinde meliorem esse iudicationem, quæ fit per vacuationem, præsertim inferiorem, quàm quæ per abscessum. Tertiò eam, per quam humor noxius euacuatur, quàm per quam alter. Insuper, quæ recto sit tramite. Denique quæ facilè tolleratur: ac cũ coctione in die fit decretorio. Inter abscessus verò meliores esse eos, qui in inferioribus corporis partibus oboriuntur: quàm maximeq́ue sub parte effecta emergunt: atque eos, qui secundum rectum fiunt: à parteq́ue præcipua ad minus necessariam, ac morbo insuper à natura concocto fiunt: non crudo vexante humore, atq; in membrum aliud protruso. Atq; id est quod Hippo. animaduerti voluit, sexto de morbis vulgaribus libro, sectione secũda:* σκεπτέα ταῦτα ὅποι, καὶ ὅθεν, καὶ διὰ τί. *id est, Consideranda quidem hæc sunt: quo & vnde, & propter quid. Considerandus enim locus est in quem abscessus ipse decumbit: locus etiam ex quo ortum ducit: numque à natura, an materia potius cogente cõtingat. Nam cùm superius docuisset abscessum omnem secundum rectum fieri debere.* κατ' ἴξιν *(inquiens)* καὶ πλευρέων ὀδύνη καὶ ξυντάσιες ὑποχονδρίων, καὶ σπληνὸς ἐπάρσιες, καὶ ἐκ ῥινῶν ῥήξιες, καὶ ὦτα κατ' ἴξιν, τούτων τὰ πλεῖστα ταῦτα καὶ ἐν ὀφθαλμοῖσι. *In rectum & laterum dolor, & præcordiorum contensiones, & lienis tumores, & ex naribus eruptiones, & aures secũdum rectum, horum plurima hæc, & in oculos. Cumq; deinceps videret in nonnullis planè neq; an è regione facti sint, dignosci posse; vt quòd varices facto è regione abscessu, furorem curauerint. Neq; enim percipere licet, num in dextris, num in sinistris cerebri partibus affectu oborto, in furorem acti fuerint. Quemadmodum neque testium tumore superueniente, dignosci facilè est, num ex dextra an sinistra potius pulmonis parte affecta, talis tumor abscesserit. Quomodo si menses, aut mariscæ, fluant, percipere non possumus, ex qua corporis parte sanguis fluat. Proinde meritò deinceps dubitauit, num abscessus à supernis deorsum sedibus secundum rectum fiant, subiungens:* πότερον ἄρα πάντα, ἢ τὰ μὲν κάτωθεν ἄνω, διὰ τὰ παρὰ γνάθους, ἢ παρ' ὀφθαλμόν, καὶ οὓς κατ' ἴξιν, τὰ δ' ἄνωθεν κάτω οὐ κατ' ἴξιν, καίτοι καὶ τὰ συναγχικὰ ἐρυθήματα, καὶ πλευρέων ὀδυνήματα κατ' ἴξιν. *id est, Vtrum igitur omnia: aut alia quidẽ quæ ab infernis sursum, cuiusmodi quæ iuxta maxillas, aut*

Hippocrates solam asperam arteriam arteriæ nomine significauit.

Cõmodior iudicatio quæ-nam sit.

Abscessus decretorius quibus signis cognoscatur.

An oẽs abscessus tam ab infernis, quàm à supernis deorsum secundum rectum fiant.

las, aut oculum, aut aurem secundum rectum fiunt: alia verò à supernis deorsum, non similiter secundum rectum: quanquam anginosi rubores, & laterũ dolores secundum rectum fiant. In his quidem dubitandum non est: nempe quòd ex angina, in costarum vitium secundum rectum abscedat. Proindeq; secundum rectum fieri certò pronunciauit. At in inferioribus non item. Nam inferiora intelligenda quidē sunt, quæ sub iecore existunt: collum verò, ac costæ ex superioribus sunt: alterũ quamuis altero inferius. Propterea in quibus dubitandi locus est: quæ sub iecore posita sunt erunt: quod & ipse aperuit his verbis. ἢ καὶ τὰ κάτω τοῦ ἥπατος ἄνωθεν διαδόντα, οἷα τὰ ἐν ὄρχιας καὶ κιρσούς. *id est. Aut & ea quæ inferius iecore ex superioribus distributa sunt, veluti in testes, & varices. Nam in his cùm rectitudo liquidò compræhendi nequeat, considerãdum est: quo & vnde, & propter quid. Siquidem cùm hæc vt oportet se habuerint, tunc secundum rectum fuisse exitus significabit. Atque id est, quod de abscessibus Hippocrates cognosci voluit. In præsentia verò non omnia ordine quo dignosci oportebat diggessit: tanquam sibi dumtaxat, & non alijs ipsa scriberet. Nihilominus tamē considerandã tota mente sunt, vtpote Hippocratis præcepta, quæ ipse sibi seruare esset dignatus. Nullus igitur eorum obscuritate perterreatur, aut breuiloquētiam fastidiat, ne ingenij sui inertiam promat. Sed sedulò quæ scripta sunt, assequi studeat; nam si ea vilipenderit, nec in precio habuerit, pro stulto sanè ipse haberi poterit. Audiamus igitur iam quæ locupletius de abscessibus scripsit; dictam iam sententiam denuo repetens.*

Quæ inferiora quæ rursus superiora in corpore censeantur.

Ἄρισται δὲ μάλιστα αἱ κάτω, καὶ αἱ κατωτάτω κοιλίης, καὶ προσωτάτω ἀπὸ τῆς νόσου, καὶ αἱ κατ' ἔκρουν, οἷον αἷμα ἐκ ῥινέων, πύον ἐξ ὠτὸς, πτύελον, οὖρον, κατ' ἔκρουν.

22. Optimi autem potissimum sunt, qui deorsum vergunt: qui etiam quàm maximè sub ventre fiunt: quin etiam hi qui quàm longissime à morbo abscedunt: & qui per effluxum fiunt: vt sanguis ex naribus, pus ex aure, sputum, ac lotium, quæ omnia ex his qui per effluxum fiunt abscessibus sunt.

Vtrorunq; abscessuum in præsenti oratione meminit: tam eius, qui decumbendo fit, quàm eius qui per effluxum. Diximus autem abscessum per effluxum ad soluendum morbum esse potiorem. Nunc verò Hippocrates abscessus inuicem non confert, sed dumtaxat qui inter eos boni sunt enumerat: atq; sermonem iam paulò antea scriptum recolligens, inquit: Optimi autem potissimum sunt qui deorsum vergunt: qui etiam quàm maximè sub ventre fiunt: & hi qui quàm longissimè à morbo abscedũt. Nanq; validã esse facultatem quæ quàm longissimè noxios humores potest protrudere, liquet. Ac proinde libro secundo Prognosticorum dixit: αἱ δὲ ἀποστάσιες αἱ ἐς τὰ σκέλεα ἐν τῇσι πε-

Per effluxum vacuatiões ad soluendũ morbum sunt semper potiores.

Quare abscessus in remotissimis sedibus ab affecta parte vtiles sunt.

θεωνδυμό

ἐν περιπνευμονίῃσι τῇσιν ἰσχυρῇσι τε καὶ ἐπικινδύνοισι, λυσιτελέες μὲν πᾶσαι. ἄρισται δὲ αἱ τοῦ πτυέλου ἐν μεταβολῇ ἤδη ἐόντος γινόμεναι, εἰ γὰρ τὸ οἴδημα καὶ ἡ ὀδύνη γίνοιτο τοῦ πτυέλου ἀντὶ ξανθοῦ πυώδεος γινομένου καὶ ἐκχωρέοντος ἔξω, οὕτως ἂν ἀσφαλέστατα ὅτε ἄνθρωπος περιγίνοιτο, καὶ ἡ ἀπόστασις ἀνώδυνος τάχιστα ἂν παύσαιτο. ἢν δὲ τὸ πτύελον μὴ ἐκχωρέῃ καλῶς, μηδὲ τὸ οὖρον ὑπόστασιν ἀγαθὴν ἔχον φαίνοιτο, κίνδυνος χωλὸν γενέσθαι τὸ ἄρθρον, ἢ πολλὰ πράγματα παρασχεῖν. *Abſceſſus qui erumpunt ad crura in pulmonia vehementi ac periculoſa, omnes quidem vtiles ſunt, optimi autem ſi per ſputi mutationem cõtingant. Si enim tumor ac dolor adfuerint, ſputo iam purulento pro flauo reddito, foraſq; procedente, ita quidem ſecuriſsimè homo ſuperenit, et abſceſſus citra dolorem breui deſiſtet. Quod ſi ſputum non facilè excernatur: neque vrina ſedimentum bonum continere videatur, periculum ſanè eſt ne articulus claudicet, multumque faceſſat negotium. Hactenus Hippocrates: ex quibus ſanè verbis liquidò comprehẽdimus, abſceſſus optimos eſſe ſi deorſum, & quàm longiſsimè à morbo abſiſtant: coctionemq́ue coniunctam ſimul habeant: qua ſi careant laudabiles quidem erunt, quoniã ſuperiores partes, vtpote præcipuas, à periculo vindicant, ac omne malum in infernas ignobiliores reponunt. Et quamuis hi maximo ſubiecti membri damno fiant, totum tamen corpus ſeruatur incolume. Infernas enim partes in diſcrimine verſari quomodo ſuperiores capitale non eſt. Cæterum maximũ periculum impendet, vel claudicatis, vel alterius mali, ſtuporis (inquam) aut reſolutionis. Non abſq; ratione igitur Hippocrates in prædicta oratione abſoluto ſermone dixit: vtiles eſſe abſceſſus à ſupernis deorſum, in præſenti verò non vtiles tantum, verum optimos, quoniam coctionis ſigna his addenda eſſe voluit, aliter enim optimi eſſe nõ poſſent. Porrò cùm Hippo. abſceſſus laudet in præſenti ſermone, qui q̃ maximè ſub ventre fiunt: videtur vtiq; ventrem ipſum mediũ ſupernarũ, infernarumq́; partiũ ſtatuere, ac os ipſius ad ſuperna pertinere, fundum verò ad inferna; quod maximè verũ eſſe, ratione ſibi perſuaſit. Quoniã quæ ventre inferiora, ea omnia ſi afficiantur minus periculũ minantur: q̃ ſi ſuperiora ex quibus cerebrũ eſt, cor, ſeptũ tranſuerſum, ac pulmo: quæ ſi inflãmentur mortifera ægritudo exiſtit. At mẽbris infra ventrẽ inflammatis pauci admodũ pereũt: potiſsimumq́; ſi recta curãdi ratio adhibeatur. Nec refert ſi iecur ipſum mediũ poſueris, cũ ipſius & ventris vnus idemq́; ſitus ſit. Nanq; pari modo iecoris ſima ad infernas partes referenda ſunt: quoniam hæc per ſeceſſum vacuantur: gibba verò ad ſupernas ſpectant partes. Ac proinde inter ſupernas effluxiones vrinæ numerari poſſunt quoniam per eas pars hæc cõmodè repurgetur. Non tamẽ ſicuti quidã eas ſupernas nominabimus: quòd nimirum tenuis humor per ipſas expurgetur, qui ſuopte nutu ſurſum tendit, cum non ſemel in morbis crudas craſ-*

Ad ignobiles partes cum coctiõe facti abſceſſus optimi ſunt: citra coctionem verò laudabiles.

Venter mediũ corporis continet.

Perinde eſt ſiue ventrem ſiue iecur medium ſtatuas.

das crassasque vrinas excerni sit visum. Horum itaque gnarus Hippocrates secundo de morbis popularibus libro, iecur ipsum mediū statuit, inquiēs: Aut & ea, quæ inferius iecore ex superioribus distributa sunt, veluti in testes & varices. Atq; hæc sunt; quæ de media sede animaduerti, & intelligi debent. Nam superna aut inferna ad hanc spectantes ita nominamus. Huc etiam facit, quòd Galenus sexta aphorismorum sectione, trigesimum sextum aphorismum exponens, scripsit. φαίνεται γὰρ ἐν ἅπασι τοῖς συγγράμμασιν ἐπὶ μὲν τῶν ἀνωτέρω τοῦ ἥπατος, ἐκ τῶν χειρῶν ἀξιῶν κενοῦν τοῦ αἵματος, ἐπὶ δὲ τῶν κατωτέρω, τὰς κατὰ ἰγνύαν ἢ σφυρὸν κελεύων τέμνειν. *id est, Videtur enim Hippocrates in omnibus commentarijs, in partibus quæ supra iecur sunt, ex manibus sanguinē mittere: in inferioribus verò ex poplite aut talo. At verò id non alia ratione fit, quàm quòd iecur mediū occupet. Ceterū de abscessibus qui per effluxum fiunt, quòd optimi absoluto sermone sint, diximus iam nos. Quoniam hi ægrotos confestim affectu liberare possunt. Cuiusmodi sunt, sanguinis de naribus profluuium, pus ex aure, & similes eruptiones. Ita enim in aphorismis scriptum est.* Κεφαλὴν πονέοντι καὶ περιωδυνέοντι πύον, ἢ ὕδωρ, ἢ αἷμα ῥυὲν κατὰ τὰς ῥῖνας, ἢ κατὰ τὸ στόμα, ἢ κατὰ τὰ ὦτα, λύει τὸ νόσημα. *id est, Caput laboranti aut circumdolenti pus, vel aqua, vel sanguis defluens per nares, aut os, aut aures, morbum soluit.*

Supna, aut inferna in corpore vocitamus, ad iecur aut vētriculum spectantes.

Sexta aphorismorum sectione. apho. 10.

Ὅσοι μὴ ταῦτα, ἀποστάσιες οἷον ὀδόντες, ὀφθαλμοί, ῥῖς, ἱδρώς.

23. Quibus hæc non fiunt, abscessus sunt veluti dentes, oculi, nares, sudor.

Cùm in præcedentibus docuisset, qui abscessus optimi essent, ac morbum possent propulsare: nunc docet alios, qui quanquam morbo omnino non liberent, faciunt tamen vt ipsum facilius ferat ægrotus. Quibus enim, quos superius memorauimus abscessus, non contingunt, saltem si ad dentes, aut oculos, aut nares diuertat malum, minus quidem erit; aut si sudor erumpat. Sanè qui per effluxum fiunt abscessus comprimis commendantur: qui verò deorsum quàm longissimè abscedunt, quoniā facultatis corpus gubernantis robur demonstrant, optimi etiam iudicandi sunt. Reliqui verò qui in superiores partes, cæterum ignobiles inuehuntur, medio inter hos modo se habent: vt scilicet morbum ex toto non pellant, neque sint omnino inutiles. Tu autem reliqua quæ superius diximus, memoria teneas oportet. Nempe vt naturæ impulsu, non ægrotationis accidāt malitia. Nam tunc opem manifestā sunt allatura. Proinde Hippocrates in quarto morborum vulgarium libro hæc inquit: πέπειροι αἱ ἐπὶ τῇσι νούσοισιν ἀποστάσιες, εἰ κρίνουσι σημεῖον, ἢν πυρώδεα ἐόντα, μὴ πυρεταίνωσιν, καὶ δύσφορα ἐόντα, εὐφόρως φέρωσιν. *id est. Quæ in morbis iam matura abscedunt, num decretoria sint, hoc signo cognosces: si cùm febricitauerint iam*

Quæ matura abscedūt semper sunt decretoria.

rint iam non febricitent, aut cùm molestè antea tulerint iam facilè ferant. Quanquam non hæc ideo dixit: quòd nimirum, quæ matura abscedunt decretoria esse sit dubitandum, sed tanquam ita diceret: quòd ea quæ matura in morbis abscedunt decretoria sint, hoc signo cognosces, quoniam si antea febricitauerint iam non febricitant, aut si morbum ægrè antea tulerint iam facilè ferunt. Horum itaq; exempla proponens subinfert: οἷον τὰ περὶ τῇ ἕδρῃ Χάρωνι, Τῷ δὲ Λεαμβίῳ ἑλκώδεος ἐντέρου δοκέοντος εἶναι, ἐν δυσεντερίῃ φαρμακευθέντι ὦμος καὶ ἕδρη ἀφηλκώθη ἀπυρέτου ἐν ἀριστερῷ. id est, Quemadmodū quæ Charoni in sedē abscesserunt. Leambico verò in difficultate intestinorū cùm intestinū vlceratum videretur ac medicamentū fuerit adhibitū humerus doluit, sedesque sinistra in parte vlcus contraxit, ipso febre libero. Huc etiam facit quòd eodem in libro, ab ipso scriptum est: ἡ Ἐμμύριος παῖς ἐπυρέτηνε, καὶ ἐξ ὠτὸς ἐῤῥύη πυώδες, περὶ ὀγδόην οὐκ οἶδα σαφέως. id est. Emmyris puella febre correpta est, ex aureq; purulentum quiddam fluebat, circiter octauum, neq; id planè noui. Iam verò deinde. ἔστι δ' ὅσι καὶ ὀδὼν ὑπῆρχε βεβρωμένος, μάλιστα ὁ τρίτος τῶν ἄνω, ἀντὶ πάντων δὲ οὗτος εὑρίσκεται βεβρωμένος, ἐς τοῦτον ὀδύνη καὶ ἔστιν ὅσιν καὶ περιπύημα, ὅσι δὲ ἐς ὦτα ἰχυρῶς βήσσοντες μᾶλλον ἢ ἐκεῖνοι. id est. Quibusdam dens corrodebatur: potissimū tertius è supremis, præ cunctis nanque is corrosus inueniebatur: in illumque dolor inualescebat: est etiam & quibus circum suppuraret. Quibus verò in aures tubercula se insinuassent, his magis quàm alijs tusses accidebat. Hæc omnia manifestò ostendunt, ægrotos ex his abscessibus (quanquā optimi nō sint) quoquo modo leuari. Nā cum Emmyris puellam, ex aure purè fluente febrem dimisisse conspexerit, quòd inde manifestum fit, quoniam neque obijsse, neque in longius tempus ægritudinem fuisse productam dixerit: cumque vidisset octauo die qui decretorius non est, secundū quod dies computauerat, id accidisse, meritò subintulit: neq; id planè noui. Nempe quòd octauo die euenerit: sed circiter octauum potius, nimirum cùm septimus iam fuerit dies. Apponamus porrò orationem aliam, ex qua quando in oculos abscessus est futurus, certiores fiemus: hæc autē in hunc modum se habet, in quarto similiter vulgarium morborum libro scripta Τῇ ἐν τῇ Βυλαγόρεω κώμῃ, ἀνακαθαρθείσῃ, ἤρξατο πυρεταίνειν ἀπὸ σπληνός, ἔχουσι δὲ καὶ δεξιὸν ὑποχόνδριον μετέωρον μὲν οὐκ, ἐν τεταμένον δέ, οὗτοι καὶ ἐξέρυθροι γίνονται μάλιστα, ἐξέρυθρος ἐοῦσα, κοιλίην ἐν ἀρχῇσι τεταραγμένην, προσεδεχόμην ἐς ὀφθαλμοὺς στήριξιν. id est. Quæ in Bulagoræ vicu purgata fuerat, cœpit ex liene febricitare: habentibus autem dextrum præcordium nequaquam sublime, verum intentum, rubor accedit, prærubriq; hi maximè fiunt, hæc autem prærubra cùm esset, ventremq; ab initio turbatum haberet, expectabam abscessum in oculos firmatum iri: optimè me hercule Hippocrates eos qui præcordia

Abscessus ad aures.

Abscessus ad dentes.

Abscessus ad oculos.

cordia dextra intenta habent; non autem ab obstructione sublimia, prærubros euadere, in præsenti dixit oratione. Tu autem accipe quid rubor Hippocrati sit: & qui ab eo prærubri nominentur: vt totam eius sententiam assequaris. Et quidem cùm aspectus omnis, vt oculi, malæ, & reliquæ faciei partes rubore suffunduntur, ruborem hunc affectum solet Hippocra. nominare. Illos verò, qui propter copiam humorum in capite vnà cum calore contentorũ in eum affectum incidunt prærubros nominauit: Græce ὑπερύθρους. Quòd autem quibus hæc copia calidorum succorum in capite colligenda est, vt in oculos facilè irrepat, sit promptum; illorum nimium imbecilla facultas facit. Rursus quòd hi, qui dextra præcordia intenta habent, in hunc affectum facilè labantur, manifestum est. Cùm id præ nimia humoris sanguinei copia, in iecur ingruente maxime fiat: qui sanè humor calidus cùm sit, febris calore efferuescens, in altũ librat; supremasque petit partes. Rectè igitur dixit, cumq; hæc talis esset, nempe ex modo ruboris, ventremque ab initio turbatum haberet: qui affectus cum debuisset rubore ipsam liberare, ac non potuerit: maximæ humoris copiæ ad supernas partes fuit argumentum. Nam intercepta aluus capitis symptomata semper exacerbare consueuit: quomodo & fluida demulcere. Expectauit igitur malum ad oculos firmatum iri: Num igitur quod sperauit contigit? Tibi quidem si quod superest sermonis perlegeris, manifestum fiet: qui in hunc modum se habet. Ταύτῃ ἑβδόμῃ ἁλμυρὸν ἐκ τῶν ὀφθαλμῶν ἦλθεν δακνὸν δάκρυον, καὶ κατὰ ῥῖνα, καὶ κατὰ φάρυγγα, καὶ οὖς ἀριστερόν. πεντεκαιδεκάτῃ ἵδρωσε σὺν ῥίγει, οὐκ ἐκρίνετο, περίψυχος ἐχλωρίασε κάρτα, ἐπὶ προσώπου περίστασις, καὶ σύμπτωσις. τὸ οὖς κατ' ἴξιν τοῦ σπληνὸς, καὶ τοῦ πλευροῦ ἄλγος. id est, Huic septima die salsa ex oculis profluxit, mordens lachryma; secundumq; nares, ac fauces, sinistramq; aurem is humor dispersus est. Decimoquinto die cum rigore sudauit: haudquaquam iudicata est; ante rigorem tota pallida vehementer euasit, faciesque circumtenta, atque contracta est. auris è directo lieni respondẽs, ac lateri dolore obsessa est. Sed de his quidem hæc dixisse sufficiat: quòd autẽ sudorem simul numerauerit, aliquem fortasse oratio remorabitur. Nam sudorem inter illos: qui per effluxum fiunt abscessibus numerari par erat. Qua igitur ratione reticuit? Non alia profectò, q̃ quòd videret sudorem rarò integrè morbũ propulsare, nisi longo perseuerauerit tempore. Atque id quidem experientia docet. Quanquam non sit dubitandum, quandoque integre liberare morbo ægrotum: alioqui enim frustrà scripsisset Hippocrates sudorem optimum esse, si in decretorio fiat die; ac integrè sedet febrem. Sed quoniam maxima ex parte sudor ab Hippocrate bonus nominatur: ob eam rem nunc sudorem inter ea numerauit, quæ non sunt omnino inutilia, sed ægrotum possint quoquo modo leuare.

Rubor Hippocrati quid.

Galenus. 2. Prorheticorũ.

ὑπέρυθροι quinã sint.

Ventris fluor affectus omnes capitis lenit.

Iudicium decimaquinta die.

Sudor raro ex toto morbũ soluit, nisi longo tẽpore duret.

ἀτὰρ

ἀτὰρ καὶ ὑπὸ δέρμα ἀφιστάμενα ἐς τὸ ἔξω φύματα, οἷον τραγγαὶ, καὶ τὰ ἐκπυοῦντα, ἢ ἕλκεα, καὶ τὰ τοιαῦτα ἐξανθήματα, ἢ λεποὶ, ἢ μάδησις τριχῶν, ἀλφοὶ, λέπραι, ἢ τὰ τοιαῦτα ὅσα ἀποστάσιες μὲν ἀσὶν ἀθρόως ῥυεῖσαι, καὶ μὴ ἡμιῤῥόπως.

24. Quinetiam si sub cutem prodeant foras tubercula, velut madentia, & quæ pus emittunt, vlceraq́; ac similes eruptiones, desquamationes, capillorum glabricies, vitiligines, & lepræ, & alia similia, quæcunq; abscessus sunt, qui confertim fluxerunt: & nequaquam semifluentes in eas partes decubuerunt.

Peregit Hippo. abscessuũ differentias percensere, quibus materia alio ducta morbis liberantur ægroti. Atq; horũ genere omnia cõpræhenduntur ignobiliũ particularũ mala: ad quas ex principibus materia vitiosa transmittitur. Proq; partiũ, ac materiæ discrimine, alia atq; alia sequũtur incõmoda. Nam si ad caput, mẽtumq; se humores cõtulerint, glabriciem efficiẽt, defluentibus capillis: si verò alio repserint, defluxusq; biliosus extiterit, serpentia vlcera excitabuntur: sin atrabilaris lepræ, aut psωræ: quæ ex genere scabiei sunt, ab atra bile cõcitatæ: ex quibus squamis pisciũ similia interdũ defluũt: cũ nimirũ humor is altius impactus fuerit. Quandoq; furfuribus similia: cùm in superficiem se is humor receperit. Atqui inter se nõ alio dissidẽt, q̃ quòd lepra non solam corporis superficiẽ vitiat, sed altius magis q̃ psωra carnẽ attingit: Nam quòd deforme illud malũ, quo ægrotantes execrãdi, atq; detestabiles reddũtur: lues inquam pertinacissima, quæ nullis medicaminũ auxilijs cedat, lepra nõ sit: cùm alia plurima, tum etiã præsens oratio ostendit: in qua Hipp. inter abscessus bonos lepram ipsam adnumerat. Quòd autẽ boni abscessus ideo tales sunt, quoniã grauiori morbo, ex quo vitæ periculum impendebat, ægrotos liberẽt, manifestum est. Quo igitur morbo se grauiori labes illa detestatissima liberare potest, cùm malorũ omnium supremum sit? Quæ nõ prius se in externis partibus profert, quàm intima irreparabiliter vitiauerit? Quanquam nostri medici ad Mauritanos iugiter deficientes: eo sint imbuti errore, vt lepram cum elephantiasi promiscuè confundant. Quibus id quidẽ accidit, vt cum ad Græcos accedãt autores, pro lepra elephãtiasim intelligẽtes, ab omni deuient veritate. Est igitur lepra scabiei species, quæ medicamẽtis facilè sanescat: catenus dumtaxat à psωra dissidens, quatenus scriptũ à nobis est. Talia autem erãt, quæ in quarto vulgariũ morborũ libro recensuit, in hunc scribens modũ.

Lepra & psωra ex generibus scabiei sunt.

Lepra & psωra quatenus differant.

Longè aliud lepra ab elephãtiasi.

Μετὰ πληϊάδων δύσιας, νότια, πέπηγε κειμένα, διαλιπόντα μίαν λαμβάνει. τὰ δὲ φολικώδεα ἐπιφλυκταινούμενα, οἷα τῷ Ἀκανθίῳ λατύπῳ. ἐπὶ δὲ πληϊάδων δύσιας ὑποψωρώδεα καὶ τρηχέα τὰ κνησμώδεα οὐκ ἐπιδακρύοντα, μᾶλλον μὲν ταύτην τὴν ὥρην. Ἀτὰρ καὶ τὰ λειχηνώδεα ἐξαιρόμενα, τοιαῦτα ἦν οἷα τῷ Πυθοδώρου καὶ τῷ Καπηλίῳ ξυνὼν πυρετῷ ἅμα ἀρχομένῳ σχεδὸν, τῷ Πυθοδώρου δὲ ἰσχία ἀκρατέα. *id est. Post*

occiduas Vergilias, austri perflarũt: quinto die iudicia fiebant, intermittebãt autem diem vnum, deinde redibant. squamosæ quædam pustulæ erumpebãt, quemadmodum Acanthio Lapyto contigit: circiter verò earundem occasum, aderant in cute scabiosa quædam aspera, ac cũ prurigine, ex quibus nihil resudaret: quæ tum potissimũ vigebant. Sed erant etiã veluti elati quidam lichenes: qui Pythodori coniugi, ac Capelio cum febre ferè simul inchoante apparuerunt. At Pythodori cõiugi coxendices nõ admodum constabant. Hæc quidem Hippo. nos verò totam sententiã apponere voluimus, tum quòd deprauata in nostro legeretur exemplari (quomodo & aliæ multæ) tum etiam vt cognosceremus, quænam Hipp. φολικώδεα *nominauit, quæ etiam* λοπιῶντα. *neq; enim vnquam Græca proponimus temerè, neq; iactabundè, aut æmulis fastidienter. Sed quoniam res ipsa efflagitat: vt Græcarũ vocum energia studiosis elucescat. Nam in præsenti oratione vbi nos desquamationes vertimus, Hippocrates* λοποὺς *apposuit. Sunt igitur* λοποὶ *cum furfuracea quædam, aut porriginosa, squamosa'ue, ex aliqua defluunt parte: quæ si ex capite, aut mento, aut supercilijs deciderint* πίτυρα, *hoc est, furfures Græci nominare consueuerunt. Affectum verò* πιτυρίασιν, *hoc est, porriginem. Si verò per reliquũ corpus glomerentur,* λεπίδας, *aut* φολίδας *nominant: partem verò* λοπῶντα, *aut* λοπιῶντα, *aut* φολικώδη, *translata, ab arboribus appellatione: quæ quo tempore cortices turgescunt, atq; exemptiles sunt* λοπιῶντα *nominantur. Cæterũ cùm vitij huius origo ex succi siccitate ortum maximè ducat, sæpius arentes defluere squamas æquũ est: quanq̃ interdum madoris nonnihil præseferant, cùm nimirũ vlcerata pars illa ex qua defluunt fuerit. Ac proinde Hippo. in citata oratione* φολικώδεα ὑποφλυκταινούμενα, *id est, squamosas pustulas Acanthio Lapyto accidisse scripsit, illarũ squamarum subindicans madorem. Cùm verò summam siccitatẽ nobis significare voluit, sic scripsit:* ὑποψωρώδεα καὶ τρηχέα τὰ κνησμώδεα οὐκ ὑποδακρύοντα. *id est, Scabiosa aspera, ac pruriginosa non illachrymantia. Hæc itaq; sunt, quæ Hippo. intelligi voluit. In summa vt diuertens in partem aliquam humor, quæ minus necessaria sit, atq; in ea abscessum faciens, vtile quid laboranti portendat: dummodo totus in eam deriuet partem. Nam si semifluat dumtaxat, inutilis nõ solum erit, verum etiam malũ nunciabit: quatenus naturam infirmam ostẽdit: quæ se deonerare tentauerit: atq; id præ imbecillitate perficere nequiuerit. Talium autẽ signorũ genus deterrimum est: deteriusq; est, si vbi cœperint cessent, quàm si nullo apparent pacto: victam siquidem à morbo facultatem significant.*

λοποὶ quid sint

πιτυρίασις quid

λεπίδες & φολίδες, quid.

Squamosæ pustulæ.

Quod genus signorũ sit deterrimum.

Καὶ ὅσα ἄλλα εἴρηται, καὶ ἢν μὴ ἀναξίως τῆς περιβολῆς τῆς νόσου, οἷον τῇ Τημένεω ἀδελφιδῇ ἐκ νόσου ἰσχυρῆς, ἐς δάκτυλον ἀπεστήριξεν, οὐχ ἱκανὸν ἦν δέξασθαι τὴν νόσον, ἐπαλινδρόμησεν, ἀπέθανεν.

Et quæ

25. Et quæcunq; alia iam commemorata sunt: siquidem non inde center morbum ipsum possint complecti, quemadmodum Temeni nepti ex morbo vehementi in digitum abscessus firmatus est: cumq; non rectè morbum excipere potuisset, repetijt: mortuaq; inde est.

Non solū quæ enumerata in præsentia sunt, inter abscessus bonos sunt recensenda: sed alia etiā, quæ alibi scripta nobis reliquit Hippo. in alijs potissimum vulgariū morborū libris, quorum multitudo numero cōpræhendi non potest: quē qui scire cupit, Lybici velit æquoris idē, dicere quàm multæ zephyrio versentur arenæ. Neq; enim singularia, priuataq; præ multitudine in artem redigi queunt. Quatenus igitur ad artē cōuenit, eatenus dumtaxat ea nō uisse expediet. Nempe bonos, laudabilesq; abscessus omnes genere quodā, specie'ue cōplecti. Boni igitur omnes erūt, quicunq; excernēdo morbo fuerint satis. Qui verò tales nō fuerint, damnādi erūt.

Indicationum innumeræ species.

Boni abscessus præcipua ratio.

Nam si crudorū succorū multitudo hominē premat, quam abscessu propulsandam fore medicus speret: deinde papulæ quædam paruæ per corpus emergāt, quæ noxio humori nō correspondeant, nullū sanè ex his cōsequi ægrotus poterit emolumentū. Quod si nō solū paruæ, parumq; capaces sint, verū etiā statim euanescant, omniū deterrimæ sunt æstimandæ. Nanq; deterrima sunt (vt scripsit Hipp.) quæ cōfestim euanescūt. Quòd igitur præ cæteris omnibus obseruandū est, id vnū erit: vt abscessus totiusmateriæ, quæ morbū parit capaces sint. Atq; id est, quod ipse dixit; ἢν μὴ ἀναξίως ᾖ τῆς περιβολῆς τῆς νούσου. *i. Siquidē nō indecēter morbū ipsum possint cōplecti.*

Parotides in paraplegicis malæ.

Sic, exempli gratia, in paraplegico parotides frugi nō sunt, quoniā tanto morbo excernēdo nō sufficiūt. Quemadmodū Hipp. in prorrhetico scripsit. Τὰ περὶ ὦτα φλαῦρα τοῖσι παραπληγικοῖς. *i. Quæ apud aures extuberant in paraplegicis vilia. Huc etiam spectant, quæ primo vulgariū morborū lib. ab ipso scripta sunt:* Ἐξανθήματα μικρὰ, καὶ οὐκ ἀξίως ᾖ περιβολῆς τῶν νοσημάτων, καὶ ταχὺ πάλιν ἀφανιζόμενα. *i. Pustulæ quædā paruæ erumpebāt: quæ haud decenter morbū ipsum cōplecti poterant: è vestigioq; euanescebant. Quæ etiam Temeni nepti in digitū abscesserunt, istiusmodi erant, quæ excernēdo morbo non essent. Nanq; abscessum ex morbo vehemēti in digitum firmatū esse scribit. Scilicet quòd natura per vim fortem morbum excernere fuisset aggressa: neq; voti cōpos fieri potuerit. Meritò itaq; repetijt morbus: ac ipsam de medio abstulit. Sed hic quid repetere Hippocrati significet videndū est. Sanè abscessus omnis aboletur, aut euanescit bifariā: interdum propter humoris tenuitatem, & partis laxitatē, ambientisq; aëris caliditatem, necnō & propter medicamenti adhibiti potestatē, viriumq; robur. Atq; si ex aliqua dictarū causarū citò abscessum faciens humor dissipetur, nō est quòd medicus perterrea-*

tur. Euenit tamẽ aliquãdo, vt alio transmeantibus humoribus, viribus omninò superatis, talis abscessus abolitio cõtingat: quæ damnãda omniũ maximè est: quoniã facultatẽ deuictã significat, quæ humores vltro citroq; ferri permittit. Si igitur in sedem pristinam humores remeauerint, id quidẽ Hippo. repetere consueuit appellare, Græcè παλινδρομέειν. Si verò alio transferantur, non propriè repetere nominat: sed in quam ingruant partem tunc exponit.

Sumptum ex Galeno prædictionum libro secundo, capi. de abscessibus.

Ἀποστάσιες ἢ διὰ φλεβῶν, ἢ διὰ κοιλίης, ἢ διὰ νεύρων, ἢ διὰ δέρματος, ἢ κατὰ ὀστέα, ἢ κατὰ νωτιαῖον, ἢ κατὰ τὰς ἄλλας ἐκροάς, στόμα, αἰδοῖον, ὦτα, ῥῖνας. ἐξ ὑστέρης ὀκταμήνῳ τὰ τῶν κρισίων τῇ ὑστεραίῃ, ὡς ἂν ἐν τὴν ὀσφὺν ἢ ἐν τὸν μηρόν.

26. Abscessus aut per venas, aut per aluũ, aut per neruos, aut per cutem fiũt: aut per ossa, aut per spinalem medullam, aut per alios effluxus, vt os pudendum, aures, nares. Ex vulua cuidam quæ fœtum octimestrem gestabat, postridie iudicia facta sunt: quasi in lumbos, ac coxas malum reperet.

Vetus adagiũ est, δὶς κράμβη θάνατος, repetitam inquam crambem, nedũ fastidium ciere, sed etiã occidere. Nisi cõditura mutata sit, quæ rem eandem sic immutare potest, vt alia omnino videatur. Quod igitur nos in obsonijs experimento cõpræhendimus, idipsum in doctrinis videre licet: quæ nõ secus intellectui victum suppeditant, q̃ epulæ corpori. Ac proinde mens nostra perpetuo nouarũ rerum amore tenetur: proficereq; cõtinuò poscit. Quòd si semel aliquando quicquam libenter admiserit, ac denuo eodẽ tenore hoc ipsum proponatur, nauseabundè, ac cum fastidio id excipiet: At si elaboratum, præparatum'ue, aliam penè induerit formã, tantum abest vt auersetur, vt auidissime interdum amplectatur. Cæterũ rem ipsam eandẽ ita condire, eius dumtaxat interest, qui artifex fuerit absolutissimus: neque summæ breuitati studuerit. Qualis vtiq; Galenus ille maximus fuit: in cuius doctrina vt nihil superfluũ, ita nihil desiderandũ est, quod ad medendi vsum spectet. Cumq; ipse plurima nõ denuò solum, verũ iterũ atq; iterũ repetierit: si eius eloquentiã, locupletissimamq; orationẽ intuearis, non laudabis tantũ, sed magis admiraberis. Rursus apud Hippo. qui iugiter Laconũ breuiloquẽtiæ adhæsit, si quid iteratò repetitum videatur, crimine vacare nõ poterit Præsertim si id in eodẽ cõtigerit libro: atq; ita vulgatissimum sit, vt à nullo ignoretur. Nam quæ maximè necessaria sunt, ad curationẽ præsertim, eademq; maximè ignorata: quod identidem repetere non grauetur, nouimus: δὶς γὰρ καὶ τρὶς τὰ καλά. Quis igitur eius ingenij gnarus non hæsitabit, cum videat ea, quæ dudum antea scripta sunt, hoc loco iterum repetita? Cæterũ quoniam liber hic si ab Hippocrate ipso scriptus est: nõ in hoc scriptum esse, vt in lucem prodiret, inter omnes conueniat: si verò ab Hippocratis filio Thessalo collectus sit, ex his quæ pater sparsim

Gal. laus quòd nihil unquam dixerit quod non faceret ad rem.

Hippoc. Laconum breuitatẽ est imitatus.

Non consueuit Hippocra. eadem multoties inculcare nisi admodum seria fuerint.

seminaue

ſeminauerat:nec ipſum omnia ordine collegiſſe,ſit ab omnibus confeſſum:meritò criminis huius ſuſpicio diluitur. Quid enim mirum eſt Hippocratem ſibi ad memoriã eadem bis ſcripſiſſe? fortaſſe etiam priorũ immemorẽ? Theſſalus verò vt qui patris præcepta non minus ac deorum oracula coleret:ne quid periret ſedulò ſtuduit. Ob eam itaque rem, id præſertim in hoc libro aduertendum ſtudioſi meminerint: tantũmodo ſermonis veritati eſſe incumbendũ. At quod huius ſermonis ſeries vera ſit, iam antea eſt à nobis oſtenſum. Cæterum quoniã in græco exẽplari non eodẽ omnino modo hæ ſententiæ ſcribũtur, animaduertendũ etiam & id erit. Superius enim ita ſcripſit, ἢ δι' ὀστέων, ἢ νεύρων ἢ δέρματος. *In præſenti verò ſermone non per* διὰ *præpoſitionem, quæ per ſignificat: ſed per* κατὰ. *id eſt ſecundũ, hoc modo* ἢ κατὰ ὀστέα, ἢ κατὰ τὸν νωτιαῖον, ἢ κατὰ τὰς ἄλλας ἐκροάς. *Proinde ſciendum eſt Iones hac præpoſitione* κατὰ, *iunctã accuſatimo perinde vti, ac* διὰ *præpoſitione. Quemadmodum Homerus* κατὰ νῆας ἀχαιῶν *.id eſt. per naues Græcorum; & alibi:*

κατὰ præpoſitio pro διὰ interdum vſurpatur.

ἡμεῖς δ' ἀθρόοι ὧδε κατὰ στρατὸν εὐρὺν ἀχαιῶν
ἵομεν. *id eſt.*

At nos confertim per Achiuæ maxima gentis.
agmina graſſamur.

Quod autem deinceps Hippoc. ſcripſit: Ex vulua verò cuidã, quæ fœtũ octimeſtrẽ geſtabat, poſtridie iudicia facta ſunt tanq̃ in lumbos & coxas malũ reperet: bifariã intelligi poteſt. Tum quòd prima orationis pars cum præcedẽte coniungatur ſermone in hũc modũ: aut per alios effluxus vt os, pudendũ, nares, aures, ex vulua. Quam ſanè lectionẽ Cornarius ſequutus eſſe videtur. atq; non ὀκταμήνῳ *quòd eſt octimeſtri, ſed* κατὰ μήνια. *id eſt, mẽſtrua legiſſe. Id autẽ non ſatis arridet. partim quod mutilata ſequens ſentẽtia videretur: partim quòd ex quo in lumbos ac coxas malũ abſceſſiſſet haudquaq̃ ſignificaſſet. Adde quod omnia, quotquot vidimus exemplaria* ὀκταμήνῳ *habent; hoc eſt octimeſtri. Tum etiam vt ſicut nos ſcripſimus ita legatur: in quam ſententiam magis animus inclinat. Quanquam ne ſic quidem certò quicquam cenſeri poteſt: Cum affectionis qua mulier illa laborabat nihil meminerit. Porrò iudicium ſecundo die adfuiſſe cùm dicat, pendere nos animo cogit: aut ſaltem cogitare maximum ipſam exercuiſſe malum, ex quo in diſcrimen citiſsimè venerit. Nam vt antea ſcripſit,* τῶν παραχρῆμα ἀπολλυμένων ταχύτεραι αἱ κρίσιες διότι ταχέες οἱ πόνοι καὶ ξυνεχέες καὶ ἰσχυροί. *Eorum qui confeſtim morituri ſunt, celeriores ſunt iudicationes: quoniam labores celeriter vrgent, continuique ſunt, ac vehementes. Quatenus autem vuluæ cum lumbis, ac coxis conueniat, omnibus his, qui ſitum ipſius didicerunt manifeſtum erit. Sed de his ſatis, ne abſurdum fortaſſe videatur diligentiores in his eſſe, in quibus diligentia locum non habet, ſed tantum diuinatio.*

Abſceſſus ex vulua in lumbos & coxas.

Καὶ ἐν ὄρχιας ἐσὶ δ' ὅτε ἐκ βηχέων, καὶ ὄρχις αὐτὸς ἐφ' ἑωυτοῦ.

27. Quin & in testes ex tussi quandoque abscedit: testesq; ipsi in seipsos.

Tußis ad testes abscedit, testesq; rursus ad tußim.

Quibus sicca tußis adest, si testiũ tumor superueniat discutitur: è contrarioq; quibus testes tumēt, si tußis succedat, testiũ tumor euanescit. Idq; nobis per theωrematis modum, non semel proposuit Hippo. Cæterũ huius rei experimentũ in primo morborũ vulgariũ libro, statim inter initia, in ea tempestate quæ Thaßios malè habuit, proponit: in hunc scribens modũ. πλεῖστοισι δὲ βῆχες ξηραὶ, βήσσουσι καὶ οὐδὲν ἀνάγουσι, καὶ φωναὶ βραγχώδεες, οὐ μετὰ πολὺ, τοῖσι δὲ καὶ μετὰ χρόνον. φλεγμοναὶ μετ' ὀδύνης ἐν ὄρχιν ἑτερόῤῥοπαι, τοῖσι δὲ ἐπ' ἀμφοτέρους. *id est. Plurimi autē arida tußi molestati, nihil ex pulmonibus educebant: sed voces quibusdã non multò post raucescebant: quibusdã verò post longũ tempus: inflammationes cum dolore, alijs quidem ad alterutrum testem, alijs verò ad vtrunq; suboriebãtur. Vides igitur quomodo pro vtrarunq; partiũ consensũ, hi abscessus vt fiant, sit necessum. Transferente scilicet natura, ea quæ molesta sunt, in sedem aliam cognatam. Atq; id me hercule est, quod superius dixit:* ὑπόμνημα κοινωνίης, στηθέων, μαζῶν, γονῆς, φωνῆς. *id est. Monumentũ colligantiæ, pectoris, mammarũ, genituræ, & vocis in se. Itaq; sexto morborũ vulgariũ libro, pro eo quòd inuicē vox & testes habent consortio, in vocis mutatione, cũ pueri in adolescentes transeũt: vter testiculorũ intumescat magis, ac elatior fiat, contēplari iubet. Nam si dexter fiat habitior, marem generaturũ fore est sperandũ: si verò rursus sinister magis attollatur, potius fœminã: scripsit verò orationē in hũc modũ:* τράγος, ὁπότερον ἂν φανῇ ἔξω ὄρχις, ἢν μὲν δεξιὸς ἄῤῥεν, ἢν δὲ εὐώνυμος θῆλυ. *id est. Tragus vtrũ testiculorũ prominētiorem habeat, est cõtemplandũ: nam si sinistrũ, fœminam generabit: si dextrũ marem. In qua oratione quoniã ea vox* τράγος, *quæ hircũ significat, nõ parum nobis ambiguitatis affert: in præsentiarũ est enucleanda: quanq̃ longior aliquantulum oratio sit euasura. Nam si ad hircũ vox illa esset referenda, vt leue quidem quod docuisset esset: ita minimè ad medicũ spectaret. Quæ enim docentur omnia, de homine efferantur oportet: animali nimirũ nobilißimo. Proindeq́ue consultò factũ est, vt qui animaliũ cæterorũ curam gerunt, haudquaq̃ absoluto sermone medici dicantur. Sed hi quidē veterinarij, Græce* ἱππίατροι, *quasi mulomedici: hi verò qui rem pecuariã tractãt, agricolæ, Græce* γεωργοί. *Nam & animaliũ singula ex medicina fructũ percipiunt. Sed hæc nõ moror: quandoquidē nullus eo inscitiæ vnquam vēturus est: qui Hippoc. cũ hominũ medicina, pecorũ etiã miscuisse affirmet. Præsertim cùm Græci plurimi, adolescentes, qui iam salaces, hircorũ more euadunt, ac vocē perinde ac hirci asperam, grauemq; reddunt, per metaphoram quandã* τράγους, *hoc est, hircos nominare consue*

Natura ad cognatam sedem maximè noxiũ humorē transmittit.

Testiculorum habitudo in ætatis mutatiõe cõsiderãda est

ἱππίατροι.

γεωργοί.

Tragus puer quãdo dicatur

consueuerint. Atq; huius rei grauis testis Galenus est: qui libro de vsu partiũ decimo quarto, hæc inquit. ὁπόταν γὰρ πρῶτον ἐξαίρηται τὰ γεννητικὰ μόρια, καὶ μεταβάλλῃ πως ἤδη τὸ τραχύτερόν τε καὶ βαρύτερον ἡ φωνή (τοῦτο γὰρ τὸ τραγᾶν ἐστι) τότε παραφυλάττειν ὁ Ἱπποκράτης κελεύει, πότερον τῶν μορίων ἐστὶν ἰσχυρότερον. τὰ γὰρ οἰδισκόμενα πρότερον, καὶ πλεονεκτοῦντα κατὰ τὴν αὔξησιν, ἐκεῖνα δήπουθεν ἐστὶ τὰ ἰσχυρότερα. id est. Cùm enim primum genitales partes attolluntur, voxq; asperior, & grauior redditur (id enim appellatur τραγᾶν. id est. hircire) tunc sanè animaduertendum esse Hippocrates iubet, quænam partium validior fuerit. Quæ enim intumuerint prius, ac nutrimento abundauerint, illæ planè robustiores censendæ sunt. Hactenus Galenus: cuius verba liquidò ostẽdunt, adolescentes quando grauiorem vocem reddere incipiunt, τράγυς, hoc est hircos nominari. Quod & Martialis libro vndecimo ostendit: dum scribit.

Τραγᾶν, id est hircire, quod Hippo. τραγίζειν dixit. 3. sectio. sexti de morbis vulgaribus aphoris. 19.

Inde tragus, celeresque pili, mirandaque matri
Barba.

Quoniam vbi ob lasciuiã salacitatemq; immodicam Veneris concubitus nimis appetatur, præmaturè etiã barba promitur. Venereo nanq; vsu augescit circa testes insitus, fœcundusq; calor: quo fit vt reflexo per vniuersum corpus, refractoq; ab ipsis calore: affluẽtius summa corporis vapores scandant: quæ est pilorũ materia. Ita sanè & Aristoteles in problematis sentire videtur: dum querit: διὰ τί ἄνθρωπος μόνον ὅταν ἄρχηται δύνασθαι ἀφροδισιάζειν ἡβᾷ. id est. Quare homo solus cũ incipit posse coire pubescit? Cuius causam reddens dixit, quæ semen effundunt ficciora, & laxiora fieri, quibus de causis pilus consurgit. Est igitur maxima geniture, ac vocis inuicem sympathia, mutuusq; consensus: vt mirum non sit ex tussi ad testes, tanquam ad partem maximè familiarem, facillimè posse transmitti materiam. Cæterũ cùm tussis non ex vna dumtaxat occasione nascatur, animaduertẽdum est, de qua tussi fuerit Hippocrates locutus. Sanè nõ de alia, quàm sicca: quæ etiam, cùm nec vnam simplicem habeat causam, distinguendũ diligenter est: quæ sicca tussis in testes abscedat. Tussis igitur in vniuersum causam esse, asperæ arteriæ inæqualitatẽ, iam nobis abũdè Gale. monstrauit, in his, quos de simpliciũ medicamentorũ facultatibus, ædidit cõmentarijs. Ac item quòd tussis sicca, ea sit, per quam nihil ratione dignũ reijcitur nemo ignorat. Contingit autẽ multifariam: interdum enim exasperatis dumtaxat faucibus: aliquãdo verò sola intemperie affectis: qualiter per Aquilonios flatus vsu euenire cõspicimus. At quòd nulla ipsarũ (vtpote quòd sine materia sint) in testes abscedere possit, manifestum quidem est, & rationi consentaneũ. Nam quæ sine materia sunt affectiones, abscessus excitare nõ possũt. Vt igitur cũ materia sint oportet, ex quibus abscessibus humor suppeditetur. Nec pluribus tamen q̃ duobus modis id potest cõtingere: scilicet vt cum materia tussis sicca excitetur. Cum nimirũ iusto

Veneris præmaturus vsus pubertatẽ accelerat.

Genituræ ac vocis maxima sympathia.

Tussis omnis ex asperæ arteriæ inæqualitate proficiscitur.

Nõ omnis tussis in testes abscedit.

Cuiusmodi tussis ad testes cõuerti consueuerit.

 iusto

iustò fuerit crassior, tenaciorque, vt asperæ arteriæ cartilaginibus impacta, non facile tussi sustollatur. Atq; id quidē in crudis accidit lateralibus morbis; quos ab screandi difficultate ἀπτύστους vocant. Aut cùm iustò fuerit tenuior, simul & aquosior, quàm vt ab spiritu per tussim cōcitato euehatur. Vtrunq; verò hoc tussis siccæ genus in testes posse abscedere non est mirum.

Βηχώδεες ἀποστάσιες, αἱ μὲν ἀνωτέρω τῆς κοιλίης, οὐκ ὁμοίως τελέως ῥύονται.

28. Tussiculares abscessus, qui quidem supra ventrem eruperint, non æquè perfectè liberant.

Si quis præsentem sententiam aliter legat, nō omnino putabitur aberrare. Scilicet vt ad præcedentem orationē referat primam partem: in hunc modū. καὶ ἐς ὄρχιας ἔστι δ᾽ ὅτε ἐκ βηχέων, ἢ ὄρχις αὐτὸς ἐφ᾽ ἑωυτοῦ, βηχώδεες ἀποστάσιες. *id est. Quin & in testes ex tussi quandoq; abscedit: testesq; ipsi in seipsos, tussiculares abscessus. quasi dicat: qui abscessus ex tussi sunt oriundi. Tuncque*

Supra vētrem abscessus omnes mali.

præsens sententia vniuersalior esset, omnes damnans abscessus qui supra ventrem eruperint. Cùm enim superius iam dixerit: optimos esse abscessus, qui deorsum vergunt, maximeq; sub ventre fiunt: par vtiq; est vt qui supra ventrem emergunt, non perinde ægrotum leuent. Porrò quod id propter partium contingat principatum, quæ penè omnes superiores sunt, iam antea monstrauimus. Adde quòd facultatem imbecillem significat: quæ longius morbificam materiam non potest protrudere. Poterit etiam quispiam non absque ratione, hanc partem (quemadmodum nos fecimus) cum præsenti copulare sermone. Vt tussiculares dicat Hippocrates abscessus, qui supra vētrem eruperint, non æque perfectè liberare. Quod sanè in idem cū superius exposita sententia recidit: nisi quòd angustior multò est, nec ita latè patet, atq; prior. Vtra verò harum lectionū genuina sit, ac germana Hippocratis, nō ita facile fuerit explicare: cum oratio in vtranq; partem flexilis sit, & obsequiosa.

Αἱμοῤῥαγίαι λάβροι ἐκ ῥινῶν, ῥύονται πολλά, οἷον τὸ Ἡραγόρεω, οὐκ ἐγίνωσκον δὲ ἰητροί.

29. Sanguinis de naribus largi fluores, liberant plerunq;: vt Heragoræ contigit: cuius medici non erant gnari.

Nequis quæ paulò ante dicta sunt, de omni abscessu in vniuersum intelligenda putaret: statim præsentem subdidit sententiam: tanquam de abscessibus qui per effluxum fiunt, antea nō fuisset locutus. Nam per effluxum vacuationes, ad iudicandos morbos esse potiores, iterū, ac sæpius est à nobis inculcatum. De his igitur qui decumbendo fiunt, superiorem scripsit orationē, inquiens: Qui supra ventrem fiunt abscessus, non æque perfectè liberant. At de his, qui defluendo, iam in hac parte doctrinam instituit. Sæpissime eos liberare morbo affirmans, quanquam supra ventrem emergant. Sanè id experientia

Per effluxū vacuationes semper alijs abscessibus meliores.

rientia nos docet: non semel sanguine de naribus fluente morbum fuisse abolitum. Largos itaque non ab ratione dixit: quoniam si tales non sint, vt corpus possint omnino expurgare, tantū absunt vt conferant emolumēti quicquam, quantum quæ virtute irritata, veluti morbi symptomata fiunt. Decretoria enim quæ iudicia perficiunt, si cum se promunt non decernāt morbos commodè, proculdubio aut lethalia sunt, aut saltem vt prauam faciant iudicationē est necessum. Cæterum non aliter commodè decernere poterunt, quàm si largè vbertimq; fluāt: quod est, pro morbi ratione. Sanguis igitur si in decretorio die de naribus fluat, excipiendus est: neq; aliquo modo coërcendus. Quod maximè imperiti medici facere aggrediūtur: priusquam an decretoriè fluat; certiores sint facti. Quales fuisse medicos illos est credendū, qui Heragorā hunc de quo in præsentiarum Hippocrati est sermo, curandum susceperant. Quos Hippocrates rectà aberrasse via scribit: quòd nimirum profluuium id compescere niterentur. Atqui Hippocrates, vt qui methodo rem ipsam prosequeretur, facilè cognouit decretorium fuisse illud profluuium: ac eousque excipiendum, donec sedaretur, nec vires ægrotantis conuelleret. Siquidem is solus in compescendo decretorio fluore scopus est: vt scilicet pro ægrotantis virtute admittatur: neque tanta sanguinis copia fluat, vt possit vires ipsas funditus comminuere. Id autem nobis sexto vulgarium morborum libro patefecit: in hunc modum: βραχέα ὑφιέντα, παχύνειν ξηρῷ. hoc est. Vbi paululum fluorem admiserimus, ac ei acquieuerimus, sicco medicamento incrassare debemus. Nostri verò medici: suam temeritatem prodentes, medicamentorum multitudine naturam cœptum opus exequi non permittunt. Inter quos quidam eo temeritatis peruenerunt (dispeream si quenquam falsò insimulauero) vt se nunquam decretorios dies expectasse arroganter, aut verius stultè, ac insolenter asserant: neque expectaturos affirment. Quos (proh dolor) quantam ægrotantibus perniciē allaturos esse credendum est. Enimuerò digni maximè sunt qui non minus quàm homicidæ, ac totius reipublicæ ἀλάστορες crucibus affigantur. Sed huius rei non tam imperitia in causa est, quàm indecens ambitio, ac inanis quædam singularis nominis gloria. Quæ sanè omnia hinc maximè proficiscuntur, quòd à veterum classicorum medicorum doctrina desciuerūt, atque in penitissimam Barbarorum Stigiam se præcipitarunt, in qua tàm immensum uiget vndiquaque chaos, vt temere quisque: cæcorum ritu, prout libet vltro citròque ferri possit. Cùmque non habeant moderatorem, iam voti compotes se factos putant, si quid vel proteruè, aut contumaciter, citra omnem veritatem magno clamore, ac tumultu possint tutari. Nihilpensi habentes, si Galeno, aut Hippocrati refragentur. Sed hos nebulones iam dimittamus, non enim digni sunt, de quibus verba habeantur. Proinde ad institutum

Vacuationes decretoriæ largæ esse debēt.

Iudicatorij effluxus excipiēdi sunt, quousque immoderatè fluāt.

Perperam medici faciūt qui decretorijs effluxibus impedimento sunt.

redeuntes, quod superest sermonis absoluamus. Diximus sanguinem decretoriæ fluentem non esse compescendum: nisi modum excedat: ac vires ita deijciat, vt non facilè reparentur. Eius verò sistendi rationes, iam abundè in sexto de morbis vulgaribus libro, ipse complexus est Hippocrates: in hunc scribens modum: αἵματος φλεβῶν στάσιες, λειποθυμίη, σχῆμα ἄλλῃ, ἀπόληψις μοτῷ, μοτὸς ξυστροφὴ, πρόσθεσις, ἐπίδεσις. id est. Profluentem è venis sanguinẽ sistũt: animi deliquiũ, figura alio vergens, interceptio, linamentum tortile appositio, & deligatura.

Sanguinis sistendi modi.

Deliquium animi quid præstet.

Sex in vniuersum enumerans sanguinis compescendi modos; quorũ primũ animi deliquiũ esse dicit: quòd nimirũ habitũ totius corporis infrigidet, sanguinemq́ue ad interna reuocet: atque ipsum immobilem efficiat. Iam quòd partis situs non parum etiam ad id conducat, manifestum est: quæ si decliuis fuerit, maximè fluenti sanguini accommodabitur: vt igitur accliuis fiat est necessum. Quod & secundo hoc libro inferius dicet: ἐν τοῖσι αἱμοῤῥαγέσι σφίγγουσιν σχῆμα εὐρύτερον, καὶ τὸ ξύμπαν εἰ ἐκ τοῦ πάντη κατάντεος ἄναντες ποιοῖτο. id est. In sanguinis fluoribus figuram quæ lata fuerit arctant: in summa si quid decliue sit accliue fiat.

Figuræ mutatio fluori sanguinis vtilis.

Interceptio venarum Græcis ἀπόληψις quid.

Quin & interceptio venarũ (cùm nimirum tanto turgent sanguine, vt persspirare non poßit: id enim Hippoc. ἀπόληψιν, vocant quasi vasorum quis turgidam dicat distentionem, scilicet ex humorum infusione, κατὰ τὸ ἔγχυμα, medicis nominatam) sanguinem ne fluat prohibet.

Linamẽta quotuplicia.

Linamenta porrò id ipsum præstare possunt quorum multiplex est differentia: alia enim à torquendo Latinis tortilia, Græcis στρεπτὰ, vocantur: de quibus in præsentia locutus est Hippocrates. Alia verò quòd radendo parentur, Latinis rasilia, Græcis verò ξυστὰ. Nonnulla verò quòd filatim discerpantur, Græcis τιλτὰ, Latinis filatim discerpta nuncupantur. Quædam alia quod funiculorum lucernarum referant effigiem, funicularia vocantur Græcis ἐλλυχνιωτὰ. Denique alia à Priapi forma πελαπισκωτὰ nominantur. Sed ad hæc appositio sanguinem etiam sistit: ex medicamentis scilicet emplastricis, ac siccandi, obstruendiq́; facultate præditis.

στρεπτὰ. ξυστὰ. τιλτὰ. ἐλλυχνιωτὰ. πελαπισκωτὰ.

Ligatura.

Denum ligatura quæ fluentem vndecunq; sanguinem compescit. Cæterũ his peritus quisque cõmode ac oportunè vtatur oportet: prout singulorũ operã affectus efflagitat. Ad præsens verò sat est nouisse, non esse decretoriũ fluorẽ cõpescendum priusq̃ modũ omnẽ excedat: atq; si compescendus sit, aliquo horum modorũ fieri oportere.

Τὰς φωνὰς οἱ τρηχέας φύσει ἔχοντες, καὶ αἱ γλῶσσαι ὑποτρηχέες, καὶ ὅσαι τραχύτητες ὑπὸ νόσων ὡσαύτως. Αἱ ὦν ἐοῦσαι σκληραὶ τῇ φύσει, καὶ αὖθις, τοῦτ' ἔχουσιν, αἱ δὲ μαλθακαὶ καὶ βραδύτεραι ἂν ἁμαρτωλίην ὀχλησὸν ἢν μὴ ἀρχαίη φύσις. σκεπτέον καὶ τὰ ἀπὸ τῶν διαιτέων.

30. Quibus voces asperæ natura existunt, his & linguæ subasperæ sunt: Quin & asperitates quæ in morbis apparent istiusmodi sunt.

sunt. Quæ igitur duræ natura, ac sanæ sunt, sic se habent. Quæ verò molles ac tardæ in peccatum inutile quid præseferunt: nisi talis fuerit earũ pristina natura. Considerandum autem num id ex victu contingat.

Cùm hactenus varia docuerit Hippocrates, aggreditur iam de voce aliquid effari: ex qua totius corporis temperamẽtum elici potest. Quo autẽ probè sermonẽ eius assequamur, animaduertere in primis debemus, quonam pacto vox ipsa generetur: quot etiam eius differentiæ existant: ac vnaquæque cuius potissimum instrumẽti noxam repræsentet. In primis itaque vocis materia flatus est: qui inspirando attrahitur: quique deinde expiratione foras pulsus, gutturis ac asperæ arteriæ siccas moderatè partes feriẽs, talem quendam sonum operatur: qui in animalibus vox nominatur. Non igitur sola expiratio ad hanc vocem generandam sat erit: sed vt violenta sit oportet: quæ flatus copiam vehementi impulsu foras protrudat. Efficient igitur hanc spiritus confertam emissionem, inter costales omnes musculi: quibus veluti effectoribus vocis opificium refertur, animali nimirũ cerebri facultate ad ipsos per neruosum genus translata. Iurè igitur factum est, vt quibus spiratio incolumis seruata sit, vox possit aboleri. Scilicet supernis musculis interim, qui numero sex existunt: ad quos ex spinali medulla quæ in ceruice est: nerui deferuntur, ac septo transuerso, nulla noxa affectis. Tale quid acciderat ei, quẽ ex alto cecidisse Galenus libro locorum affectorum primo commemorat: cui dorsi initium fuisse affectum scribit. Cæterum vocis instrumenta, hæc sunt: arteria quidẽ aspera, & guttur, ac ipsius musculi, neruiq; ex sexto pari, qui ad hos disseminati feruntur; medici recurrentes nominant. Ex his itaque quodcunque afficiatur, pariter & vocem vitiari contingit. Sed de his postmodum differemus. Id tamen memoria perpetuo tenere oportet: quanquam ad vocem non amplior quàm ad loquelam, neq; copiosior flatus emissio exigatur, posse tamen interim seruata voce, loquelam perire. Huius autem rei causa non alia quidem est, quàm quod vocis dearticulatio, quæ loquela existit, Græcis αὐδὴ, *aut* διάλεξις, *ad linguam potissimum referatur: quam interdum languere contingit, nullo in vocis instrumentis existẽte affectu. Ad quod sanè opus dentes ac labia haudquaquam parũ conferre momenti putantur. Atqui hæc Hippocrates accuratè obseruasse est visus, præsertim in tertio vulgariũ morborum libro, vbi languentem Pythiona recensuit, in hunc scribens modum:* δευτέρῃ περὶ μέσον ἡμέρης ψύξις ἀκρέων, τὰ περὶ χεῖρας καὶ κεφαλὴν μᾶλλον, ἄναυδος, ἄφωνος. *hoc est. Postridie ad meridiem extremitatum frigiditas est subsequuta: quæ magis in manibus ac capite percipiebatur: mutusque euasit: ac sine voce. Tanquam grauius malum nunciaret, quam si dumtaxat loquela deperdita*

Vox totius corporis indicat temperamentũ.

Vocis materia.

Effectrix vocis causa.

Instrumẽta vocis.

αὐδὴ καὶ διάλεξις quid.

Grauius est vocẽ perire quàm loquelam.

deperdita mutum euasisse dixisset: Sed quid moror? Enimuerò licet Hippocratis sententiam recensere, quæ appositè hæc omnia quæ diximus, non minus quàm compendiose enarrat. Habetur autē libro de carnibus in calce, hac omnino serie. Διαλέγεται δὲ διὰ τὸ πνεῦμα ἕλκων ἔσω πᾶν τὸ σῶμα, τὸ πλεῖστον δὲ ἐς τὰ κοῖλα αὐτὸς ἑωυτοῦ. Αὐτὸ δὲ θύραζε ὠθεόμενον διὰ τὸ κενὸν ψόφον ποιεῖ. ἡ κεφαλὴ γὰρ ἐπηχεῖ, ἡ δὲ γλῶσσα ἀρθροῖ προσβάλλουσα ἐν τῇ φάρυγγι ἀποφράσσουσα καὶ προσβάλλουσα πρὸς τὴν ὑπερῴην καὶ πρὸς τοὺς ὀδόντας ποιεῖ σαφηνίζειν. ἢν δὲ μὴ ἡ γλῶσσα ἀρθροῖ προσβάλλουσα ἑκάστοτε, οὐκ ἂν σαφέως διαλέγοιτο, ἀλλ' ἢ ἕκαστα φύσει τὰ μονόφωνα. Τεκμήριον δὲ ἐστὶ τουτέου, οἱ κωφοὶ οἱ ἐκ γενεῆς, οὐκ ἐπίστανται διαλέγεσθαι. Ἀλλὰ τὰ μονόφωνα μοῦνον φωνέουσιν, οὐδ' εἴ τις τὸ πνεῦμα ἐκπνεύσας πειρῷτο διαλέγεσθαι. Δῆλον δὲ τόδε, οἱ ἄνθρωποι ὁκόταν βούλωνται μέγα φωνῆσαι, ἕλκοντες τὸ πνεῦμα τὸ ἔξω ὠθέουσι θύραζε, καὶ φθέγγονται μέγα ὡς αὐτέχῃ τὸ πνεῦμα. Καὶ οἱ κιθαρῳδοί, ὁκόταν δέῃ αὐτοῖς μακροφωνέειν, ἐπ' ἄκρον ἑλκύσαντες τὸ πνεῦμα ἔσω, πολὺ ἐκτείνουσι τὴν ἐκφορὴν, καὶ φωνοῦσι, καὶ φθέγγονται μέγα ὡς αὐτέχωσι τοῦ πνεύματος. Ἐπὴν δὲ τὸ πνεῦμα ὑπολίπῃ, καταπαύονται. Τουτέοισι δῆλον ὅτι τὸ πνεῦμα ἐστὶ τὸ φθεγγόμενον. Εἶδον δὲ ἤδη οἱ σφάξαντες ἑωυτοὺς, ἀπέταμον τὴν φάρυγγα, παντάπασιν, οὗτοι ζῶσι μὲν, φθέγγονται δὲ οὐδὲν, ἢν μή τις ξυλλάβῃ τὴν φάρυγγα, οὗτοι δὲ φθέγγονται. Δῆλον δὲ καὶ τοῦτο, ὅτι τὸ πνεῦμα οὐ δύναται διὰ τετμημένου τοῦ λάρυγγος ἕλκειν ἔσω ἐς τὰ κοῖλα, ἀλλὰ διὰ τετμημένου ἐκπνεῖ. οὕτως ἔχει περὶ φωνῆς ἴσως καὶ διαλέξεως. *id est. Loquitur autē homo quoniam vniuersum corpus spiritū intus attrahat: plurimumq; in cauas ipsius partes reponat; qui cùm foras recurrit per inania spacia gradiens strepitum mouet. Siquidem caput reboat; lingua verò concinnat, retorquens, ac velut fauces obturans, reuocansq; ad palatum, cumq; in dentes protrudit; iam liquidò sermonem explanare cogit. Quod si lingua non componeret, ac fingeret frequenter spiritum retorquens, haudquaquam dilucidè homo loqueretur: sed omnia suapte natura voce vna simili essent. Argumentū verò huius est, quod hi qui à generatione muti sunt; loqui non norunt: Sed vnam tantum vocem sonant: etiam si flatum expirantes, loqui nitantur. Manifestum autem hoc est. Homines cùm magnam loquelam volunt emittere, trahentes quidem spiritum forinsecus, impellunt foras: atque magnam ita edunt loquelam: tantisper dum spiritus durat. Nam postmodum sensim loquela marcescit. Quin & citharœdi, cū ipsos altè loqui oportet: magnam flatus copiam inspirantes elationē intendunt: ac sic altè loquuntur ac canunt: donec spiritus sufficere potest. Cùm verò iam spiritus deficit, quiescunt. His igitur manifestum est spiritū id quo loquimur esse. Noui etiā, & qui seipsos iugularunt, fauces sibi omnino præsecantes. Hi quanquam viuant, loqui tamen nō possunt, nisi quis fauces appræhendat: sic enim loquuntur. Inde autem id manifestum euadit: quoniam spiritus non potest per abscissam*

ſciſſam laryngem intrò ad caua deferri, ſed ſtatim per diſſectam partem exhalat. De voce igitur & loquela res ſic ſe habet. Hactenus Hippocrates: qui omnem de voce ac loquela rationẽ hac oratione ſcitè complexus eſt: eius quidem manifeſtò ſpiritum materiam ſtatuens. Quod maxima Dei ſapientia factum eſt: ne ſcilicet cùm vberior ſpiritus quantitas, quàm ad æſtuoſum cordis calorem temperandum requiritur, inſpiretur, fruſtrà ac temerè expirari debeat: tanquam nullo corpori poſſit eſſe adminiculo. Sed id quod cordi refrigerando non eſt, vocis poſtmodum materia efficitur. Cæterum prima differentia vocis in magnitudine conſiſtit: aut enim magna, aut parua eſt. Magna quidem aſperæ arteriæ latitudinem conſequitur: atque vehementiorem efflatum. Paruitas verò ex contrarijs aduenit cauſis. Porrò aſperæ arteriæ latitudo ex caliditate proficiſcitur: vehemens verò exufflatio, magnam inſpirati aëris ſequitur portionem: quam ingens calor ad refrigerandum ſe poſcit. Iurè igitur altera caliditatis, altera verò frigiditatis fuerit ſoboles. Quoniam etenim talia inſtrumenta temperaturæ ratione ſunt facta, ad hæc conſequitur huiuſmodi vox: iccircoq́ue contingit ex voce de naturali temperatura ratiocinari. Atque id eſt; quod Hippocrates ſexto de morbis vulgaribus libro ſcripſit. οἷσι πλεῖστον τὸ θερμὸν, μεγαλοφωνότατοι, καὶ γὰρ ψυχρὸς ἀὴρ πλεῖστος, δυοῖν δὲ μεγάλοιν, μεγάλα καὶ τὰ ἔκγονα γίνεται. *id eſt. Quibus plurimũ caloris ineſt maxima voce præditi ſunt, etenim frigidus aër plurimus; duobus autem his magnis exiſtentibus, & quæ inde gignũtur magna fiunt. At grauis vox ex eadem pendet caliditate: quoniam arteriæ etiam latitudinem expoſtulat: ingentem verò flatum, non pro ſua ratione. Acuta verò potius frigiditatis eſt comes: ex anguſtia pendens fauciũ, ac arteriæ. Cæterum hæc (vt arbitror) maxima flatus indigent impulſione. Eiuſmodi etiam ſunt, & qui exili voce ſunt præditi (Græci* λεπτοφώνους *nominant) qui etiam* ἰσχνοφώνοι *nominantur: hoc eſt vocis gracilis. Quanquam inter hos aliquam Gale. nouerit differentiam, quæ fortaſſe accuratior videatur: aut potius* ἐκ τῆς πονηρεργίας. *Priores itaque ex faucium anguſtia in vitium id incidere ait: alios verò ex muſculorum guttur mouentium innato affectu. Quanquam vtriq; ea vitia contrahant ob naturalis caloris imbecillitatem. Iam igitur hæc omnia calidam, aut frigidam corporis temperaturam oſtendunt; ſiccam vero & humidam ex alijs priuatis differentijs rimari oportebit. Itaque raucedo vehementem, plurimum maximamq́ue, vocis inſtrumentorum ſequitur irrigationẽ: tametſi ex alijs nonnunq̃ cauſis oboriatur: quales ſunt tum aëris frigidi inſueta inſpiratio, tum etiam vini meracioris potus, ac thoracis ſuppuratio, & tabes. Attamen quoniam maxima ex parte humidas ſequitur fluxiones, propterea ab humiditate plurimum proficiſci dicitur. Cæterum cum fluxiones hæ vehementius & difficilius*

Prima vocis differentia in magnitudine & paruitate.

Quare ex voce tẽperamentũ corporis eliciatur.

Grauis vox vnde.

Acutæ vocis cauſa.

Rauca vox quid denotet.

difficilius vocis instrumenta irrigauerint, vox nō solū vitiatur, sed etiam aboletur: Vbi verò instrumēta hæc moderatius humescunt, vox rauca efficitur. Humiditatē igitur instrumentorū hæc ipsa indicabit. Porrò in his qui ab exercenda voce φωνάσκοι *nominantur (cuiusmodi præcones & citharœdi sunt) quibus etiam ex magno clamore vox rauca efficitur: non humiditatem instrumentorum vocalium conijcere oportet: sed tunicæ asperam arteriam ambientis inflammationem; qualem in manibus, coxis, cæterisque partibus vehementius exercitatis oboriri videmus. Nam in arteria membrana interior, quæ ipsam ambit: ab spiritu qui per magnas voces foras effertur percussa ad dispositionem inflammatoriam peruenit: musculique qui iuxta arteriæ extremum siti sunt: per vehementes vocis conatus supra modum extensi, dolore tentantur. Denique siccitatem significabit proculdubiò, quæ in asperitate vocis consistit differentia: de qua in præsentiarum Hippocrates agere videtur, ex ea fortasse cæteras omnes inquirēdas esse significās. Hæc igitur in arteriæ asperitate constituitur: quæ rursus ab inæqualitate eius & duritia ortum ducit. At lenitas ex probo eiusdem temperamento. Huc spectant sonora & clangosa, in ipsius vehementi siccitate constitutæ: quales in febribus fieri sæpissimè commemorat Hippocrates. Cùm nimirum calore immodico, tota ambientis asperam arteriā tunicæ exhausta sit humiditas: vt cornu instar dura reddatur. Cuiusmodi in animalibus longo collo præditis sæpissime fieri contingit: vt Gruibus, de quibus poëta cecinit.*

Vox aspera vnde.

Sonora & clāgosa vox vnde nascatur.

Κλαγγῇ δ' αἵγε πέτονται ἐπ' ὠκεανοῖο ῥοάων. *id est.*

Hæ clangore volant liquidi super æquoris vndas.

In quibus clangosam vocem tum colli longitudo, tum etiam tunicæ arteriam ambientis siccitas efficiunt. Ac propterea ab eo δολιχόδειρα *nominātur. Hæc itaque sunt, quæ de vocis differentia nouisse oportet. Primum quidem asperæ arteriæ dispositionem, deinde vicinarum partium affectus: postremo totius corporis temperaturā. Nempe quòd ex hac membra alio atque alio modo componantur. Cæterum dubitauit aliquis nō ab re: cum lingua loquelæ & non vocis, vt diximus instrumentum sit, quare Hippocrates ex voce linguæ affectum collegit? in hunc modum scribens:* τὰς φωνὰς οἱ τρηχέας φύσει ἔχοντες, καὶ αἱ γλῶσσαι ὑποτρηχέαι. *id est. Quibus voces asperæ natura existunt, his & linguæ subasperæ sunt. Equidem Hippocrates ex linguæ dispositionibus totius corporis affectus demonstrauit.* γλῶσσα *enim vt ipse in sexto de moribus vulgaribus libro scripsit:* οὖρον σημαίνει, γλῶσσαι χλωραὶ χολώδεες, τὸ δὲ χολῶδες ἀπὸ πίονος, ἐρυθραὶ δὲ ἀφ' αἵματος, μέλαιναι δὲ ἀπὸ μελαίνης χολῆς, αὗαι δὲ ἀπὸ λιγνυώδεος ἐγκαύσιος, λευκαὶ δὲ ἀπὸ φλέγματος. *id est. Lingua humorum serum significat, pallidæ enim linguæ bilosæ sunt, fit autē bilosus succus ex pingui.*

Lingua totius corporis statū iudicat.

gui. Rubræ rursus ob sanguinem, nigræ ob atram bilem, siccæ ob retorridam fuliginem, candidæ ob pituitā. Quin etiam inferius paulò, hæc inquit, γλῶσσα ὁμόχροος τοῖσι προσέουσι, διόπερ ταύτῃ γινώσκομεν τοὺς χυμούς. *id est. Lingua concolor occupantibus ipsam humoribus, ideoque ex illa humores dignoscimus. Cum igitur aridæ ex adustione fuliginosa maximè fiant (pinguibus quibusdam humoribus in calidissima corporis parte deflagrantibus: qualis potissimum thorax existit) par est, vt fuliginosa hæc recrementa ad linguam delata simili quodam affectu ipsam molestent. Ac item cùm non magis ad linguā, quàm ad fauces, asperamq; arteriā deferantur: nō mirum si vnà cum lingua hæc etiam afficiantur: quæ vocem asperiorem quodammodo reddant. At verò in hac parte Hippocrates vocem cum loquela haudquaquam confundit: monemusque id; ne quis hoc sibi persuadens, iam omnem effugisse difficultatem arbitretur. Nam quanquam lingua proprium loquelæ sit instrumētum, id quidem quo vox concinnatur, ac eo modo quo Hippocrates dixit, componitur, ex ipsius asperitate quis asperam loquelam oriri cùm dicat non sit ridiculus? Porrò quod deinceps Hippocrates adiecit:* αἱ δὲ μαλθακαὶ καὶ βραδύτεραι ἐν ἁμαρτωλίῃ, ἢ χρηστόν, ἢ ἀρχαίη φύσις. *id est. Quæ verò molles sunt, ac tardæ in peccatum, vtile quid præseferunt: aut talem esse earum pristinam naturam (nam hoc modo scriptum in omnibus quotquot vidimus Hippocra. exemplaribus est) ingenuè fateor non assequi probè. Nam cùm antea ex vocis asperitate, linguæ siccitatem coarguisset; dixissetque tales esse eas, quæ natura duræ sunt: quomodo molles vtilē quicpiam portendent? Adde quòd neq; quas molles linguas, neque quas in peccatum tardas nominet, facilè quis intelligere queat. Accidit etiam quò exemplariorum fides, non tanti apud me momenti sit, vt in ipsa culpam reijcere verear. Et mirum sanè quòd Cornarius, vir planè doctus, huiuscemodi loca quæ plurima me hercule occurrunt apud Hippocratem, non notauerit saltem asteriscis. Quod enim non exactè autoris sententiam semper assequantur, alioqui laceram & abruptam, qui festinanter, ac cursim librum tantum transferunt, nō interpretantur: mirum profectò non est. Nos verò quibus incumbit locorum omnium diligens perquisitio, veritatisque in ipsis latentis indagatio, non possumus perinde atque illi dissimulare, aut rem ipsam oscitanter percurrere. Legendum itaq; non absq; ratione existimaui:* αἱ δὲ μαλθακαὶ καὶ βραδύτεραι ἐν ἁμαρτωλίῃ οὐ χρηστὸν ἢν μὴ ἀρχαίη φύσις. *id est. Quæ autem molles sunt, & tardæ in peccatis, inutile quid præseferunt: nisi talis fuerit earum pristina natura. Æquum enim est: vt cùm de iustò siccioribus antea sermonem habuisset: nunc de his ageret quæ humidiores plusquam oportet sunt. Nam absolutæ appellationes de excessibus potissimum sunt intelligendæ: veluti si quis aliquid calidū, aut frigidum no-*

Lingua proprium loquelæ instrumentum.

Locus Hippocratis restituitur.

Absolutæ appellatiões quomodo intelligēdæ.

dum nominauerit, nullus sanè mentis de symmetro id dictum accipiet: quin potius de eo, quod mediocritatẽ calore vel frigore excedit. Hoc arbitror modo Hippocrates, molles linguas dixit: nõ consistentia mediocres, sed eas quæ quàm par est molliores extiterint. Quod si ita est: proculdubio tardas segnesque in peccatum ipsas nominauit: non quoniam peccata rarius committant, sed quòd in peccata pronæ cùm sint, in eisdem plurimum immorentur: quales balborum linguæ sunt, quæ syllabas easdem iterum ac tertio frequenter repetunt. Meritò igitur hæc βραδύγλωσσαι ἐν τῇ ἁμαρτωλίῃ. *hoc est. Immorantes in peccatis, nominãtur. Quæ si tales natura nõ fuerint, inutile quid portendent: nimiam à supernis partibus effluxionem: à qua linguæ musculi supra modũ madefiant, vacillantesque ac tremuli, non possint liberè inter loquendum obfirmari. Cæterum cùm hæc omnia, à ciborum vehementi qualitate lingua affecta oriri contingat, veluti si quispiam esculenta supra modum austera, aut acerba ore continuerit: Meritò Hippocrates adiecit: considerandũ esse, num id ex victu contingat. Tunc enim tanquam ab extrinseco lingua afficiatur, confestim vicissitudo illa cessat. Natura nimirum in proprium remeante statum. Eorum enim quæ ex accidenti immutantur (vt inquit Aristoteles, & recta ratio) celeriter euanescit affectus. Cornarius vt diximus non satis fœliciter hanc conuertit sententiã. Caluus verò multò ineptius: Patebit autem cuicunque nostra cum illorum versionibus contulerit.*

Tardas ac segnes in peccatũ quas vocauerit Hippocra.

Quæ ex accidenti immutantur non diutius perdurant.

Τὰ μακροκέφαλα καὶ μακραύχενα ἐκ τῶν ἐπικύψιων, καὶ τῶν φλεβῶν ἡ εὐρύτης καὶ πλατύτης ἐκ τοῦ αὐτοῦ, καὶ στενότητες, καὶ παχύτητες, καὶ βραχύτητες, καὶ λεπτότητες ἀπὸ τῶν ἐναντίων.

31. Qui capite sunt magno, ac cum proni inclinantur, ceruicem magnã ostendunt, hi latas similiter venas habent. Siquidem ab eodem tum amplitudo, tum latitudo oriuntur. Sic & angustiæ, & crassities, breuitates, & tenuitates ab horum contrarijs.

Cùm partium vniuersi corporis temperatura facultatis earundem causa sit, facultas verò actionis, actio denique operis, (vocamus autem actionem actiuum ipsum motum, veluti coctionem: opus verò id quod per actionem absolutum est, veluti coctum cibum) rursusque partis cuiusque temperatura ex proba colligatur elementorum commistione, si similaris sit: si verò instrumentaria ex similarium concinna structura: ac denique hæc proba similariũ compages ex figura, ac magnitudine potissimum sit perspicua, iurè optimo in præsentia Hippocrates, tanquam ex his quæ nobis notiora sunt ordiatur, ex capitis magnitudine, ac ceruicis, totius corporis temperamentum elicere voluit. Nam cum intuentibus nobis quod maximè omnium conspicuum est, caput ipsum sit: neque denudari veluti thorax, aliæque partes expostulet: vt

Temperatura causa facultatis, facultas actionis, actio operis.

Ex notioribus semp ordiatur Hippocrates.

ex eo tanquam prima occurrente fronte, vel crassa etiam Minerua, tempera mentũ capessamus oportet. Adde quòd totius corporis veluti radix existat. Homo enim nihil aliud quàm inuersa arbos est: cuius radix ex qua robur suppeditatur, caput constituitur: cæteraq; membra veluti rami ac surculi. Caudex verò ceruix est, ac vertebrarum processus, quæ vniuersam spinam constituunt. Hæc itaq; arbos radice constat capitata: cuius filamẽta, ac teretes illæ particulæ staminum instar extenuatæ, quæ ex bulbaceis radicibus in orbem glomeratis propẽdent, capilli sunt: qui si cõtorti crispentur cirri nominantur: Græcè πλεκτάναι, *aut* κίκιννοι. *Ac proinde Theocritus cũ cuiusdam nõ probè tonsi, capillos vitio verteret, dixit:* αὐαλέοι δὲ κίκιννοι, *hoc est, squalidi sunt, ac intorti capillorũ cirri. Sed hæc* ἐκ παρέργου *dicta sint. Cùm igitur radix hæc vegeta quidem robustaq; fuerit, par vtiq; est, vt quæ ab ipsa emergũt, veluti ab origine, vegeta etiã sint, ac adulta: nisi id materiæ dumtaxat euenerit copia, non insitæ facultatis vigore. Proindeq; si mole nimia suppeditetur materia, non adsit autẽ formatricis robur facultatis, magnitudo hæc, aut nastias potius citra rationem, damnanda me hercule erit. Quod si cum materiæ multitudine virtus etiam valida fuerit, optima inde compositio, cerebrique structura significatur. Cæterum hæc distinguenda sunt: quemadmodum Galenus* περὶ τῆς τέχνης, *capite vndecimo scripsit: tum ex figura, tum etiam ex his quæ ab eo ducunt originem. Docuit autem eodem in capite, qualis'nam capitis figura esse debeat: talis nimirum, qualem ceræ globulus modicè vtrinque repressus constituit. Ex his verò quæ ab eo ducunt ortum, ceruix præcipua existit: ex qua quoniam veluti ab origine motui destinati nerui, qui validissimi sunt procedunt, totius corporis robur deprœhenditur, nedum capitis ipsius. Siquidem boues, equos, ac reliqua validissima animalia, ex ceruicis robore agricolæ eligunt: atque eadem ipsa ex eiusdem arguunt imbecillitate. Atque ob eam rem poëtæ* κρατεραύχενας ἵππους *nominant: hoc est, valida robustaque ceruice. Florentinus etiam iuuencas laudat: eligitque eas quidem, quæ cum alijs notis ceruicem magnam, vegetamque habent. Proindeque Homerus, Thrasimedem Nestoris filium introducens, qui bouem ad sacrorum vsum mactaturus erat, tendines ceruicis omnes secuisse scripsit: quoniam ea pars omnium maximè robore ac viribus præstet: Scripsit igitur in hunc modum* ὀδυσσείας. γ. ῥαψῳδίᾳ,

πλεκτάναι, & κίκιννοι, quid.

Capitis figurā quænam sit.

Animaliũ pleraque in ceruice robur indicant.

αὐτίκα Νέστορος υἱὸς ὑπέρθυμος Θρασυμήδης
ἤλασεν ἄγχι στάς, πέλεκυς δ' ἀπέκοψε τένοντας
αὐχενίους, λῦσεν δὲ βοὸς μένος. *Hoc ita vertimus.*

Extemplo insurgens Thrasymedes Nestore cretus
Irruit in taurum, validos secuitque bipenni

Tendines, à summa ductos ceruice deorsum.
Bosque gemens fulua iacuit prostratus arena.

Hoc ipsum etiã Theocritus obseruasse videtur, cùm Herculem leonina pelle vestitum ad Angeam regem venisse caneret, atque in eum taurum quendam irruisse memoraret. Non enim aliæ parti Herculẽ vim intulisse scripsit, quàm ceruici, vtpote quæ cæteris partibus validior esset. κατὰ δ' αὐχένα νέρθ' ἐπὶ γαίης, κλάσσε βαρύν περ ἐόντα. *id est. Ceruicem eius confregit: quamuis validißimam. Fronto pariter rei rusticæ non contemnendus autor, cùm canes ad villam, ouiliáque custodienda, incursandasque feras, ac fugandos latrones eligeret, hæc inquit:* ἐγκρίνουσι δὲ καὶ τοὺς μέγα τὸ χάσμα ἔχοντας, ὁμοίως δὲ καὶ τοὺς πολυαύχενας καὶ παχυτραχήλους. *id est. Seligunt autem eos, qui oris hiatum, ac rictum, maximum habent, pariterque valida sunt ceruice, ac vasto collo. Porrò quod Græci* τράχηλον, *Latini verò collum nominant: tam anteriorem, quàm posteriorem colli partem complectitur: quod verò* αὐχένα, *Latinique ceruicem, posteriorem colli partem dumtaxat significat: quemadmodum* δειρὴν, *cùm anteriorem denotare volunt, dicunt. Cùm igitur ceruix valida fuerit, quod ex magnitudine, amplitudineq; depræhẽdetur: ac caput similiter magnũ, formatricis facultatis vigor, ac robur significabitur: quæ multam materiæ copiã afformauerit. At cùm facultatis robur ex instrumẽtorum pendeat temperamẽto, atq; temperamentorũ quod calidum quantũ in mediocritate consistit, idem validißimũ fit. Rursus cum calidi dotes, viresq; sint dilatare, aperire, ampla omnia ac adulta reddere, meritò Hippo. ex capitis magnitudine, ac ceruicis, amplitudinẽ, latitudinemq; venarũ collegit. Siquidem hæc ab eadẽ causa proficiscuntur: nempe calore. Breuitates verò, meatuumq; angustiæ, vasorum tenuitates, vniuersiq; corporis crassities ab horum cõtrarijs: frigiditate nimirum. Cæterũ quam ob rem frigida temperamẽta pinguedinis plurimum aceruent, obesaq; fiant, iam nunc ostendemus. Si tamẽ prius memineris, quæ multis in locis Gale. nos docuit: quibus videlicet in partibus pinguißima, tenuißimaq; sanguinis pars, quæ adipis materia statuitur coire valeat, & in quibus concrescere nõ poßit. Quoniã autẽ liquidò nos videmus, calore hanc, sicut cætera congelatorũ omnia dissolui: parem etiam habere originis rationẽ æquum est. Atqui cætera quæ cõcrescunt, frigiditate coire notũ est: frigiditate igitur vt adeps coeat est necessũ. Nam cũ caloris vi, pertenues venas extrorsum, substãtia hæc propellatur, siquidẽ validus is fuerit, vt dissipare, vi halitumq; digerere ipsam poßit; proculdubiò diffiabit: quod in biliosis fieri cernimus. At si eam extrorsum protrudere potis sit: nequaquã tamẽ dissipare, cum ad frigidas accedit partes, vt concrescat, rationi consentaneũ est. Talis igitur in pituitosis eius generatio est: atque id quod biliosis ex proprio, ac innato*

τράχηλος, αὐχὴν καὶ δειρή, qua ratiõe differant.

Frigida temperamenta quare plurimum aceruent pinguedinis.

ac innato calore vsu euenire conspicimus: idipsum pituitosis in colliquantibus febribus, quas συντηκτικὰς vocāt, à calore externo accidit. Vtrique enim pinguedine destituuntur: cæterū illis immensus calor ne pinguedo, adeps' ue generetur prohibet: his verò pinguedinem iam generatam dissoluit. Assulanum exemplar non probè legit: neque item Frobennianum: καὶ τῶν φλεβῶν ἡ εὐρύτης καὶ παχύτης ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ, hoc est, Et venarum latitudo, & crassities ab eodem: sed pro illa dictione παχύτης, legere oportet πλατύτης. Pariter etiam in secunda orationis parte, vbi πλατύτητος excusserunt: legere oportet παχύτητος. Cornarius autem quanquam in proximè enarrata sententia excusari meritò potuisset, ob codicis corruptelam, tamen in hac parte effugere non potest repræhensionem, cùm ita verterit. Consideranda sunt etiam longa capita ex viuendi ratione. Bifariam enim peccauit: tum quòd præsentis sententiæ grauitatem depresserit, reddideritque minus constantem, & nescio an falsam: tum quòd præmissam eneruauerit penitus: maximè necessaria parte ab eo corrasa: ea nimirum, quæ medicum monebat, ne in adscititijs linguæ affectibus falleretur.

Colliquatoriæ febres pinguedinem depascuntur.

Hippocraticū exemplar emaculatur.

Cornarius labitur.

ὧν αἱ φλέβες εὐρεῖαι, καὶ αἱ κοιλίαι, καὶ τὰ ὀστέα, εὐρέα. εἰσὶ δὲ οὗτοι οἱ λεπτοί, οἱ δὲ πίονες τ' ἀναντία τουτέων.

32. Quorum venæ latæ sunt, his & ventres & ossa etiam lata: qui graciles, ac macilenti existimantur. Pingues verò & obesi his habent contraria.

Cùm in præcedenti oratione docuerit Hippocrates, optimi omnium temperamenti indicia: quod calidum supra modum non est: ac quo præditū corpus, robore maximè præstabit: ad subeundosq; labores erit promptum (si quidem carnosum id, validissimoq; musculorum genere donatū, validaq; insuper ceruice, ac magno capite erit: in summa quale in athleta desideratur: qualemq; fuisse Herculem scribunt.) Iam alterius temperamēti notas proponit: quod quamuis optimū non sit, secundum ab eo statuitur, caloreq; nimio deflagrat. Ac proinde subeundi periculi audacissimū est: furibundaq; quadam audacia paratissimum, Cæterū partes quoniam propemodum omnes nimio calore inaruerunt: opus exequi non valent: Vt meritò de eis canere poëta possit.

athletarū temperamentum.

ὧν ἄψη μὲν ἀπαμβλύνεται, θυμὸς δὲ μένοινᾳ.

Robore linquuntur, feruentque cupidine corda.

Non ab ratione igitur horum venæ latè patent: ventres etiam & ossa lata sunt: totumque corpus macie suprema confectum. Quod nimirum immoderato calori ex his quæ assumuntur esculentis, materia non suppetat: sed ad substantiam membrorum depascendam conuertatur. Talem fuisse quondam Cinesiam poëtam flagitiosissimū historiæ tradunt: in quem Lyciæ oratoris con-

Cinesias gracillimus homo.

uiciosa quædam legitur oratio. Nam is tam gracilis fuisse perhibetur, vt tiliaceis asseribus corpori circũdatis, imbecillitatẽ suam fulciret. Legimus etiam, alterum Philetam quendam poëtam plumbeis orbiculis, circum pedes alligatis (quæ erat hominis agilitas) ne vento subuerteretur, fuisse visum. De quo Politianus hæc cecinit:

Philetæ agilitas.

Nec Cous ad hæc non sacra Philetas,
Quanquam est æger, adest, quanquam vestigia lento
Fulta grauat plumbo.

Sed vt ad rem veniamus: inquirendum sanè videtur, Quamobrem Hippocrates cùm in vtrisque latas venas haberi dixerit, tam in his qui optimo sunt temperamento, quàm in alijs qui calidissimi sunt: illos quidem ex capitis magnitudine, ac ceruicis amplitudine, latas venas habere depræhendit: hos verò ex venarum latitudine, cæteras alias cauitates, ac meatus amplos habere cognoscit. Par enim erat, vt vtrosque ex communi illa nota significasset. Nos verò Hippocratis mirum in his artificium assecuti, dicemus: ipsum ex manifestissimis quibusque rebus, de occultis pronunciare perpetuò. Nam in quibus venæ latæ quidem sunt, cæterum quod musculis, ac carne obteguntur: earum latitudo nõ est conspicua, ex manifesta quapiam re id nobis ostendit: nempe ex capitis magnitudine, atque ceruicis. At in his in quibus venæ carne non obruuntur: quin potius intuentibus conspicuæ statim se offerũt, ex ipsis, tanquam manifestissimis orsus, res alias quæ sensui nòn patent declarat: internos nimirum meatus, ossiumq; ipsorum cauitates. Porrò pingues, & obesi ex contrarijs depræhenduntur: nam hi cùm angustissimas habeant venas, & cæteras item cauitates, angustas arctasque habent.

Maximũ Hippocratis artificium.

Καὶ γ̀ τοῖσι λιμαγχικοῖσι αἱ μεϐιότητες ἀπ̀ τουτέων.

33 Quin & cũ fames vrget, mediocritates ex his cõsiderandæ sunt.

Quibus latæ sunt venæ his maior est sanguinis copia.

Satis superque in præcedentibus monstratum est, quibus latiores sunt venæ, his sanguinis maiorem esse copiam: Rursusq; quibus sanguis abundat, his nutrimẽti magis inesse. At quòd hi maiorem multò inediam ferre possint, manifestum est: vtpote quibus venæ nutrimento referciantur. Longa itaque inedia his iniungi absque noxa potest: cùm alij tamen, quibus venæ angustæ sunt, longo tempore à cibo abstinere non possint. Non igitur ex habitus totius corporis crassitie, aut macie, inedia ægrotantibus est imperanda: verum ex venarum dumtaxat angustia, aut laxitate. Nam mediocritates, quas μεϐιότητας *vocauit, hoc est, moderatæ inediæ præscriptiones, ne scilicet in iniungenda inedia modũ excedas: non à totius corporis habitu spectandæ sunt, sed ex his potissimum. Fœda foret enim calamitas, ægrotum angina inediæ suffocare, largiorem ipsi ex habitu totius corporis iniungentes. Cùm facilè*

quis

quis sibi persuadeat, obesa corpora, minori cum noxa à cibo abstinere posse: quod sanè à veritate maximè abhorret. Cæterum cum biliosa corpora latissimas, si quæ alia, venas ipsas habeant, ac non tutò inediam longiorem possint sustinere, animaduertendum id accuratè suadeo: neque enim ab Hippocratis instituto est alienũ. Docuit enim iam Galenus, atq; ante ipsum Hippocrates, calidis ac siccis naturis aduersissimam rem inediam esse, ac febriũ paratissimam causam. Quippe quòd exardescente præ inedia bile, in deurentes, acutissimasq; deueniunt febres: quæ facilè in hecticas transeat: à quibus ferè solidarum partiũ humore exhausto torridus marcor sequatur. Atq; si vẽtriculi os facilè iniurijs pateat, bilis acrimonia derosus syncopen concitabit. Vides igitur has, non leues esse affectiones, quæ inediam sequi natæ sunt? Proinde Hippocrates in his, qui carnosi sunt, quòd videret alios inediam posse sustinere, eos nimirum qui latas venas haberent, ac copiam sanguinis: alios verò nequaquam, propter venarum angustiam: vt certò hæc interstinguere posset, ex venarũ latitudine, aut angustia petẽdam esse mediocritatem voluit. Nam quòd macilenta corpora omnia inediam difficillimè ferant, manifestũ vel inde solum esse potest, quòd quæ sunt huiusmodi, nutriri expostulant. Aut enim propter totius corporis in sicci frigidíque excessu intemperiem, gracilitas oritur: aut propter digerentis in corpus, vel nutrientis, vel ambarum naturalem imbecillitatem. Primũ quidem melancholicis perpetuò omnibus accidit: secundum verò biliosorũ quàm plurimis. Quanquam in ipsis interdum tam ingens sit, digerentis caloris vis, vt membrorum substantia depasta gracilitas sequatur. Hæc itaq; corpora inedia nõ sunt cruciãda, quod Græci λιμαγχονεῖν, aut λιμαγχεῖν nominant: quasi inedia strangulare, quod Homerus ὀδυσσείας. μ. ῥαψῳδίᾳ στρεύγεσθαι dixit: vbi Eurilochum Vlissis socium (cum ad solis insulam peruentum esset) suam iniquo, impatientiq; animo, ac sociorũ ferentem ærumnam, iam viatico omni absumpto, introducit: qui maluit quouis mortis genere adoriri, quàm fame: cùm fame interire miserrimum sit.

Non est de biliosis sententia intelligenda.

Macilenta omnia corpora difficilè inediam ferunt.

λιμαγχεῖν & λιμαγχονεῖν, στρεύγεσθαι.

οἴκτιστον δὲ λιμῷ θανέειν καὶ πότμον ἐπισπεῖν.

Nanque fame pressum perdi durissima res est.

Proindeque non potuit se cõtinere quin Solis boues inuaderet quanquam nõ esset ignarus inde sibi, ac alijs maximum impendere malum.

βούλομ' ἅπαξ πρὸς κῦμα χανὼν ἀπὸ θυμὸν ὀλέσαι,
ἢ δηθὰ στρεύγεσθαι ἐὼν ἐν νήσῳ ἐρήμῃ.

Ante igitur peream præceps demersus in vndas
Quàm premar vsque fame pelago conclusus iniquo.

Σκεπτέαι αἱ προσαυξήσιες ἑκάστῳ ἃ μειοῦσι, καὶ αἱ μειώσιες ἃ προσαυξοῦσι καὶ τοῖσι προσαύξεσιν, ὁποῖα συμπροσαύξεται, καὶ ὁποῖα συγκρατύνεται.

34. Considerandum etiam augmenta vnicuiq; quæ minuant, & iterum diminutiones quæ augeant, præterea in augmentis quæ simul concrescant: & quæ corroborentur.

Consuetudo est altera natura.

Consuetudinem adscititiam quandam esse naturam, ac maximè ad corporum temperamenta immutanda, habitusq; variandos valere, notū est. Nam crassitudo habitus, & gracilitas temperamenta sequuntur. Quibus enim humidum pollet, ac calor interim mediocritatem non excedit: corpulentia adest. Quod si neutra in aliqua oppositione qualitatū excedat, sed exquisita adsit mediocritas, id corpus εὔσαρκον, id est, quadratū, extiterit. Sed oportet vt modicè exerceatur, quandoquidē si indulgentiori vita delicietur, quantū humiditatis adsciscet, tantundem & corpulētiæ. At gracilitas quibus maximè conueniat temperaturis, iam diximus, siccis nimirū. Obesitas verò, ac adipis copia frigidis potissimum insunt temperamētis. Siquidem adeps ex habitus frigiditate, corpulētia verò ex sanguinis copia gignitur: mediocritas optimæ temperatæq; naturæ nota est. Cæterū humiditas sanguinisq; copia, adipis nonnihil corpori conciliant: sed nō pro carnis ratione in eo augetur: quanquam magis quàm temperatæ naturæ postulet ratio, excrescat. Verū enimuero natiua temperamēta sequuntur, notæ aliæ: quæ nunquam fallere quomodo hæ possunt. Sunt autem venarum aut latitudo, aut angustia, quorum illa calidioris temperamēti nota est: hæc verò frigidioris. Nam habitus crassitudo, aut gracilitas, non natiua solum temperamēta: sed si qua ex longa consuetudine sunt contracta, comitantur. Siquidem qui graciles natura sunt, ex ociosa, ac delicata vita, toto temperamento ad humidius mutato saginantur. Quemadmodum, qui obesi sunt laboribus nimijs, curisq; & tenui victu persiccati, gracilescunt. Cæterum illos ex venarum amplitudine calidos natura fuisse deprehendes: hos verò ex earundem angustia frigidos natura esse cognosces. Horum itaque signorum, vt in præcedentibus vidimus, eximius Hippocrates autor est: qui nobis aliquam dubitandi ansam reliquam esse nō permisit. Proindeq; ne in adscititijs natura falleremur, impræsentia subintulit: considerandum etiam esse augmenta vnicuiq; quæ minuant, diminutiones item quæ augeant. Sanè venas pinguedinis, ac carnis copia oppressas, non augeri sed minui potius liquet: easdemq; carne ac pinguedine nudas in maiorem accrescere molem, quoniam dilatari magis possint. Augmenta itaque carnis, adipisque venas ipsas minuent: earundemque diminutiones ipsas augebunt. Proinde si quis gracilus natura fuerit, deinde occasione quapiam obesus reddatur, ex venarū latitudine calidum natura esse cognoscemus. Cùm venæ, quæ aliòqui pinguedinis multitudine oppressæ, angustiores reddi debuerant, nihilominus latitudinem seruent. Pariter etiam si quispiam macilentus proponatur,

εὔσαρκον corpus

Adeps & corpulentia quòd dissidentes habeant causas.

Quomodo dignoscatur proprium cuiusq; temperamentum, tametsi habitus corporis non sit varius.

Cauit Hippocrates ne nobis adscititiæ corporis constitutiones imponerent.

venarum

venarum ipsius tenuitas, innati temperamenti promet frigiditatem. Quod nimirum vasa ipsa vel nullo etiam impediente, ampliari nequiuerint. Quatenus verò ad alia spectat, considerandum etiam est in augmentis quæ simul concrescant. Nam cum carnis aut adipis incremento, venas pariter augeri inficiamur. Quin nec caro cum adipe simili etiam crescit proportione. Quippe adeps ex temperamenti prouenit frigiditate: caro verò ex sanguinis potius copia, ac humiditate turgente. Proinde alios plus carnis, alios plus adipis habere cernas. Quibus enim sanguinis copia adest, calore interim proprios fines non excedente, carnis plurima aceruatur copia, corpulentiq; euadunt: adipis verò parum congerunt. Ita etiam si humidum & siccum pares ad vnguem fuerint, calor verò minor, ac languens: id quidem corpus pinguedinis plurimum, carnis verò parum generabit. Hæc itaque in augmentis animaduerti oportet: quæ breui orationis circuitu Hippocrates complexus est. Cornarius non satis feliciter locum hunc conuertit, tum quòd nonnihil detraxerit de præcedente sententia, quod maximè faciebat ad sententiæ grauitatem: tum quòd præsentem non satis integre assecutus esse videatur.

Quibus caro plurima generetur.

Quinam pinguedinis plurimũ congerant.

καὶ διασφάξιες ποῖαι κοιναὶ τῶν φλεβῶν.

35. Quin & iugulationes venarum communes, quales sint inspiciendæ sunt.

Non solum vniuersi corporis temperamentum, ex venarum forma colligere Hippocrates voluit, sed cuiusq; etiam priuatim partis. Contingit enim interdum vt thorace calidiore quàm par est, existente, inferior venter, aut certè caput frigidior sit. Interim etiam, quanquam rarius admodum, inferiori ventri calidiori, thorax frigidior copuletur. Ac in prima illa temperamentorum varietate, quæ ad thoracem spectant venæ latiores, quæ verò ad caput, ac ventrem inferiorem angustiores esse æquum est. Pariter etiam si venter calidior sit, suas vtique venas dilatabit, flatuque distendet: quod frigidior thorax præstare non poterit. Vt igitur errorem fugeremus, exactèque ac accuratè cuiuslibet partis temperamentum assequeremur, orationem subintulit: qua docere queat, ex cuiusque particulæ proprijs venis, de ipsius temperamento pronunciare quemuis certò posse. Nam quòd pro partium temperaturis, venæ etiam immutentur, iam nos demonstrare aggrediemur. Cæterum prius, tum eorum quæ diximus omnium, tum etiam aliorum plurium quæ in præsentiarum afferentur: meminisse oportet. Illa quidem denuò relegentes: his verò animum sedulò adhibentes quæ non longè ab orationis instituto diuertere videbuntur. Itaque cùm primum semen in vuluam demissum est, à formatrice illa facultate, cuius operam tantopere Galenus est admiratus: componitur, concinnaturque. Instrumentum verò

Venæ singularum corporis partium priuatim temperaturam ostendũt.

Calidū innatū frigidi quodāmodo particeps eſt.

quo id efficitur calorem eſſe iam abundè ſatis Hippocrates monſtrauit. Qui frigore per eoſdem meatus attracto, qua ipſe erūpit: nutritur, temperaturq́; Ac proinde innatum calorem frigidi eſſe participem, & neceſſum eſt, & ab Hippocrate primum intelligi cœptum. Alioqui enim ni frigidi particeps eſſet, confeſtim exhalens euaneſceret. Frigido itaque ipſius motum cunctante, ac remorante indigebit, illac ſcilicet ingrediente, qua ille egredi conatur. Huius ergo caloris ope glomerato iam ſemine, ruditerque delineato, antequam membra quæpiam diſcernantur (quod circiter ſeptimum diem fieri incipit, quemadmodum nobis in libro de fœtus formatione demonſtrauit) iam alia ſuccedit operatio: qua globatum iam ſemen in tres extuberat moles: quarum quæ ſuprema eſt capiti generando ſuppetit: media thoracem conſtituit: infima abdominis regio eſt. Quòd autem pro innati calidi vario temperamento, partium etiam harum temperatura euariet, manifeſtum eſt.

Non eſt in omnibus partibus eadem calidi innati temperatura.

Nam quod in capite eſt innatum calidum, pluri frigido temperati cenſemus: quod verò in ventre inferiore eſt pauciori: pauciſſimo verò quod in thorace conſiſtit. Huius rei argumentum inde manifeſtò colligitur. Quoniam thoracis venæ omnibus alijs latiores, plurimum ſunt: deinde quæ in inferiori ventre conſiſtunt: minimæ verò quæ caput ſubeunt. Quanto enim à caloris fonte magis vtrinque diuertunt: tanto tenuiores redduntur. Vt partium ipſarum calore dilatari venas fateri debeamus: frigore verò reddi anguſtiores. Cæterum hæc in hominibus maxima ex parte ita ſe habere cernuntur. Nihilominus tamen interdum contingit: vt ſtatim à prima animalis conformatione res alio modo ſe habeat, vt ſcilicet, aut caput ipſum, aut ſaltem inferior venter, calidior quàm par eſt, fuerit, thorax verò multò frigidior.

Diſſona partiū temperatura.

Atqui in hoc corporis ſtatu, venas non ſibi reſpondere inuicem eſt neceſſum.

Iecur venarum origo, cor arteriarum.

Nam quæ per imum ventrem decurrunt, latiores quàm par eſt apparerent: quæ verò per thoracem perreptant, anguſtiores viderentur. Quanquam enim ex iecore omnes proficiſcantur venæ, quemadmodum ex corde arteriæ, non paruam ex locis in quibus figuntur ſumunt viciſſitudinem. Non aliter quidem quàm incolæ ipſi ex ea quam incolunt regione. Si quis enim in Aquilonia viuat plaga, qui fieri poteſt vt frigidior non appareat? Pariter etiam ſi quis meridiem inhabitet nónne calidior, humidiorque euadet? Hoc itaque modo & venæ ipſæ incolæ earum quibus inhærēt partium dici meritò poſſunt: quæ ſi calidæ fuerint ipſas viciſſim calefacient: ſin frigidiores, caliditatis nonnihil adiment. Quòd ſi iecur ipſum, corq́; calidiora quidem plus iuſtò fuerint: ſupremus vero venter (nempe caput) ſupra modum frigidus: tunc capitis venæ cæteris proportione reſpondere nō poterunt: ſed fuerint vtiq; quàm aliarum exigat ratio anguſtiores: iureque optimo ipſas inquilinis aſſimilabis, qui ſi ex calid-

calida naturali regione, in frigidam migrent refrigerari eorum temperamentū oportet. Non ab re igitur dixit Hippocrates, Iugulationes venarum communes esse inspiciendas. Sunt autem venarum communes iugulationes, illæ quidem quibus partes inuicem consentiunt. Sic vt venæ quæ cum capite consortium habent sint omnes, quæ à vertice vsque ad humerarias excurrunt: quæ omnes capitis in calidi & frigidi ratione temperaturam ostendent. Quæ verò thoracis indicant temperamentum illæ erunt, quæ in ipsius affectibus iugulari ac secari consueuerunt, axillares nimirum, & aliæ quæ per internam pectoris cauitatem perreptant. Inferioris verò ventris consortio intelliguntur reliquæ omnes, quæ per crura deorsum vergunt: nec non & illa quæ portæ nominatur. Hæc omnia crassa quadam Minerua percurrimus, aliàs accuratiori diligentia declaranda: nunc verò ad alia transeamus.

Venarū corporis optima cum inquilinis comparatio.

Communes venarum iugulationes quænā sint.

Αἱ τῶν ἤτρων ῥήξιες, αἱ μὲν περὶ ἥβην τὰ πλεῖστα ἀσινέες τὸ παραυτίκα, αἱ δὲ σμικρὸν ἄνωθεν τοῦ ὀμφαλοῦ ἐν δεξιᾷ, ὀδυνώδεες αὗται καὶ ἀσώδεες, καὶ κοπρεμέες, οἷον τῷ Πιττακοῦ. γίνονται δὲ αὗται ἢ ἀπὸ πληγῆς, ἢ ἀνατάσιος, ἢ ἐμπηδήσιος ἑτέρου.

36. Abdominis rupturæ quæ quidem circa pubem sunt: maxima ex parte innocuæ existunt per initia: quæ verò paulò supra vmbilicum fiūt in dextra parte, dolorosæ quidē hæc, ac fastidiū cient, ac stercoris vomitum quemadmodū Pittaco contigit. Concitantur autē hæ, vel percussione, vel conuulsione, vel alterius insultu.

Non oportet in Hippocra. libro continuam aliquam sermonis seriem expectare: sed tanquam per prærupta montium iuga, ac cespitosos saltus incedentes, obuios flores amœnissimos quidem pariter, & formosissimos legere potius debemus. Hippocrates nanq; (vt iam sæpius à nobis dictum est) ea quæ passim occurrebāt in quotidianis medicis exercitijs, sibi in posterum vsui futura, tabellis quibusdam mandabat: vt inde commodè vsu postulante reuocari possent. Qualia multa verisimile est, ipsius filios Draconem (inquam) & Thessalum in libros redigere voluisse: atque hæc suffarcinasse inter alia commentaria, quæ de morbis popularibus inscripta circūferuntur. Fortasse quòd arbitrarentur (nō longè quidem à veritate) ea quæ pater vltrò citroq; pererrans, nunc quidem apud Cranonē, nunc verò apud Thassum, rursus in Perintho, iam inde apud Oeniadas, Athenis interim aut Latissæ aut alibi vidisset, ea omnia quoniam peregrinationem quandam satis insignem testarentur hoc ἐπιδημιῶν nomine dignissima fuisse. Alioqui enim non admodū commodè nomenclatura, aut horum librorum titulus cessisse videretur: cum interim videamus, quæ nihil ad populares morbos spectant his libris passim esse inculcata. Sed in his indicasse semel sententiam meam sat fuerit, quam scio pro suo cuique iudicio, magis aut minus gratam futuram. Non igitur nos moueat si interim

Liber hic ἐπιδημιῶν interpretari potest peregrinationū: quāquam hæc inscriptio ab omnibus non probetur.

interim citra ordinem, ac veluti per saltum, res à nobis tractandæ se obijciant dumtaxat orationis veritati animum accommodantes, eamque memoria quo ad fieri poterit tenaciter seruantes, id enim maximo nobis erit auxilio, ad huius artis quam paramus culmen attingendum. Cum igitur hactenus varia docuerit nos præcepta Hippocrates, eius potissimum medicinæ partis, quæ abdita magis, abstrusáque omnibus esse videtur: quæ de iudicij ratione quod in morbis contingit priuatim edisserit: addideritq; deinceps non inutilia præcepta, quibus venari possimus innatas corporis temperaturas: iam in hac parte, alio se vertere videtur: ac docere instituit; quot nimirum incommodis inferior venter, quem γαστέρα Græci dicunt subiectum sit: atque primum, quæ ad externas eius partes spectant mala commonstrat: abdominis rupturas percensens, in quibus ramicum omne genus continetur, tum quod sub vmbilico, tum etiam quod supra vmbilicum fit. Sunt autem huiusmodi affectiones peritonæi aut rupturæ, aut distensiones. Sed quoniam dignum animaduersione censemus, quod Hippocrates in hac parte ἦτρον pro ὑπογαστρίῳ dixerit, partem videlicet pro toto accipiens συνεκδοχικῶς, silentio id ipsum præterire noluimus.

ἦτρον pro ὑπογαστρίῳ

Nam ἦτρον quanquam plurima apud græcos significet, vt interim geniculum interim verò ferulaccorum culmorum fungosam medullam, quemadmodum apud Nicandrum in theracis, dum scribit.

Καὶ χλοεροῦ νάρθηκος ἀπαλὸν μέσον ἦτρον ὀλόψας, ... *id est.*

Et viridis Ferulæ fungosam tunde medullam.

ἦτρον quid propriè.

Tamen dum ad corporis partes refertur, eam ventris significat regionẽ, quæ posita est sub vmbilico: quem imum ventrem vocamus, vsq; ad pudenda extensam. At ὑπογάστριον totum significat abdomen: à mucronata videlicet cartilagine vsq; ad pubem exporrectam latitudinẽ. Ea verò in plures distrahitur partes, in Hypochondria, quæ præcordia Celso dicuntur, costis spurijs respõdentia & in inania totius ventris inferioris spacia, que Hypochondrijs subiecta sunt, Græci κενεῶνας vocant. Rursusq; in eas, quæ coxendicis osßibus eminentibus respondent, quos Græci λαπάρας aut λαγόνας vocant, nos verò ilia priuatim. Tandem quod sub vmbilico, tum vacuis abdominis partibus, tum etiam ilijs medio loco respondet, Græci ἦτρον aut ὑπογάστριον, Latini imũ ventrẽ vocant. Huius inferior pars quæ pudẽdis cõmittitur: Græcis ἐφήβαιον aut ἐπίσιον nominatur, Latinis verò pubes. Iam igitur liquidò constabit Hippocratẽ partis nomẽ pro toto abdomine vsurpasse, ac Synecdoche figura fuisse vsum. Neq; omnino præter rationẽ, cum huiusmodi peritonæi rupturæ, aut distensiones, ex conuulsione, aut alterius insultu illatæ, potissimum imo vẽtri accidant: cùm is ex sua natura ad huiuscemodi affectus sit cõparatus. Nam laxari quidẽ, aut distẽdi facilè potest: cũ iam vtrinq; in suminis regione permeantibus

ὑποχόνδρια.

λαπάραι καὶ λαγόνες.

ἐφήβαιον καὶ ἐπίσιον.

meantibus seminarijs vasculis, duobus sit peruium foraminibus: dirumpi autem non secus in ea parte quàm alibi potest. Quò fit vt multifariam abdomen ipsum tum clamore, tum vulsione, tum ictu, aut alterius insultu, in summaq; violentis omnibus, atque impetuosè ruentibus causis affici possit. Aut enim subiectum peritonæum vbi frequenter solet, in ima scilicet parte diuellitur, aut flaccescit, aut supremis potius in regionibus. Quòd si huiusmodi causa fuerit, vt non solum ipsum, sed & musculos etiam omnes comminuat, siquidem in infima sede subortus sit affectus, meritò quidem non debet medicus perinde torqueri, ac si in suprema constiterit regione: si noscat tamen propriã eius partis curationem, quæ tribus potissimum scopis peragenda est: tum intestini repositione si exciderit, tum verò idonea sutura, qua partes carnosæ non promiscue partibus neruosis peritonæi committantur: sed congeneres con generibus cohæreant: tum denique optima medicaminum administratione, qua diuulsæ partes, quoad fieri possit ferruminentur: quorum materia non longè ab ænemorum natura absuerit. At verò intestini repositio maximam animaduersionem requiret: præsertim si ambiente aëre refrigeratũ intumuerit, num flatum discussorijs medicamentis peragenda ipsa curatio sit; an potius vulnus dilatandum, quo facilius introrsum intestinum reponatur. Cæterum hæc abundè à Galeno, alijsque pertractata sunt, neque in præsentia ipsa perscribere est in votis, nisi quatenus ad præsentẽ tractationẽ conducere possunt: quæ nihil aliud quantum in se est, exposcere videtur, quàm luculenter indicasse, qui fiat, vt inferiores abdominis abruptiones innocuæ existant per initia, supra vmbilicum verò consistentes, in dextris potissimum partibus anxiosæ sint, subindeque stercoris vomitũ inducant. Si igitur anatomicæ considerationis non fuerimus penitus ignari, reuocauerimusq; in memoriam quæ paulò superius cum de abscessibus agebamus tradidimus: non admodum fuerit difficilis huius nodi explicatio. Nam quæ longius à principibus partibus fiunt incommoda, multò facilius perferuntur. Intestina etiam crassiora neque perinde ab ambiente aëre alterari possunt, vt gracilia, neque si alterata sint difficilius reuocantur: quin potius longè facilius. Quod si ea ipsa vnà cum abdomine vulnus conceperint, vtpote carnosiora, mirum quantũ sit dispar curandi ratio: cùm tenuiora intestina semel diffracta nunquam glutinari possint. Adde etiam quòd in superioribus abdominis rupturis facilè omentum procidat, quod vbi primum ambiẽtis aëris commertio fruitur, tam malè afficitur; vt nullo ferè ingenio reparari possit: adeò frigori externo est inimicum. Quod si supernum vulnus tam amplum sit, vt intestina nõ amplius in ventris cauitate contineri possint, non'ne aliquod ex tenuibus intestinis extrorsum procumbet? Quod si anfractuosus ille volulus sit, quem propter immensos gyros

Scopi curandarum abdominis abruptionum.

Quare abruptiones inferioris partis abdominis minus periculosæ.

Intestina gracilia semel diffracta nõ coalescunt.

ἰλεὸς intestini nominis ratio.

Abdominis rupturæ superiores in dextra parte periculosiores.

gyros Græci ἰλεὸν nominarũt, quam facilè obstructa deorsum recrementis al ui via, sursum ad os regurgitabunt: vomitusque stercoris cõtinget. Hæc satis apertè monstrata esse arbitror: quanquam nõdum ambiguitas tota videatur esse soluta. Quod enim supernæ omnes abdominis rupturæ curatu sint multò difficiliores, symptomataq; longè sæuiora inducant, dumtaxat monstratum est: non autem quare in dextra magis parte id fiat. Si igitur ventriculum ad dextram partem deorsum magis contortum naturam conformasse didiceris, nullus amplius dubitandi locus (vt video) reliquus esse poterit. Iam igitur vt totam hac in parte Hippo. mentem teneas, quæ dicta hactenus de abdominis vulneribus à me sunt: tute ipse ad ramicum omne genus trasferre poteris: in quibus eadem penitus ratione videbis, pro loci diuersitate, interim grauiora, interim mitiora symptomata subortura. Parum attinet ad hanc rem, ramicũ differentias, nomenclaturasque percensere: quibus tum pro partium discrimine, tum etiam pro materiæ turgidam distensionem facientis differentia, aliud atque aliud nomen inditum est. Nam si in inguine fœditas huiusmodi contingat βουβωνοκήλην nominãt: inguinalem scilicet ramicem intelligentes. Si in vmbilico ἐξόμφαλον. id est, vmbilici prominẽtiam. Si in alia abdominis parte contingat κήλην simpliciter dicunt: adduntque appendicem de nomine materiæ quæ turgidam infert distensionem. Nam si intestinum deuolutum sit ἐντεροκήλην nuncupant: si omentum ἐπιπλοκήλην: si flatus in eam se insinuet partem, πνευματοκήλην, si humor lentus ὑδροκήλην: in alijsq; semper eandem seruãt, quam diximus, rationem.

βουβωνοκήλη. ἐξόμφαλος. ἐντεροκήλη. ἐπιπλοκήλη. πνευματοκήλη.

Οἷσι τὸ μεταξὺ τοῦ ἤτρου καὶ τοῦ δέρματος ἐμφυσᾶται, καὶ οὐ καθίσταται, τὸ τῶν χροιῶν οἷον τὸ πολύχλωρον, τό, τε ἐκ λευκοχροίου, οὗ ἀπὸ τοῦ ἥπατος πᾶν τὸ τοιοῦτον. καὶ ἀπὸ τούτου ἡπατικὰ νοσήματα ἐν τουτέοισι, καὶ ἴκτεροι ἀπὸ τοῦ ἥπατος ἐν τὸ ὑπόλευκον, καὶ ὑδατούμενοι, καὶ οἱ λευκοφλεγματίαι.

37. Quibus media inter abdomen & cutem pars inflata est, nec tamen considit, colorq; qualis vehementer pallidus, ac qui ad album vergit, id omne ex iecore proficiscitur: atq; in his ea de re iecorarias labes adesse oportet. Atqui arquati ex iecinore in sub album tendunt, aqua etiam intercutem laborantes, ac leucophlegmati.

Hoc in loco abdomen, quod Hippocrates ἦτρον vocat, perinde atque in superiori oratione conuertimus: quanquam nos non fugiat, eo nomine inferioris ventris imam partem à Græcis frequenter significari. Sed fortasse legentem improuidum remorabitur, quod scriptum ab Hippocr. est: Quibus media inter abdomen & cutem pars inflata est, cum abdomen idem quod ἐπιγάστριον sit: neque cõmodè ab eo extima cutis videatur distinguenda. Quin nec si abdominis

dominis nomine musculosam dumtaxat intelligeres consistentiam, verũ esset quod in præsentia scripsit. Perinde enim est, ac si dixisset: quibus inter musculos abdominis, & cutem media pars in tumorem sublata est, neque sedatur, & color qualis vehemẽter pallidus, & qui ad albũ vergit, id omne ex iecore proficiscitur. Nam in iecore potius, quàm inter musculos & extimã cutẽ, firmari affectũ necessum est: de quo ipsi in hac parte est sermo. Principio igitur dum alicuius examinare sententiã velis, an vera sit, an potius falsa: quidnã sibi voluerit, cum ea scriberet sedulò adniti debes intelligere. Vbiq; scopũ hominis perpulchrè tenueris, licebit quidẽ tibi liberam ferre sententiã. Agendũ igitur attende quænam fuerit Hippo. in hoc loco sententia, nõne euidentibus notis significare internas iecoris affectiones? sanè quidem. Quemadmodum & in sequenti oratione, lienis passiones nobis ob oculos ponere: vt luculenter videbimus. Quare non sanæ mentis videretur, si dixisset. Quibus iecur intumuit, neque tumor remittitur, colorque qualis vehementer pallidus, & qui ad album vergit, id omne ex iecore proficiscitur. Si enim dixerit iecur intumuisse, aut obsessum esse abscessu, quanquam alia non addiderit, non'ne iam luculenter intelliges affectum in iecore esse. Atqui Hippocrates non est huius modi: semper nanque ex euidentibus de oculis pronunciare videtur. Cùm igitur in omnibus iecoris obstructionibus id perpetuum sit, vt præcordium dextrum attollatur: idque omnibus tum ex plebe, tum in arte peritis, primum tanquam notissimum sese offerat, ex quo huius mali propriũ & præcipuum signum petatur: cumque interdum contingat, & in media musculorum & cutis parte aceruata humiditate, aut carne flaccidissima instar spongiæ madefactæ, aut papyri vt in λευκοφλεγματίᾳ, attolli in molem maximam vniuersum abdomen: voluit Hippocrates eam præcipuam notam minimè missam facere: atque simplicibus & incompositis verbis ipsam significare: cum eam semper de se rudibus præbet speciem, vt arbitrentur perpetuò quidem inter musculos & summam cutim, illum offirmari tumorem. Quo fit vt hanc ob causam minimè accusandus Hippocrates sit, si rudius paulò videatur esse locutus, vt nostræ mentis hebetudini consuleret. Verum enimuero quo quispiam cõmodè vsurpare notam possit ad subiectas iecoris affectiones intelligendas, adijciat oportet quod Hippocrates haudquaquam prætermisisse videtur: vt tumor ille non considat: quod ipse scripsit καὶ οὐ καθίσταται. At verbum καθίσταται rem propemodum labantem stabilire significat; & in meliorem statum redigere, vt καθίστασθαι τὴν ἀρχὴν magistrarum reficere, ac reparare. Sic & tumores omnes cùm ad habitum suum redeunt καθίστασθαι dicuntur, aut συνιζάνειν siue συμπίπτειν. Si igitur præcordium intumescat nec remittatur, aut euanescat tumor, colorq; vniuersus sit vehementer pallidus: qualis in arquatis cernitur: necessum

Non semper quid dicatur sed qua mente dicatur videndum est.

Hippocra. sem per ex euidentibus occulta significat.

καθίστασθαι quid proprie.

necessum est, subesse grauem aliquam in iecore obstructionẽ, aut abscessum. Nam tametsi plurimas ob causas morbus regius suboriri videatur, tamen Hippocrates eius notas potissimum tradere videtur, qui obsidentis iecur obstructionis est soboles. Interim enim contingit, in febre biliosa, imbecilliori facultate quàm vt possit confertim totam materiã per effluxum vacuare, sese continuò ad abscessum quantum potest accingere: ac repẽte per extimam corporis superficiẽ (quæ pars est in corpore minus necessaria) morbificam materiam diffundere: quo tempore vniuersum corpus pallido quodam colore infici tur. Quod morbi regij genus nulla ex parte damnandum est: vt quod balneis & moderata frictione subitò discutiatur. Quod si in febribus is affectus accidat, cum deiectionibus biliosis, & præcordij dextri dolorosa distensione, ac grauitate, feruidam iecoris indicabit inflammationẽ: quæ sanguinẽ ita excandescere coëgerit, vt & in bilem transmutetur, & per vniuersum corpus diffusus regium morbum ipsis conciliet ægrotantibus. Sed interim idipsum ex sola iecoris calida intemperatura suboriri solet: quod ex solo feruore, citra grauitatem aliquam dignosci facilè poterit. Cæterum si absque febre huiusmodi coloris fœditas per vniuersum corpus appareat, aut noxij alicuius medicamen haustum, aut ictum venenati animalis, aut vesiculæ in iecore appendulæ obstructionem significabit. Quæ sanè distingues: tum dextri hypocondrij tumore, tum etiam deiectionibus albis, aut candidantibus. Hæc namq; semper vesicæ fellem recipientis indicant affectionem: quoniam meatu qui ad intestina bilem transmittit, obstructo, aut imbecilli, non possunt alui recrementa biliosi humoris colore infecta demitti. Vides igitur quàm certè ex præcordij tumore quis iecoris affectũ intelliget. Non ab re itaque dixisse videtur Hippocrates, in his iecorarias labes adesse oportere. Interea tamẽ dum datur occasio, id vnum adnotare conueniet: ab Hippocrate hac in parte scriptũ esse, τὸ τῶν χροιῶν οἷον πολύχλωρον, quamuis deprauatè semper legeretur πολυχώριον, quod est, colorq; qualis vehemẽter viridis: id enim significat vox πολύχλωρος. At nobilis interpres Galenus huius rei nos fecit certiores: qui iuxta morem quendam Asiaticorum Græcorum, qui etiam suo tempore obseruaretur, dictum id ab Hippocrate sæpius fuisse adnotauit: apud quos χλωρὸν atq; ὠχρὸν in eo sumitur significato. Visumque quendam χλωρότερον, id est, viridiorem dicunt ὠχρότερον id est, pallidiorem significantes. Est autem color pallidus, qualis insurgit immixta aquoso excremento flaua appellata bile: vt perinde à flauo distare in candoremq; magis vergere dicatur, pallidus color atq; flauus à rubicundo ad candidum deficit. Neque ab re id animaduertisse videbor, quòd arquatorum colorem medici plerique ferè omnes, mixtum cum virore candorem præseferre affirment: ac herbis pallore candicantibus assimilent:

Morbus regius ex multis causis nascitur

Sanguis cũ excandescit inflãmatus transit in bilem.

Libro. 2. de victus ratione in morbis acutis.

Pallidus color quinam sit.

aßimilent: potißimum quibus iecoris affectio, ipsius mali in causa est. Arquati igitur ex iecore in subalbum tendunt. Sed quòd aqua subter cutem laborantes, ac leucophlegmati id ipsum patiantur, non est mirũ: cum noxa primum ex iecore procedit. Nam quibus splenis vitio iecur afficitur: his color magis ad atrorem vergit: vt in sequenti monstrabit oratione. Id igitur semper in hydrope nouisse oportet, citra iecoris vitium non posse consistere. Vbi igitur adeò fuerit perfrigeratũ, vt non amplius sanguinem commodè conficere poßit, sed is planè sit pituitosus, ac frigidus, quo singulæ partes nutriri debent: in quibus ob iecoris infirmitatem robur omne est dißipatum, in pituitosam consistentiã fieri mutationem est necessum: atque partes omnes in tumorem quendam attolli, instar spongiæ cuiusdam madefactæ aut papyri. Id genus medici ἀνασάρκα, aut ὑπὸ σάρκα vocãt: aliqui etiã λευκοφλεγματίαν. Quod si adeò iecur fuerit vitiatũ, vt ne sanguinem etiam pituitosum efficere valeat, qui per vniuersum corpus feratur: sed aquam potius tenuẽ ac pallidã, quæ transsumpta in ventris cauitatem, confestim putrescens, simul & iecur ipsum accendat: vocare medici consuerunt ἀσκίτην: quoniam vtrimodo venter distendi videatur. Verum vbi hucusque iecoris noxa increuit, vt præ imbecillitate flatum quendã craßißimum & solutu difficilem, potius quàm aquam conficiat, qui præcordia, & vacuas simul abdominis partes turgido tumore distendat: vt tympani sonitum etiam pulsata reddant, id genus τυμπανίτην nominant. Communiter autem omnis hydrops spirandi affert difficultatem: conuulso diaphragmate deorsum, ac proinde adstricto thorace. Tumoremq; infert, & grauitatem, & vitiatũ colorem, ex virore nimirum candicantibus ægrotis: qui omnes cibum auersantur: potumque auidius appetunt, præsertim qui Ascite laborant quoniã humor is, qui in vẽtris cauitate aceruatur salsus, & putrefactus est. Porrò an leucophlegmati, aut leucophlegmatiæ quos in prædicta apponit oratione, aliud quicpiam sint, quàm anasarca laborantes, non erit absurdum considerare. Liberum tamen cuique relinquimus in hac re, quod magis arridet statuere. Nobis verò nemo vnquam persuadere poterit, Hippocratem λευκοφλεγματίας ab hydropicis non separasse: quanquam ad huiusmodi affectionem maximè paratos arbitremur, immò tanquam in huius mali limine iam cõsistere. Proinde Galenus in libro de morbis popularibus tertio in hunc modum scripsit: οἱ δὲ λευκοφλεγματίαι πρόδηλοι δ' ὑπὸ ψυχρᾶς κράσεως ὄντες, εἴ γε ἀναμεμνήμεθα τῶν ἐν τοῖς περὶ κράσεων εἰρημένων. ἔστι δ' αὐτοῖς μαλακὴ καὶ ὕποιδός πως ἡ σάρξ, ἐγγὺς τῇ τῶν ἑαλωκότων ὑδέρῳ τῷ λευκοφλεγματίᾳ καλουμένῳ. id est. Qui alba pituita affluunt (quos Græci λευκοφλεγματίας appellant) si quam habemus traditorum in libellis de temperamentis memoriã, citra controuersiam sunt frigidi temperamenti. Est his molle corpus, & tumidius quodam-

Arquatorũ color herbis pallere candicantibus aßimilatur.

Hydrops citra iecoris vitium non accidit.

ἀνασάρκα.

ἀσκίτης.

τυμπανίτης.

Aquæ intercutem propria symptomata.

λευκοφλεγματίαι quinam.

quodãmodo, propemodũ ut aquæ affectis inter cutẽ, quam λευκοφλεγματίαν *vocãt. Sed Hippocrates ipse in libris de morbis, cuiusdam meminisse videtur affectionis, quæ non longè a Neotericorum* καχεξίᾳ *differre videtur: quam ipse pituitam albam eo loco vocauit,* οἰδέει ἅπαν τὸ σῶμα λευκῷ οἰδήματι, καὶ ἡ γαστὴρ παχέη φαινομένη, καὶ οἱ πόδες, καὶ οἱ μηροὶ οἰδέουσι, καὶ αἱ κνῆμαι, καὶ ἡ ὄσχη, καὶ ἀναπνεῖ ἀθρόον, καὶ τὸ πρόσωπον ἐνερευθές, καὶ τὸ στόμα ξηρόν, καὶ δίψα ἴσχει, καὶ ἐπ' ἢν φάγῃ τὸ πνεῦμα πυκνὸν ἐπιπίπτει. οὗτος τῆς αὐτῆς ἡμέρης, τότε μὲν ῥάων γίνεται, τότε δὲ κάκιον ἴσχει. *id est. Tumet totum corpus candido tumore, ac venter contingenti crassus apparet, pedesque ac fœmora & suræ & scrotum intumescunt, spiritus confertim emittitur: ac facies rubicunda videtur: & os squalidum, ac sitis vrget. Quin & post cibum spiritus creber ingruit. Hic eadem die nunc quidem leuius habet, rursum verò deterius. Hæc igitur affectio* κακεξία *fortasse non alia est, quàm ea quæ* καχεξία *dicitur: quam Hippocrates* φλέγμα λευκὸν *eo in loco vocauit. Qui verò ita afficiuntur iurè* λευκοφλεγματίαι *dici possunt.*

Οἱ δὲ ἐκ σπληνὸς μελάντεροι, καὶ ὕδρωπες, καὶ οἱ ἰκτεροί.

38. Quibus de liene affectus prodit nigriores quidem hi, & aqua subter cutem laborantes atque etiam arquati.

Quibus lien obstructus ob crassorum humorum multitudinem est, quos medici lienosos vocant, his non posse viscus illud atrabilari humore iecur repurgare manifestũ est. Cumq; ater ille humor in iecore plurimus aceruatur: tãdem cũ sanguine per vniuersum corpus distribuitur: ac tenebricosum ipsum reddit: atro quodam colore inficiens. Vniuersus etiam corporis spiritus obnubilatur: quòd circa ipsum teter ac nebulosus humor consistat. Quare tristitia, & sæua quædã anxietas ipsos corripit mordeturq; ea, quæ circa ventrẽ sunt omnia: potissimũ cùm humor ille diuturnitate putrescit. Spirandi etiam difficultatem patiuntur: quoniam lienis moles præcordijs incidens, infert in pulmone angustiam, septo transuerso deorsum reuulso. Iam verò ad cibos nõ rectè se habent: nigraque insuper his lotia redduntur, ac recrementa alui siccio ra, chalcanti colorem repræsentant. Hæc sunt arquatorum ex liene communia symptomata: quæ in hac parte animaduertẽda admonemus. Quod si lien in tantum attollatur tumorem vt non solum hepar & ilia contingat, sed & ob maximam obstructionem ita quidem intumescat, vt & vitales cordis vires maximopere lædat, ac imbecillitatem inducat, & vniuersum corpus refrigeretur, ipsumque adeò iecur tenuissimum, & aquosissimum sanguinem conficiat, proximè iam labes hæc ad aquam intercutem conspirat: eam videlicet de qua Hippocrati in præsentiarum est sermo.

Symptomata arquatorũ ex liene.

Καὶ αἱ δυσελκίαι τῶν ἐκλεύκων, τῶν ὑποφακωδέων, καὶ τὸ δέρμα καταῤῥήγνυται,

καὶ τὰ

καὶ τὰ χείλεα, οἷος Ἀντίλοχος, καὶ Ἀλεύας, τὸ ἀπὸ τῶν χυμῶν, τῶν ἐκ τοῦ σώματος τοῦ ἁλμυρώδεος, ὅτι ὑπὸ τὸ δέρμα μάλιστα, καὶ ἀπὸ κεφαλῆς, ὅταν ἀπὸ τοῦ πλεύμονος διαθερμαίνηται.

39. Et vlcera quæ ægrè ſaneſcunt, in exalbidis fiunt lenticuloſis: atque cutis diſrumpitur, & labia: qualis Antilochus erat, atque etiam Aleuas, ob ſuccos corporis ſalſuginoſi, qui ſub cute continebantur, à capite'que fluebant cum à pulmone incaleſceret.

Multò commodius res habuiſſet, ſi ad calcem prioris ſententiæ in qua de ſubalbidis agebat, hanc ſubtexuiſſet orationem, in hunc modum ſcribens: Quibus media inter abdomen & cutem pars inflata eſt, nec tamen conſidit, colorque qualis vehementer pallidus, ac qui ad album vergit, id omne ex iecore proficiſcitur: atque in his ea de re iecorarias labes adeſſe oportet. Atqui arquati ex iecinore in ſubalbum tendunt: aqua etiam intercutem laborantes, ac leucophlegmatiæ. Et vlcera quæ ægrè ſaneſcunt in exalbidis fiunt lenticuloſis, atque cutis diſrumpitur, & labia, qualis Antilochus erat, atque etiam Aleuas, ob ſuccos corporis ſalſuginoſi, qui ſub cute continebantur, à capite'que fluebant, cùm à pulmone incaleſceret. Verum vtcunque nobis oratio propoſita fuerit, operæpretium eſt, eam impræſentia enucleare. Non enim ordo multum nos mouere debet: præſertim in hoc Hippocratis libro, vt iam à nobis antea demonſtratum eſt. Quoſnam ergo in hac parte ἐκλεύκους. *id eſt, exalbidos nominare voluerit, primum à nobis accepiſſe oportebit. Sanè quidem eos hoc nomine ſignificauit, qui ob imbecillam admodum iecoris facultatem, ac refrigerationē temperamenti, plurimum pituitoſum ſanguinem frigidiſſimum aceruarunt: quibusq; ſingularū corporis partium robur, atq; alterationis facultas, ita ſunt exoluta, vt non poſſint diſtributum alimentum, in ſuam naturam perfectè tranſmutare: quin potius ipſum non arctè glutinatū, veluti ſuperpoſitum videatur: ac non probè coloratum, alterius rationis appareat. Quare per vniuerſum corpus fœdas quamplurimas, ac decolores maculas præ ſe ferent: quæ interim lenticularum referant effigiem, quas Græci* φακοὺς *nominare conſueuerunt. Id igitur hominum genus Hippocrates exalbidum, lenticuloſumque vocauit. Quo morbo plurimum hydropicos Hypoſarcidios nominatos laborare videmus: potiſſimum cùm ad ſummū imbecillitatis in his iecoris facultas eſt perducta. Nam & vniuerſum corpus prætumidū, ac veluti fungoſum, flaccidiſſimumq; apparet: nec præ humoris abundantia partes ſuam ſeruare poſſunt continuitatem: ſed inſtar madefacti papyri ſoluuntur: copiaq; turgeſcentis humoris vndiq; biant: præſertim tibiæ, in quas tum ob imbecillitatem, tum etiam ob partis decliuitatem, bona humoris portio ſe*

ἐκλεύκοι. id eſt, exalbidi qui dicantur.

φακοί.

Decubitus in tibias cauſæ.

tio ſe

tio se insinuat. Quòd si semel horum corpus in vlcera soluatur, maxima ex parte cum homine commoriuntur: nunquam enim, aut rarissimè sanescunt. Nam in Aphorismis dictum est: Τοῖσιν ὑδρωπικοῖσι τὰ γινόμενα ἕλκεα ἐν τῷ σώματι οὐ ῥηϊδίως ὑγιάζεται. *id est. Aqua intercutem laborantibus vlcera in corpore facta difficulter sanantur. Quoniam enim vlcus omne, qua vlcus est siccari expostulat: neque aliter curari potest: mirum non est, si horum vlcera nunquam sanitati restituantur, cùm corpus semper nimia humiditate præturgidum sit: quam nullius medicamenti vis commodè exhaurire possit. Non solum ergo si qua vlcera ex terna occasione acciderint, curatu sunt difficilia: sed plurima etiam sua sponte prorumpunt: quæ mirum quàm difficilius curationem admittant. Nam cutis dirumpitur, labiáque huiusmodi ægrotantibus frequenter: quod Antilocho, ac etiam Aleuæ accidisse commemorat: ob humores corporis salsuginosos, quales huiusmodi ægrotis frequenter subesse videmus: propter ipsorum ad putredinem maximam opportunitatem. Nam salsa efficitur pituita bifariam, docente Galeno, aut enim ob putrefactionem id contingit, aut propter salsi recrementi permixtionem. Atqui in Antilocho, & Aleua à capite potissimum fluere huiusmodi humores animaduerterat: cùm nimirum caput à pulmone incalesceret: fortasse quòd pulmonis thoracisque causarios hos homines intellexisset. Verisimile siquidem est, inuisisse eos Hippocratem laborantes ex pulmone. At pulmonis affectio multam suscitat ex cerebro fluxionem: quòd calidorum vaporum multitudinem ad ipsum transmittat. Quo fit vt liquefacta pituita, quæ plurimum in cerebro residet, imbris instar deorsum confertim feratur: à qua tum vniuersum corpus, tum etiam interim ipsemet pulmo in grauiorem perducatur affectionem. Cùm igitur cerebrum suapte natura ad generanda pituitosa recrementa sit comparatum (temperatura siquidem quando frigidius existit, tanto minus aptè potest nutrimentum conficere) vberior inibi pituitæ copia aceruatur. Quòd si insuper caput vehementer refrigeretur, collecta inibi pituita acida euadet. Si verò plurimos concipiat calidos vapores, quemadmodum in Antilocho, atque Aleua res habuit, ob putrefactionem salsa potius redderetur: quoniam putrefactioni opportuna omnia calido humidóque semper putrescant. Cæterum si cerebrum moderatè refrigescat, vel nullam habebit manifestam qualitatem, vel obscuram quandam contrahet dulcedinem. Ob huiusmodi igitur salsuginosi recrementi fluxionem (in quibus per vniuersum corpus humor distribuitur) vlcera sanatu difficilia contingunt: sua nitrosa qualitate mordente, ac corrodente humore. Proinde Hippocrates libro acutorum morborum quarto ita scriptum reliquit.* ὁκόταν γὰρ θερινῇ ἢ μετοπωρινῇ ὥρῃ ἐκ κεφαλῆς θερμὸν τὸ ῥεῦμα καταῤῥυῇ, καὶ νιτρῶδες, ὅτε ὑπὸ τῆς ὥρης

Sexta aphoris. sectione, aphorismo. 8.

Lib. de differentijs febriū.

Gale. lib. prædictionū capi. de grauedine & sternutamēto.

ᾗ ὥρης δριμὺ, καὶ θερμὸν γεγονημένον, δάκνει δὲ τὸ ζιόνδε ἐὸν, καὶ ἑλκοῖ, καὶ πνεύματος ἐμπίπλησι, καὶ ὀρθόπνοια προσγίνεται, καὶ ξηρασίη πολλή. *id est. Cùm æstate, vel autũno fluxerit ex capite calida & nitrosa fluxio, quasi ab anni tempore tum calida, tum acris euaserit, mordet, vlcerat, spiritu replet, orthopneam parit, siccitatemque multam.*

Τὰς ἀφορμὰς ὁπόθεν ἤρξαντο κάμνειν σκεπτέον, εἴτε κεφαλῆς ὀδύνη, εἴτε ὠτὸς, εἴτε πλευροῦ. σημεῖον δὲ ἐφ᾽ οἷσιν ὀδόντες, καὶ ἐφ᾽ οἷσι βουβῶνες.

40. Impetus considerandi sunt: ex quibus ægrotare cœperunt, siue capitis dolor, siue auris, siue lateris extiterit. Signum autem in quibusdam sunt dentes, in quibusdam verò inguinum tumores.

Impetus quem Hippocrates ἀφορμὴν appellat (quemadmodum Galenus in expositione illius sententiæ sexti de morbis popularibus libri annotauit ὅσαι περιφυγώδεες φύσιος πλευρέων, δι᾽ ἀδυναμίην ἀφορμῆς) nibil aliud est, quàm primum totius actionis momentum, ac veluti carcer vnde ipsa actio promouere videtur: quæcunque huius fuerit materia, siue aurum, siue possessio, siue fides, siue aliud quicpiam. Itaque impræsentiarum ἀφορμὴ, hoc est, impetus, siue insultus, aut si mauis principium morbi intelligendum est. Quidnam nimirum sit, quod morbi occasio extiterit. Primum quidem num externum, num potius internum: & si internum fuerit principium, quale illud sit, & in qua totius corporis parte primum tumultuetur, nouisse oportet. Siue capitis dolor fuerit, siue auris, siue lateris. Nam longè alia curandi ratio adhibenda est, cùm caput aut insolatione, aut perfrictione doluerit, quàm si ob internam aliquam, prægressamque causam dolore conflictetur. Iam verò si ob internam causam doluerit, quisnam humor caput exerceat, diligenter animaduertendum est. Neque id dumtaxat cognouisse sat erit, sed si ex aliqua potius corporis sede affecta humor in caput transferatur. Siquidem interdum contingit concipiente parte aliqua plus quidem humoris quàm ipsa alterare possit, ob imbecillitatem facultatis, in se ipsa plurima congerere excrementa: quæ tandem vbi iam aut copiâ, aut acrimoniâ non amplius contineri possunt, quoniam facultas penitus non est exoluta, ni in alias sedes imbecilliores transmutentur: ex quibus rursum in alias confluant, ex hisq; demum in cerebrum, vnde iam neque ob ipsius imbecillitatem retrocedere, neque prorsum pelli possunt. Atque ita dolores sæuissimos capitis contingere: qui nunquam perfectè curari possint, priusquam illi parti quis consuluerit. Atqui id quotidie per ophthalmicas affectiones euenire videmus: in quibus ordinatæ quædam circuitiones liquidò depræhenduntur: colligente quidem cerebro eam recrementorum copiam, quæ non amplius ab ipso con-

ἀφορμὴ, id est, impetus aut occasio quid Hippocrati significet.

Quæ pars morbi seminarium contineat diligenter est aduertendum.

tineri possit, delatáq; inde in oculos tanquam imbecilliores feratur. Cæterum quòd id per circuitiones quasdam feriem, ordinemque præfixum seruantes fiat, mirari non debemus: cùm verisimile sit, cerebrum certam illam (quam prædiximus) recrementorum copiam, quæ primum aut quantitate, aut qualitate ipsius expultricem facultatem exsuscitat, æquo temporis interuallo aceruare. Quòd si inde transmissam materiam oculi à seipsis possint repellere, ad adenas transmittetur: si rursus hæ viribus valeant se exonerare, in pulmones, sensimque inde in intestina confluet, vbi singulæ partes habuerint secundum naturam. Atq; hæc circuitionis morborũ causa præcipua existit. Nosque aliquando tertiana febre laborantem crurum fotu ex roborantium, & recrementa digerentium materia curauimus: cùm intellexissemus ante accessionis inuasionem, grauissimo quodam tensionis dolore crura molestari. Quare arbitrati sumus inibi fuisse seminarium humoris, imò potius sentinam, quæ sensim in iecur transferretur. Sed id maxima ex parte accidit in tertianis, aut quotidianis, aut quartanis febribus, ex capitis, aut superioris alicuius partis primogenia affectione. Hæc omnia diffusius pertractare non est consilij nostri: satis enim fuerit indicasse Hippocratis sententiam, quam etiam in sexto popularium morborum libro iisdem ferè verbis scriptam habes. Non ideo quidem arbitror, quoniam ex earum sit genere, quæ parum faciunt ad rem, aut oscitanter pertractari debeant. Eamque ipsam Fuchsius doctissimus sanè medicus exponit: ad illum igitur confugito si serium quicpiam hac in parte tractare videatur. Sed prius accipito hãc Hippocratis dictionem, quam ex libro de locis in homine huc transferre voluimus: quòd bonus hic senex ibi suam luculenter exponat sententiam. Τὰ νοσήματα χρὴ ἀπ' ἀρχῆς ἰᾶσθαι, ὅσα μὲν ἀπὸ τῶν ῥόων γίνεται, τοὺς ῥόους παύειν πρῶτον, ὅσα δ' ἀπ' ἄλλου, παύειν τὴν ἀρχὴν τοῦ νοσήματος, καὶ θεραπεύειν, ἔπειτα τὸ συνεῤῥυηκὸς, ἢν μὲν πολὺ ᾖ ἐξάγειν, ἢν δὲ ὀλίγον διαιτῶν καθιστάναι. *Morbos à principio curare oportet, & si quidem à fluxionibus fiunt, primum fluxiones sedare: si verò ab alia causa principium morbi sedare, ac curare: dein id quod influxit, & si quidem multum fuerit educere, sin modicum per victus rationem moderari ac reficere.*

Circuitionis morborũ causa, quam Galenus libro de differentijs febriũ tradidit.

Τὰ γινόμενα ἕλκεα, καὶ κρίνοντα πυρετοὺς καὶ φύματα, οἷσι ταῦτα μὴ παραγίνεται ἀκρισία, οἷσιν ἐγκαταλείπεται βεβαιόταται ὑποστροφαὶ καὶ τάχισται.

41. Vlcera & tubercula iudicantia febres, quibus non eueniunt, praua iudicatio accidit, quibus verò interius inclusa manent, his celerrimæ, certissimæq; reuersiones fiunt.

Et hanc etiam sententiam in sexto vulgarium morborum libro, sectione tertia, iterum nobis Hippocrates scriptam reliquit. Quod ideo contigisse arbitramur,

bitramur, quoniam quæ maximi facienda esse ducebat, ea multis in tabellis scriptitaret: ex quibus deinceps ab his qui omnia in commentarios redigere voluerunt, multis in locis esse transcripta non est mirum. Tum quòd fortasse non recordarentur eorum, quæ alibi essent mandata: tum etiam quòd vel minimum scriptorum Hippocratis perire nefas existimarent. Sciebant enim (hominis ingenium probè tenentes) non temerè eadem bis esse ab eo repetita, qui Laconicam breuiloquentiam semper affectauit. Quare non ex earum numero, quæ vt plurimum accidunt, hanc esse sententiam existimare oportet (quemadmodum Leonardus Fuchsius arbitratus est) sed ex his potius, quæ firmam, certamque veritatem enuntiant. Nam vir ille quanquam impendiò doctus sit, tamen oscitanter hanc orationem legisse videtur: neq; planè quid sibi voluerit Hippocrates animaduertisse. Quod nescio qua factum occasione fuerit: cùm alijs in locis semper ab Hippocratis sententia stare videatur. Neque enim Hippocrates id dicere voluisse videtur, quod vir ille in prima orationis parte conuertit. Vlcera & tubercula vbi facta fuerint, febres soluunt: Nam Græcè habet: Τὰ γινόμενα ἕλκεα καὶ φύματα κρίναντα πυρετοὺς, οἷσι ταῦτα μὴ παραγίνεται, ἀκρισία. ὅσιν ἐγκαταλείπεται, βεβαιότεραι ὑποστροφαὶ καὶ τάχισται. *Nihil enim aliud in prima orationis parte enuntiat, quàm quòd mala iudicatio eos maneat, quibus vlcera, & tubercula iudicantia febres non appareant. Neque voluit propterea omnes febres tuberculis, aut vlceribus iudicari: sed tanquam in hunc modum dixisset. Si febris eius fuerit naturæ, vt abscessu per decubitum in aliquam ingruente partem, iudicanda sit: siquidem nunquam is abscessus compareat, proculdubiò in perniciem cedet ægrotantis ipse morbus. Huiusmodi sunt febres omnes longiores: quæ maxima ex parte abscessu iudicantur. Nam acutæ, vtpote quæ celerrimo quodam ducantur motu, maximo quidem naturæ impulsu citò iudicantur: potissimum si vires validæ fuerint. Nam materia quæ acutas febres committit, calidior maxima ex parte, tenuiorque existit: quæ verò longiores, tum frigidior, tum crassior: quæ naturæ concoquenti non paret: sed corporis meatibus infarcta, nunquam, aut rarò inde extirpari potest. Quare cùm nullum maximum impulsum in huiusmodi morbis moliatur natura, imperfectas quasdam habent iudicationes: proindeque rursus exoriuntur: & per secundam in abscessum expulsionem integrè soluuntur. Ergo si talis fuerit febris naturæ, nunquanque abscessus ipse se promat, non'ne est necessum, tandem ægrotis perniciem allaturam esse? Atque id est quod antea in libri initio Hippocrates dicebat, Galenusque alibi frequenter inculcauit:* Τὰ κρίσιμα μὴ κρίναντα, τὰ μὲν θανατώδεα, τὰ δὲ δύσκριτα. *id est. Iudicatoria non iudicantia, hæc quidem lethalia sunt, hæc verò difficilis iudicationis.*

Quare multæ sententiæ in Hippocraticis libris sæpius repetantur.

Fuchsius labitur.

Quænã febres soleant abscessu iudicari.

Acutarum febriũ materia.

Iudicatoria nõ iudicãtia quænam sint.

 dicationis.

dicationis. Quænam quæso sunt indicatoria non indicantia? Non'ne partim illa, quæ in morborum vigore apparentia ægrotum non leuant, partim verò illa quæ cùm in toto morbi decursu expectentur, nunquam tamen eueniũt? Sanè quidem: Ac proinde Hippocrates paulò inferius dicebat: ὅσα κρίσιμα σημεῖα γινόμενα, τὰ αὐτὰ ταῦτα μὴ γινόμενα, δύσκριτα. *id est. Quæcunque cùm fiunt decretoria sunt, hæc si non fiant, mala est indicatio. Quo fit vt quod Fuchsius in secunda orationis parte de intemperie introrsum remanente scripsit, planè sit commentitium. Nam præterquam quòd totam Hippocratis sententiam subuertit: non* ἀκρησία *per* η, *aut* ἀκρασία *per* α, *legere debebat: sed* ἀκρισία *potius per iota, quæ dictio malam indicationem significat. Cuius rei potuisset ipsum Galeni locus commonefacere: qui sexto de morbis popularibus libro, eadem in oratione* ἀκρισίαι *legit in numero multitudinis, id est, malas iudicationes. Quare secunda huius orationis pars in hunc modum potius legenda erit: quibus verò interius inclusa manent, his celerrimæ certissimæque reuersiones fiunt. Quòd etiam in hunc modum esse legendum verbum illud* ἐγκαταλείπεται *(vt ex Galeni sententia patebit) ostendit. Nam cùm antea dixisset, malas esse in febribus iudicationes, in quibus cùm abscessus expectetur, nunquam tamen emergit: æquum erat sanè quid cùm emergit, verum non pro morbi dignitate, futurum sit, significare: id enim verbum* ἐγκαταλείπεται *significat: quemadmodum Galenus in sexto de morbis vulgaribus libro, sectione tertia interpretatur, in expositione illius sententiæ:* καὶ ἢν μὲν ξυνιόντων ἐγκαταλείπηται ἕτοιμον. *id est. Si quicpiam eorũ quæ profluunt intus relinquatur, tunc promptum est: scilicet abscessum futurum, quoniam de ipso erat sermo. Ea igitur in parte Galenus hunc in modum scripsit:* τὸ γὰρ καὶ ἢν μὴ ῥυέντων ἐγκαταλείπηται, ἕτοιμον, ἑαυτῷ μάχεται, τὸ μὲν ἐγκαταλείπηται, τὰ μὴ τελέως ἀλλ' ἐκ μέρους κενούμενα δηλοῦντος. *hoc est, Quod enim scribitur, si non fluentibus intus relinquatur, sibijpsi pugnat: cùm verbum* ἐγκαταλείπηται, *id est; intus relinquatur, ea significet, quæ non perfectè, sed ex parte solum sunt educta. In eum planè sensum deinde dicitur, quod ad calcem præfatæ orationis est adiectum, tanquam totius sententiæ summa:* τὰ ἐγκαταλειπόμενα μετὰ κρίσιν ὑποστροφώδεα. *id est. Quæ intus relicta sunt in morbis post iudicationes reuerti consueuerunt. Nam ea relinquuntur post iudicationes, quæ in crisibus satis integrè non fuerunt expurgata: siue morbi materiam intelligas, siue relictas in membris affectiones. Hinc igitur est, quòd si abscessus, totam morbi materiam non educat, aut in seipso contineat: cùm non sit pro morbi ratione factus, recidiuæ inde expectari debeant: quæ interim tam sæuè corripiunt, vt ægrotum ipsum de medio tollant: vt Temeni nepti contigisse scripsit, in his quæ antea à nobis exposita sunt, cui cum ex morbo vehementi*

ἀκρισία.

ἐγκαταλείπηται quid significet

Abscessum intelligit tum ex fluxu tum decubitum humorum.

menti in digitum abscessus firmatus esset, neque totam morbi materiam commodè potuisset exhaurire, repetijt, mortuaq́; inde est. Semper enim abscessus pro morbi dignitate erumpere debet: quemadmodum ipse scribit: & quæcunque alia iam cõmemorata sunt, dummodo morbũ ipsum cõmodè complecti poßint: hoc est, ἀξίως δὲ περιβολῆς τῶν νοσημάτων, quod iterũ atq; iterũ tum in hoc, tum in tertio de morbis popularibus libro, ab eo inculcatũ est. Duo itaq; erunt quæ in hac proposita oratione docere voluit: alterum quidem malam subsecuturam iudicationem, si in febre aliqua in qua solutio per abscessum expectatur, nunquam huiusmodi abscessus se promat: alterum verò quòd tametsi expectatus abscessus eruperit, siquidem non sit idoneus ad morbum concipiendum, expectanda tamen sit reuersio, ac recidiua. Confecta nimirum materiæ reliquijs rediuiua morbi virtute. Cæterum si erumpat quidem, ac confestim euanescat, quid significet, ab eo prætermissum est: quod in hac parte addidisse fuerit officij nostri. Quare cum Galeno deterrimum id esse abscessuum genus, non veremur affirmare: quoniam deuictam à morbo facultatem significat: quæ tentauerit quidem noxios humores propulsare, ac præ imbecillitate quod proposuerat perficere nequiuerit. Melius itaque esset si nullo apparerent pacto hæc signa, quàm si vbi facta fuerint cessent. Sed nunquid ita ab Hippocrate prætermissum arbitrabimur, vt nusquam eius rei meminerit? Haudquaquam sanè. Nam & ad calcem tertiæ huius libri sectionis Hippocrates ita rem scripsisse videtur: κακοηθέστερα τὰ ἀφανιζόμενα ἐξαίφνης. hoc est, Nequiora planè sunt, quæ confestim euanescunt.

Quid sibi voluerit in hac oratione Hippocrates.

Deterrimum corũ signorũ est genus quæ cùm apparuerint euestigio euanescunt.

Τὰ ὠμὰ διαχωρήματα καὶ ὑγρὰ, κέγχρος στερεὸς ἐν ἐλαίῳ ἑφθὸς ἵστησιν, οἷον τὸ ναυτοπαίδιον, καὶ ἡ μυριοχαύνη.

42. Crudos secessus humidos'que milium solidum in oleo coctum sistit: cuius rei nautæ puer, & Myriochaune periculum fecerunt.

Non de omnibus alui deiectionibus agit hoc in loco Hippocrates: sed de his dumtaxat quæ ob humorum cruditatem cõtingunt: per quas aquosus quidam et liquidus humor expurgatur, interdum ex ventriculi imbecillitate contingẽtes: (nam huiusmodi humor propria cruditatis præsefert indicia: vt scribit Gal. secũdo prædictionũ) interdũ verò ob ingluuiem, quemadmodũ pueris vsu venire plurimũ videmus: ac fortasse propterea in exemplũ vocauit nautæ puerũ. Hos igitur crudos liquidosq; secessus miliũ coctũ iure optimo cõpescere potest: cũ tertio propemodũ recessu exsiccare poßit: ac moderatè refrigerare, nilq; habere videatur glutinosi ac pinguus: sed instar arenæ siccũ ac friabile sit. Neq; in oleo tantũ coctum, aut solidum integrumq;, sed in puluerem præparatũ, & iuribus iniectum idipsum cõmodè præstare poterit. Atqui no-

Quibus alui fluoribus miliũ sit vtile.

Milij facultas.

Quomodo sit intelligendum esse in oleo coquendũ miliũ.

lumus intelligi in oleo ita coquendum esse milium, vt nullum alium liquorem præter oleum admittat: sed & aquam simul & salem item. Alioqui enim neque in ventriculo libenter admitteretur: neque posset non mouere ad nauseam. Cæterum quemadmodum nos frequenter loqui solemus, dum quicpiam oleo incoctum esse dicimus, ita quod ab Hippocrate dicitur est intelligendum. Nam diebus quibus nobis carnibus interdixit ecclesia, solemus tum lentes, tum cicera, tum dolichos, & fabas etiam, & legumina omnia oleo elixare: neque hæc solum verum chocleas etiam & tellinas. Haud quidem quòd solo oleo condiantur: sed quòd præcipuam gratiam condimentis oleum conciliet: quo palatum suauitate illectum ventriculum etiam ad cibos continendos demulceat: eosque minimè nauseabundus excipiat.

Vẽtirculus gratos cibos auidius excipit.

Sed & oleum si ex oliuis fit immaturis ad sistendam aluum commodius cedet medicamentum. Quin & ventriculo robur conferre valebit; id vnum dumtaxat molestiæ adferre potest, quod non facilè concoquatur.

PARTICVLAE PRIMAE FINIS.

HIPPOCRATIS SECVNDI EPIDEMIΩN LIBRI, SECTIO SECVNDA, PETRO IACOBO STEVE Valentino medico interprete.

Γυνὴ ἐκαρδιάλγει, καὶ οὐδὲν καθίστατο, πλὴν ἐν ῥοιῆς χυλὸν ἄλφιτον ἐπιπάσσειν, καὶ μονοσιτίη ἤρκεσε, καὶ οὐκ ἀνήμει οἷα τὰ Χαρίωνος.

Mulier cor dolebat, nihilque sedabatur: sed huic in mali punici succum polentam inspergere, semelque die cibum assumere profuit: neque vomuit qualia Charion. 1.

Quod cordis dolor (quam καρδιαλγίαν, aut καρδιωγμὸν Græci nominant) oris ventriculi affectus sit, semperque in ea sumatur ab Hippocrate significatione, quanquam in huius commentionis initio latius à nobis expositum sit, tamen in hac parte, quod maximè ad rem præsentem facit, dissimulare non potuimus. Siquidem dum idipsum quod dicimus, confirmare Galenus niteretur, libro de placitis Hippocratis, & Platonis secundo, propositã ad id monstrandum affert Hippocratis dictionem: qua iam voti compos euasisse est arbitratus. Scripsisse nanq; Hippocratem in hunc modum ait: γυνὴ ἐκαρδιάλγει καὶ οὐδὲν καθίστη, πλὴν ἐν ῥοιῆς χυλὸν ἄλφιτον ἐπιπάσσειν, καὶ μονοσιτεῖν ἤρκεσε, καὶ ἀνήλκυεν οἷα τὰ Κυρίωνος. *Cæterum hæc Græca adscribere voluimus: vt adnotaremus propositam orationem longè aliter apud Galenum haberi. Non enim transcriptum ab eo est: non vomuit, sed* ἀνήλκυεν, *quod est, abstraxit, neq; Chariona vocauit: sed Cyriona potius per ypsilon & cappa. Adde quòd qua parte codex Hippocratis* πάλιν *habet nullo planè significato,* πλὴν *apud Galenum legatur. Quo fit vt ex parte quidem melius in Hippocratico codice hæc sententia habeatur: ex parte verò melius in libro de Hippocratis Platonisque placitis. Quòd enim* πλὴν *melius habeat quàm* πάλιν, *quæ dictio nihil significat, quiuis liquidò intelliget: tametsi Græca à limine tantum salutauerit. Quod verò apud Galenum habetur* ἀνήλκυεν *menda care re haudquaquam arbitramur: atque pro eo quod est* οὐκ ἀνήμει, *id est, non vomuit, scriptum falsò esse* ἀνήλκυεν: *satis enim lubricus lapsus videri potest. Denique quòd hic* χαρίων, *ibi verò* κυρίων *scribatur, nullibi bene habere putamus: sed restaurandum esse ægroti nomen, atq;* χαιρίωνα *potius esse legendum coniicimus, diphthongo in priore syllaba. Vt ægrotum quintum tertij de morbis vulgaribus libri, sectionis primæ in exemplum hac in parte vocauerit. Ita*

καρδιαλγία. id est, cordis dolor oris ventriculi affectus est.

Galeni sententia expenditur.

enim ab eo scriptũ inibi est: Χαιρίωνα, ὃς κατέκειτο παρὰ Δημαινέτῳ, ἐκ ποτοῦ πῦρ ἔλαβεν. καὶ τὰ λοιπά. *id est. Chærionem qui decumbebat apud Demænetum, ex potu ignis corripuit. Si igitur priuatim tuteipse huius ægroti symptωmata diligenter perlustres, videbis sanè ex abundantia maximè biliosi humoris hunc hominem ægrotasse: quod & Galenus ipse adnotauit: ventriculumque ipsius prauorum humorum acrimonia vellicatum. Inde tertia die labrum inferius vehementer intremuisse, caputque insuper totum: ac paulò post tum rigores, tum etiam conuulsiones accidisse. Cuius rei euidentissimum deinde indicium Hippocrates proposuit: sextodecimo die biliosa euomuisse flaua plurima scribens. Ad quem fortasse descriptum vomitum, voluit huius propositæ mulieris morbi exitum comparare. Nam quod scripsit non vomuit qualia Chærion bifariam sanè intelligi potest: tum quòd vomitus neutiquam accesserit; tum quòd accesserit quidem non tamen flauæ bilis fuerit, qualem in Chærione adnotauit: sed noxij alicuius alterius humoris, aut æruginosi, aut porracei: à quibus maximè cardialgiã exoriri videmus. Quibus vtpote natura acribus ac erodentibus, commodè facient medicamenta, quæ tum extergere, tum acrimoniam hebetare possũt. Huiusmodi sanè est mali Punicæ succus, cui polenta inspersa fuerit. Nanq; mali punicæ succus sua acida qualitate, humorẽ vẽtriculi tunicis adhærescentẽ cõminuens, inter ipsius partes promiscuè se insinuat; secumq; hordeaceũ pollinem temperatũ introrsum immittit. Atq; hoc modo materiæ acrimonia epicerastica medicamenti facultate diluitur, abstersoriaq; polẽtæ natura detruditur: ac demũ excandescens humor extinguitur. Porrò autẽ polenta ex nouo ordeo ab spica decusso non admodũ sicca paratur. Primum quidẽ torrefactis seminibus moderatè: postmodum in pollinẽ redactis: eoq; vtuntur quolibet liquore subigentes. Nam aqua sola interdum pollinẽ diluunt: conficiuntq; medicamentũ gustu satis suaue, ad caloris vehementes æstus arcendos. Nam & siti liberum admodũ reddit corpus: & interanea demulcet. Alij verò sapa, aut vino dulci, aut mulso polentam subigẽtes conficiũt. Atqui ad cordis dolores, hoc est, oris ventriculi ob prauos humores rosiones cõmodissime hordei farina succo mali Punicæ excipitur.*

Cuiusmodi medicamẽta sunt ex vsu his quibus ventriculi os prauis humoribus vellicatur.

ἄλφιτον. id est. polenta quomodo paratur.

Αἱ μεταβολαὶ ὠφελέουσιν, ἢν μὴ ἐς πονηρὰ μεταβάλλῃ, οἷον ἐκ φαρμάκων ἐμέουσι πυρετῶν ἕνεκα.

2. Mutationes iuuant, nisi ad malum transmutentur: quemadmodum ex medicamentis febrium gratia vomentibus.

Omnes quæ in corporibus fiunt mutationes, aut à natura esse planè superante ac vincẽte, aut ipsa penitus superata, aut partim quidem vincente partim verò superata, ita sanè manifestum est, vt communi omnium hominũ epilogismo confirmetur. Idipsum autẽ Galenus fusissimè in libris de simplicium medicamento-

Earum quæ in corporibus fiunt mutationũ differentia.

medicamentorum facultatibus monstrauit: vbi de puris generatione instituit tractationem. Siquidem naturam iurè superare quis dicat, in his quæ planè secundum naturam sunt actionibus: quales sunt, tum alimenti confectio, tum recrementorum euacuatio, tum naturales omnes motiones. Tunc verò planè superari: cùm corpus aut atrophia laborat, aut motione priuatur, aut naturæ ope deficiente pars aliqua repentè commoritur. Atqui si non à natura actio solum fieri appareat, sed causa etiam præter naturam ad illam accedat, partim quidẽ à natura, partim verò à morbo ipsam fieri dicemus. Conspicuũ quidem id est in torpidis omnibus corporis motibus, atque etiam tremore & puris confectione. Cæterum in postremis his symptomatum differẽtijs animaduertisse oportebit: interim quidem validiorem esse facultatem, interim verò morbum euadere fortiorem. Quòd si igitur talis contigerit mutatio, vt natura validior euadat, boni cõsulenda sanè erit. Quemadmodũ si pure hactenus liuidiore, inæquali ac fœditissimo apparente, iam candorẽ, mediocremq́; consistentiam, cum laudabili odore cõtraxerit: aut si alui secessus opimos, liuidos, aut nigros, iam commutari in meliorẽ tum colorem, tum consistentiam videamus. Atque id est, quod in aphorismis dicebat: Ἐν τῇσι τῆς κοιλίης ῥύσεσιν, αἱ μεταβολαὶ τῶν διαχωρημάτων ὠφελέουσιν, ἢν μὴ ἐς τὰ πονηρὰ μεταβάλλῃ. *id est, In alui profluuijs, mutationes deiectionum sunt ex vsu, nisi in malum transmutentur. Ergo si natura valida fuerit, cõmodè quidẽ vniuersum suũ munus obibit, non solum in naturalibus omnibus quæ ad nutritionem pertinent actionibus, sed & vitalibus etiam, & animalibus. Atque si quis in hoc bene habentis naturæ statu, medicamentũ aliquod in corpus inijciat, mutabitur quidem, prout natura medicamenti expostulat. Ita quidem vt si ex eorum sit genere quæ vrinas mouere consueuerunt: ad vrinas mouendas sumat à facultate incitamentum: si ex his rursus quæ collectam in pectore vitiosam saniem educunt, & id vbi naturæ munus fuerit adeptũ facilè præstare poterit: quomodo & si purgare per aluum debeat, id ipsum exequetur: etsi vomitionem concitare, non poterit suo frustrari fine. Quare si cuipiam medicamẽtum propinaueris, quod per aluum humores sit euacuaturum, præsertim cuius in eo homine periculum sæpius fecisti: at non per aluum euacuet: sed quoniam humores corporis in sublime feruntur, nimia febris caliditate sublati, vomitum potius concitet: non'ne male succedere hanc euacuationẽ, intelligis? Maximã nanque huiuscemodi mutatio significat in corpore tumultuationem, ob quam non potuit medicamentum oblatum suum consequi finem. Atque hæc sanè est causa propter quam purgantium medicamentorum vsu in acutarum febrium principijs interdicat Hippocrates ægrotantibus: non semel quidẽ sed iterum atque iterum inculcans. Qua de re audire iuuabit sententiam quandam ab*

Quando superat in actione natura.

Quando morbus potior euadit.

Quando actio mixtã naturæ & morbi refert speciem.

In alui deiectionibus mutationes quid denotent.

Natura nisi forti causa fuerit præpedita semper vacat sibi.

Non rectè succedit vacuatio si pro alui solutione vomitus sequatur.

Quare purgãtiũ medicamẽtorum vsus in acutarũ febrium initijs non sit vtilis.

dam ab ipſo in quinto de morbis popularibus libro ſcriptam: qua docere inſtituit, quomodo quis vti poſsit, tum aluum cientibus, tum vomitionem cocitantibus medicamentis opportunè: ὑπὸ καθαίρειν τὰς κοιλίας χρὴ τοῖσι νουσήμασιν, ἐπὰν πέπονα ᾖ, τὰς μὲν κάτω ἐπὴν ἱδρυμένα ἴδῃς. σημεῖον ἢν μὴ ἀσώδεες, ἢ καρηβαρικοὶ ἔωσι, καὶ ὅταν αἱ θέρμαι πρηΰτεραι, ὅταν λήγωσι μετὰ τοὺς παροξυσμούς. Τὰς δὲ ἄνω ἐν τοῖσι παροξυσμοῖσι, τότε γὰρ καὶ αὐτόματα μετεωρίζεται, ἐπὴν ἀσώδεες, καὶ καρηβαρέες, καὶ ἀλύοντες ὦσι. *Purgare ventres oportet in morbis cum iam concocti fuerint. Inferiores quidem cum videris obſirmatos humores: ſignum autem, ſi non fuerint faſtidioſi, aut capite grauati: aut cum calor mitior fuerit, abeunte ſcilicet acceßione. Superiores verò etiam in ipſis acceßionibus, nam tunc ſponte humores ſubleuantur, quãdo ſcilicet faſtidioſi fuerint, ac capite grauati, aut præ anxietate ſe iactent. Hactenus Hippocrates: qua in parte adnotare oportet medicorum quorundam temeritatem, qui in febrium intermittentium acceßionibus non dubitant purgantia medicamenta propinare; quæ præterquam quòd ſuo fine fruſtrari coguntur maximos laborioſosq́; in corporibus concitãt tumultus, qui interim in ægotantis cedant perniciem; præſertim ſi in eo tumultum ſuperata natura, vires potius morbi medicamentum confirmet, quàm noxium humorem à corpore pellat. Quòd ſi tandem euacuet, vomitiones potius ſæuas, ac malè ventriculum lancinantes concitabit. Quare ſi aliquando eo die adhibenda eſſe medicamenta neceßitas tulerit, tantum temporis interuenire neceſſum eſt, inter medicamenti ſorbitionem ac febris inuaſionem, quantum ad ſuum opus perficiendum, medicamentum requirit. Vnde quam maximè neceſſarium eſſe videmus, exactam medicamentorum tenuiſſe naturam: ne nobis id accidat, quod plurimis frequenter contingere ſolet, qui cum multa in aceruum citra omnẽ rationem medicamenta congerant, non animaduertunt, quæ'nam ex ipſis* ὁμοιότροπα *ſint, quæ rurſus* ἀνομοιότροπα, *hoc eſt, quæ'nam longo, quæ verò breui à propinatione tempore mouere nata ſint: quod libro de victus ratione ſecundo Hippocrates adnotauit: Galenusq́ue rem omnem diligenter in commentatione expoſuit.*

Quando aluus ducenda, quando vomitio cõcitanda.

In acceßiõibus febrium intermittentium nõ ſunt propinanda pharmaca.

Maximè neceſſarium eſt medicamentorum naturas callere.

ὁμοιότροπα & ἀνομοιότροπα medicamenta quæ dicantur.

Αἱ δὲ ἀκρητέστερα τελευτῶσαι, σῆψιν σημαίνουσιν, οἷον Δεξίππῳ.

3. Fines in meraciora tendentes, putrefactionem ſignificant: vt Dexippo.

De omnibus qui ex corpore vacuantur humoribus, hæc ſententia intelligenda eſt: ſiue vomitu id fieri contingat, ſiue per alui deiectionem vacuentur. Graue ſiquidem malum ſignificatur, cùm indies ſperata ægroti valetudine, tandẽ ſyncera meraq́; aliqua reddatur vacuatio. Meram autem intelligimus (quemadmodum non ſemel Gale. mõſtrauit) per quam integer humor, alijsq́; omnibus

omnibus impermixtus secernitur: vt cùm plane biliosus, atrabilaris, aut pituitosus extiterit. Ita quidem vt sensu dijudicare permistionem aliquam non possis: tametsi ipsius penitus non sit expers, cum nihil in corpore simplex omnino esse possit. Nam neque in natura quidem, sed omnia sibi inuicem promiscuè permisceãtur, vt Plato in Timæo mõstrauit: qui ne ignem quidē vnū hoc aliquid esse voluit, sed igneum quiddam. Cæterum quatenus hæc synceritas sensu depræhendi potest, eatenus & merus syncerusque humor nominatur. Perinde quidem vt vinum esse syncerum, aut merum dicimus, cui nihil aquosæ humiditatis sit immixtum. At quàm prauæ sint huiuscemodi humorū secretiones abundè satis in prognostico, & alibi frequenter ab Hippocrate est dictum. Ἔμετος γὰρ ὠφελιμώτατος, ὁ φλέγματος καὶ χολῆς ξυμμεμιγμένος ὡς μάλιστα, καὶ μὴ παχὺς κάρτα, μήτε πολὺς ἐμεέσθω. οἱ γὰρ ἀκρητέστεροι, κακίους εἰσίν. *id est, Siquidem vomitus vtilissimus est, si pituita ac bile permixtus quam maximè sit, neque admodum crassus neque copia multus. Syncerior enim deterior existimandus est. Quin & in aphorismis scripsit:* Ἐπὶ νόσῳ πολυχρονίῳ ἀποσιτίη, καὶ ἄκρητοι ὑποχωρήσιες, κακόν. *id est, In morbo diuturno fastidium cibi, & deiectiones sinceræ malū. Qua in parte, verax interpres Gal.* ἀκρήτους *(inquit)* ὑποχωρήσεις εἴρηκε, τὰς ἀμίκτους ὑδατώδους ὑγρότητας, αὐτοῦ τοῦ κυρίως χυμοῦ μόνου διαχωροῦντος, εἴτε πικρόχολος, εἴτε μελαγχολικός, εἴτε πρασώδης, εἴτε ὁ δὴ ἰώδους λεγομένης ὑπάρχει χολῆς. Ἐνδείκνυνται γὰρ αἱ τοιαῦται διαχωρήσεις, ἐκπεφεύχθαι τὴν κατὰ φύσιν ὑγρότητα πᾶσαν ὑπὸ δὴ πυρετώδους θερμασίας. *id est. Synceras vocauit deiectiones, impermixtas aquosas humiditates, tantum vacuato succo secedente, siue ille biliosus fuerit, siue melancholicus, siue porri colorē referens, siue etiam bilis quæ æruginosa nominatur. Nam deiectiones huiuscemodi exustam esse omnē natiuam humiditatē à calore febrili demõstrãt. Porrò screatio si flaua synceraq; sit cum periculo est. Quippe quod sæuissimam aliquam delitescere in corpore affectionē huiuscemodi omnia significant. Biliosus enim syncerus humor caloris copiam, porri verò colorem præseferens malignam ventriculi inflammationē, æruginosus assationem, pituitosus deniq; frigiditatē immodicā significat. Cum igitur in meraces impermixtosque humores finierint morbi, ægroti ruinā inde colligere poteris. Nam quod ab Hippocrate scriptum est* σῆψιν, *hoc est, putrefactionem significant: putrefactionis nomen vt maiores vsurpare solebant, ita intelligi voluit: vt scilicet omnem animalis corruptionem eo nomine denotaret. Nam & Galenus libro de simplicium medicamentorum facultatibus quinto, symptomatis similitudinem fecisse ait, quòd & medicamenta, ea quæ corrumpere quidem corpus possunt: nullam habentia humiditatem (cuiusmodi sunt quæ rosione interimunt, veluti Auripigmentū, Sandaraca, & Chrysocola)* σηπτικὰ *hoc est,* putrefa-

Merus aut syncerus humor qui dicatur.

Vomitus syncerus malus.

Septima sectione. apho. 6.

Deiectio syncera praua.

Ita habet sententia Galeni non quęadmodum interpretatur Leonicenus.

Biliosus humor merus quid denotet, quid porraceus, aut æruginosus.

σῆψις, *id est. putrefactio quomodo ab Hippocra. desumatur.*

σηπτικὰ φάρμακα, *id est, putrefacientia medicamēta quomodo intelligantur.*

putrefactionem pro σωτῆξιν id est, colliquatione posuisse; non admodum aberrauerit à scopo: quanquã vera colliquatio, aut σύντηξις ex pinguitudine potius, quàm ex synceritate recrementorum deprahendatur: consumpta nimirum contabefactaque tum pinguedine tum molli carne. Sed nihilominus tamen ex meracibus potißimumque biliosis deiectionibus, colliquatorium affectum interdum deprahendimus: quemadmodum Gale. ipse libro de morborum acutorum victu tertio, manifestò ostendit: ea quidem in parte in qua mulsæ vires expendit. Ita enim ad verbum scribit: μεμνημένος οὖν καὶ σὺ τούτων, ὅταν ἴδῃς μελικράτου ποθέντος, ἢ καὶ χωρὶς αὐτοῦ διαχωρεῖ τις ἀφρώδη τε ἅμα καὶ κατακορέως χολώδη, συντηκτικὸν εἶναι τὸν πυρετὸν ἴσθι. *id est, Horũ igitur non immemor, cùm videris aut mulsa epota, aut citra mulsam, quempiam spumosa simul ac biliosa syncera demittere, scias quidem ex colliquantium numero hanc febrem existere. Neque enim* συντήξεως *nomen Hippocrates ita religiosè obseruat, vt Galenus sæpißimè facere videtur: sed omnem ad tabitudinem absumptionemq; viam* σύντηξιν *nominauit. Porrò id dißimulandum nõ est: propositam sententiã in libro Prorrheticorum secundo ijsdem ferè verbis scriptam haberi: ex qua parte facilè conijcere poterimus, quod hic scripsit, putrefactionem significant, non aliud quidpiam, quàm maximam quandam in deterius mutationem voluisse significare: qua plurimum ægrotantes periclitentur. Nam in hunc modum in eo libro scriptum est* τὰ τελευτῶντα ὑποχωρήματα ἐν ἀφρώδεα ἄκρητα, παροξυντικά. *id est. Quæ in meraces spumososque humores finem faciunt, exacerbatoria sunt.*

σύντηξις, id est, colliquatio propriè quid.

σύντηξις. Hippocrati quid.

Ἡ Σέραπις ἐξ ὑγρῆς κοιλίης ᾤδησε, κνησμοὶ δ' οὐκ οἶδα ποσαίη, οὐ πρόσω. ἔσχε δέ τι καὶ ἀπόστημα ἐν κενεῶνι, ὅπερ μελανθὲν ἀπέκτεινε.

4. Serapis ex humida aluo intumuit: pruritus quoto die haud scio, non vltra. Habuit autem abscessum in vacua abdominis parte, qui ipsam denigratus interemit.

Quo morbi genere mulier hæc laboraret diuinare non possumus: summa enim dũtaxat capita narratio hæc continet; neq; morbi ipsius propriã rationem complectitur. Id vnum adnotasse sat fuerit, quod ab his qui mediocriter Hippocratis ingeniũ perspectum habuerint, probatũ iri certò scio. Quidnam illud sit, ex humida aluo intumuisse hanc fœminam. Hippocrates sanè nunquam ἐξ præpositionem affixit, quin motũ à materia vellet significare. Siue illud substantia sit, siue accidens potius, ex quo motionis initium fuerit. Ita quidem ab eo dictũ est: αἱμορραγίαι λαῦροι ἐκ ῥινῶν. *id est. sanguinis è naribus largi fluores, motum nimirũ à substantia tanquam à receptaculo significans. Quemadmodũ etiã cùm diceret* ἐρράγη δὲ ἐκ τοῦ ὠτὸς ἐνάτῃ. *id est. erupit autẽ ex aure nona die. Verum quandoque motum ab accidenti significare volens*

Ἐκ præpositio semper motum à materia significat.

eadem

eadem planè vtitur præpositione: quale illud est quod libro de morbis vulgaribus primo in hunc modum scripsit: ἔστι δ' οἷς οὐκ ὀλίγοις ἐξ ἄλλων πυρετῶν καὶ νοσημάτων ἀποστάσιες ἐς τεταρταίους ἐγίγνοντο. *id est, quibusdam verò alijs nõ paucis; ex alijs febribus & morbis abscessus in quartanas fiebant. Quare cũ Hippocrates motum ex substantia insinuat, abscessum maxima ex parte per effluxum proponit: cum verò ab accidenti, abscessum per humorum decubitum: mutato nimirum priori morbo, in aliam meliorẽ aut deteriorẽ affectionem. Ita planè & in præsentia dictum est. Serapis ex humida aluo intumuit: quod nimirum ex priori affectione per quam liquida deijciebantur (id nanque est* κοιλίη ὑγρὴ *docente Galeno secundo prorrheticorum cõmentatione secunda) mutata materia, per vniuersumque corpus distributa, tumor totius corporis contigerit. Nanque fieri poterat, vt viscus aliquod noxio humore per aluum expurgaretur: qua suppressa euacuatione, aliò se conferente materia, atque in viscus primum regurgitante, non solum tumor totius corporis contigerit, sed & pestilens ille abscessus in vacua abdominis parte eruperit: qui sensim in deteriora progrediens tandem superãte nequitia grangrænicus euaserit: totaque abscessu correpta pars denigruerit: quod idem vtique est, ac si corruptam extinctamque fuisse dixisset: vt rectè à Galeno in calce de articulis libri adnotatum fuisse cernimus. Cæterũ quod de pruritu adiectũ est, verisimilem sanè affert coniecturam, solitam per aluum educi materiã, acrimoniam aliquam concepisse: quam cum natura primum per corpus transferre conaretur, aut morbifica potius dispositio cogeret, symptωma illud pruritus insurgeret: perinde quidẽ vt in bilis effusionibus per corporis molem euenire videmus. Neque temerè adiecit Hippocrates, se ignorare quotus fuerit morbi dies, quando pruritus euenerit: alioqui enim non satis probè morbificũ narrasset successum: vt qui abscessus diem in quo tota bonæ, aut malæ iudicationis vis consistit, silentio prætermisisset. Atqui per Iouem dicere debebat. Serapis ex liquida aluo, vigesima aut quadragesima die intumuit. Quemadmodum in sequentibus fecisse videtur, dum scribet:* Ἡρακλῆς ὤδεε τῷ κακῷ ὀγδοαίῳ. *id est, Hercules intumuit mali ipsius die octaua. Sed cum non probè teneret ægritudinis dies dixit sanè: pruritus quoto die accesserit haud noui. Sciebat enim pruritum illum significasse naturæ, aut morbi in mutationẽ apparatum: quod die aliqua significatoria accidisse debuit: cuius si gnarus euasisset, non potuisset abscessus diem ignorare.*

Dignũ animaduersione et memoria.

μελαίνω. i. De nigrari apud Hippocratem quid.

Καὶ ἡ Στυμάργου γυνὴ ἐκ ταραχῆς ὀλιγημέρου πολλὰ ἐπέσχε, καὶ παιδίου μεταστάσιος θήλεος ἐκ φθορῆς, τετράμηνον ὑγίανεν, ὤδησε.

5. Stymargi coniunx item, ex ventris perturbatione non multorum dierum, cum fluxum sedulò coërcere niteretur: sæpiusque fœminei

fœminei fœtum demisisset, quatuor menses iam rectè valens, intumuit.

Cùm dicat Hippocrates καὶ ἡ Στυμαργέω. *id est, Et Stymargi coniunx, videtur cum prædicta oratione præsentem coniungere voluisse: ac tale quidpiam tandem passam fuisse hanc mulierẽ, quale dictum antea in Serapi est. Siquidem vt in illa, perinde etiam & in hac morbi exitus in abscessum vniuersum corpus in tumorem attollentem cessit. Nam quod dictum ab eo est:* ἐκ ταραχῆς ὀλιγημέρου *ita sanè intelligendum est, vt ex illa perturbatione morbum alium emersisse credamus. Atqui eam perturbationem ventris vacuationem fuisse scimus, quoniam talis fuerat qui Serapim primum molestauit affectus: ad quem huius ægrotæ confert affectionem. Cùm igitur venter ipsius turbaretur, id ex causa aliqua interna fuisse est verisimile: cumque temerè in eo sistendo fluxu sedulò laboraret, cohibita fluxione, neque interius sedata affectione quæ fluxum committebat, nunquam humor tanquam à fonte scaturire desijt. Quo factũ est, vt vniuersum corpus pertubaretur: ac cum vterum gestaret, facilè fœtus decuteretur. Verum enimuero vt æquum est, in abortu longissima facta purgatione sanguinis, cum eo potuit & humor noxius foras protrudi. Atque eam ob causam sanam apparuisse post abortum mulierem non est mirum: cum tamen affectio intus remaneret, quæ sensim noxium humorem rursus aceruans (per vniuersum corpus eò distributo, fortasse quidem ob facultatis imbecillitatem, quæ huiusmodi noxij humoris repositiones facere assolet) potuit illius tumoris causa extitisse. Neutiquam igitur ab abortione sanam in totum factam arbitramur: nam ex eadem causa in ea suborttũ fuisse abscessum existimare oportet, ob quam & venter in initio turbatus est. Rectè igitur valebat apparenter. quod grauissimum abortionis periculum declinasset. Interim tamen vt quæ id malũ fugere solent, imbecillã, decolorem & vitiatã remansisse par erat: quæ rectè valere putabatur quatenus ad præcedẽtes examinabatur affectiones. Eam igitur quatuor mẽses fluctuasse à partu putamus: quousq; interna grauescente affectione, centum & viginti diebus (qui decretorius est terminus) abscessus eruperit. Nam tot dies in quatuor mensiũ circuitu compræhenduntur. Solent enim per morbos longos huiusceimodi apparere abscessus. Nos igitur maluimus* τετράμηνον *ad sequentia, q̃ ad* μετάστασιν *referre: vt doceat Hippo.* ἀπὸ φθορῆς τετράμηνον ὑγιαίνουσα. *id est, Ab abortione quatuor menses rectè valens: quanq̃ & ad* μετάστασιν *commode referri possit: non tamen perinde rationi consentanea est sententia. Ita enim Hippocrates quoto die apparuisset abscessus liquidò proposuisset: quod maximè ad suum institutum facere putabat. Adde quòd facultas quam ex abortione imbecillam remansisse est verisimile non potuit ante, quatuor*

Quare bene valere visa est hæc mulier.

Abscessus per decubitum per morbos lõgos maximè apparent.

mensium spacium se ad iudicationem faciendam accingere: neq; ab incõmodo morbi extricare. Id vnum animaduertito, quod ad Hippocratis sententiam intelligendam conducit, πολλὰ στᾶσα *ab eo dici, pro eo quod est* ἀπὸ δ'ἕως ἀπὲ χειρὶ ὑπὸ χερσὶ στα. *id est. Sedulò adnitens coërcere, aut sistere. Item etiam in hac parte dictum esse absolutè* παιδίον *pro* βρέφος. *id est. puerum pro fœtu.* πολλὰ στᾶσα apud Hippocratẽ quid significet. παιδίον pro fœtu.

Μόσχῳ λιθιῶντι ἰσχυρῶς ἐπὶ τοῦ βλεφάρου τῷ ἄνω κριθὴ ἐγένετο, πρὸς τοῦ ὠτὸς μᾶλλον; ἔπειτα ἐξελκώθη ἔσω, πέμπτῃ καὶ ἕκτῃ ἔσωθεν πύον ἐξέῤῥαγη, τὰ κάτωθεν ἔλυσε, βουβὼν παρὰ τὸ οὖς ἦν, καὶ κάτω ἐπὶ τοῦ τραχήλου κατ' ἴξιν τοῦ ἄνω βουβῶνος.

6. Moscho vehemẽter calculoso, in superiore palpebra hordeolũ erupit: magis versus aurem. Postmodum introrsum vlceratũ est: quinta & sexta ab internis pus manauit. Infernas soluit affectiones. Bubo apud aurem erat, & in collo inferius è directo bubonis superioris.

Non possum satis mediusfidius mirari, quod in hac parte scriptum (monstro verius simile q̃ veritati) ab Hippo. est. Mirum enim quantũ debeat hic morbi exitus considerari. Quotus enim quisq; medicorũ similem abscessus rationem contemplatus vsquam est? Cæterũ naturæ valenti nihil planè est impossibile: quæ admirabili quodã modo se à morbi vinculis extricat, vt incantationi, ac præstigiaturæ res similis videatur: quibus intuentiũ oculi deludũtur. Quis enim vnquam credidisset calculosum morbũ iri abolitũ, hordeolo ad superiorem palpebrã erũpente, adenisq; in collo inflãmatis? Cùm nullũ penitus consortiũ inter vesicam, aut renes, & superiores capitis partes esse videatur. Verũ, vt Hippo. 6. de morbis popula. lib. perpulchrè exposuit: nõ ob hanc tantũ causam morborũ transmutationes contingunt: sed quòd aut dolore, aut grauitate, aut alia quauis ratione affectæ partes ad se aliò fluẽtem materiam eliciant. Ita enim ab eo scriptũ inibi est: ἄλλου τόπου τόποι δεξάμενοι, ἢ πόνῳ, ἢ βάρει, ἢ ἄλλῳ τινὶ ῥέοντα, ἢ ἀλλοίοισιν κοινωνίαι. *id est. Alterius loci affectionẽ loca alia recipiũt, aut ob dolorem, aut ob grauitatem, aut ob aliam quampiã rationem, quin & ob consortiũ ipsum. At quanq̃ res ipsa primo obtuitu acerba admodum esse appareat, tamẽ cùm dubioprocul ita cõtigerit: rationi consentaneum fuisse ipsum successum nõ est dubitandum. Nobis autẽ eius causa abstrusa abditaq; videtur: quam nõ fuerit ab re quantũ in nobis est, nõ quantũ rei dignitas exigit, inuestigare. Id dumtaxat contendentibus nobis, vt consopitam veritatẽ, ac caligine obrutam (tanquam ignem inter cineres delitescentem) scrutantes, alijs cõmonstremus: quibus fortasse ingeniũ fœlicius, perspicaciorq; natura concedentur, ad rem omnem perfectius capescendam. Dictũ sanè iam antea à nobis in summa est, quænam circuitionũ statutum ordinem seruãtium præcipua causa sit habenda, quàm facilèque ex parte aliqua, aut* Quot rationibus fiat humorũ trãspositio.

Morborū circuitiones vnde proueniāt, medicus diligēter animaduertat.

copia, aut qualitate molesta recremēta, in imbecilliorem partē detrudantur: quæ tamen ipsa (si interim valet) in aliud membrū reponere possit: in eumq; modum noxius humor in corpore fluctuet, quousq; aut aliquam inuenerit sedem, à qua præ imbecillitate nō amplius decuti possit, aut omnibus partibus benè valentibus, semper se eo humore exonerent, donec in aquæductū, aut canalem quendam insignem ipsum deposuerint, quo extrorsum deijciatur. Adde quòd id à nullo sanè negari posse putamus, quod recta ratio confirmat: nimirum sedes in quibus affatim noxius aliquis humor colligitur, aut partes quæ ad naturalem aliquem humorem generandum sunt comparatæ fouere affectus, qui ex eo humore ducunt originem: sic equidem herpetes, aut sacros ignes nunquam curaueris, nisi primum iecori ipsi prospexeris, aut melancholicos morbos depelles, nisi primum ad lienem reficiendum te conuertas. Quamobrem meritò contingere videmus, vt quibus viscera non amplius superfluum aliquem humorem continuerint, euestigio affectiones aboleri: vtpote quæ non amplius humorem habeant, quo foueantur. Ita sanè cùm cognoscamus cerebrum pituitosi recrementi esse ærarium: calculosasq; affectiones hanc præcipuam habere materiam, quæ facilè in tophos indurari possit: in renibus quidem non secus quàm in vesica: (quanquam in hac id fieri, pueris frequenter accidat) absurdum non est ab eo, huiusmodi affectionem vt plurimum foueri. At si natura cerebri, quam antea in renes, aut vesicam detrudere solita erat materiam, ob causam aliquam, qualis imbecillitas est, non amplius deorsum, sed ad adenas atq; palpebras se expurget, quid mirū si infernas soluat passiones, cùm non habeant iam quo nutriri possint humorem. Nam quod ipse oculata fide testari possum, eandem planè non aliquam aliam causam habuisse semper mihi in animū induxi. Est autē id quod in patre meo Gaspare Steue, semper mihi obseruando, animaduerti: qui cum multos annos calculosa laborasset affectione, simulq; stranguriā, iam propemodum malo victum, sibi acerbam quandam præfixisse curandi rationem recordor (est enim medicus ad miraculum me hercule doctus) quotidie nanque sibi vomitum concitabat: ac quæ ventriculo adhærescebant per vim extrahebat. Ita quidem, vt nihil reliquum esset, quod amplius ad renes, aut vesicam posset transmitti. Ita sanè temporis diuturnitate factum est, vt aliò translata à cerebro, aut ventriculo materia reperet: liberasque vesicæ ac renum regiones relinqueret. Addebatque ad huius pituitæ citiorem absumptionem longas ac iuges inambulationes: cessitque eo tandem res ipsa, vt cùm ventrem (quo tempore degebat in otio, ac equitando ambularet) turgidissimum prætumidumque haberet, breui considerit, sedatusque fuerit tumor, simul cum calculosa, ac stranguriæ affectione. Multosque iam per annos sanus degit:

Viscera quæq; morbos fouent ex humore qui in ipsis redundat progenitos.

Cerebrum calculosam affectionem fouet ob redundantē pituitam quam aceruat.

Mira curandi ratio calculosæ affectionis.

Iugis inambulatio quantū cōferat momenti mirum est.

degit: qua de re summas Deo maximo gratias omnes habemus. Sed vt ad propositum conuertamur ægrotum, nunquid postliminio tandem redierit affectio calculosa, nostra non interest dicere. De qua re Hippocrates ne verbum quidem. Sat enim est, qui factum sit vt bubonibus & hordeolo erumpentibus euanuerit calculosus affectus fuisse interpretatum. Est tamen hordeolum, tumor quidam in palpebris enascens: qua parte pili firmantur: instar hordeacei seminis. Eum Græci de hordei nomine κριθὴν nuncupant. At bubo est adenosarum simplex inflammatio. κριθὴ hordeoli quid. βούβων quid.

Ὁ τῆς Ἀρισταίου γυναικὸς ἀδελφὸς, χλιαινόμενος ἐταλαιπώρει ὁδῷ, κἄπειτα ἐν κνήμῃ τέρμινθοι ἐγένοντο, ἔπειτα συνεχὴς πυρετὸς ἐγένετο, καὶ τῇ ὑστεραίῃ ἱδρὼς ἐγένετο, καὶ τὰς ἄλλας τὰς ἀρτίους ἐγένετο αἰεὶ, ἔτι δὲ ὁ πυρετὸς εἶχεν. Ἦν δὲ ὑπόσπληνος, αἱμοῤῥαγεῖ ἐξ ἀριστεροῦ πυκνὰ, καὶ κατ' ὀλίγον, ἐκρίθη. Τῇ ὑστεραίῃ ἀριστερὸν παρ' οὖς οἴδημα, τῇ δὲ ὑστεραίῃ καὶ παρὰ δεξιὸν, ἧσσον δὲ τοῦτο, καὶ ἐπεχλιαίνετο, ταῦτα κατεμωλύνθη, καὶ οὐκ ἀπεπύησεν.

7. Aristæi coniugis frater lentè incalescens lassescebat eundo: postmodum in tibia terminthi eruperunt: postea febris continua facta est. Postridie sudor manauit: atque alijs semper diebus paribus similiter: adhuc autem febre tenebatur. Erat verò subliénosus, profluuium sanguinis ex sinistra nare crebrò, ac paulatim successit: iudicatus est. Postridie apud aurem tumor apparuit sinistram: perendieque apud dextram item, minus tamen intumuit, & lentè incalescebat. Hæc euanuerunt, neque ad suppurationem sunt perducta.

Si quis attentè animum aduerterit his quæ sunt ab Hippocrate scripta, seduloque excusserit singula verba, eum nō posse fugere certò scio, quòd homo hic ex multitudine crudorum succorū laborauerit. Quare neq; quòd ægritudo longius fuerit protracta idem ipse ignorare poterit. Nam quòd sudores per pares dies erumpentes non sint boni consulendi, indicauit in aphorismis Hippocrates: eos dumtaxat laudans qui tertio die, aut quinto, aut septimo, aut nono contingunt. Hos enim rectè morbos iudicare ait: cùm alij omnes morbi longitudinem laboremque significent, ac recidiuam. Quin & alibi etiam scripsit. Πυρέσσοντι ἱδρὼς ἐπιγινόμενος μὴ ἐκλείποντος τοῦ πυρετοῦ κακόν, μηκύνει γὰρ ἡ νοῦσος, καὶ ὑγρασίην πλείω σημαίνει. *id est. Febricitanti sudor superueniens febre non deficiente malum: prorogatur enim morbus, & multam significat humiditatem. Porrò autem quòd non vna sanguinis è nare sinistra eruptio, quæ è directo erat laborantis visceris, sed alia atque alia successerit, & id maximum habebit ad diuturnitatem morbi significandam momentum: cùm acutæ ægritudines, vnico semper naturæ impulsu recedere soleant.* Sudores diebus paribus haudquaquam boni. Acuti morbi vnico naturæ impulsu solent depelli.

Cæterum præstiterit singula priuatim ab eo scripta diligenter interpretari: quoniam id præcipuũ munus nostrũ esse videatur. Aristæi igitur cõiugis frater lentè calescẽs lassescebat eundo. Quidnam illud est, quòd Hippo. dixit lentè calescens, Græcè autẽ χλιαινόμενος*? Non'ne hac dictione significat tepidũ quendam, ac mitem calorem: qualis potissimũ ex humida defluit materia? ob multitudinẽ nimirum crudorũ succorum, qui nondum penitus putruerunt: sed cœperũt iam lentam quandam cõcipere caliditatem: qualem ligna viridia solent, vbi ob multitudinẽ subiectum ignem propemodũ extingunt. Hæc igitur siquis rude aliqua agitare, ac cõmouere cœperit, facilè in flammam excandescunt: ac libenter iam antea torrefacta accẽduntur. Ita sanè & corpus huius cùm multis scateret crudis humoribus corporis meatibus infarctis, qui prope modũ calorem suffocarẽt, dum in ocio degeret lentè calescebat: in vestibuloq; erat diuturnioris cuiusdam febris. Cùm verò iam necessitate forsitan cogẽte, multũ laborasset in itinere, impurumq; maximè corpus (vt diximus) esset, cõmotis qui intro delitescebãt, per exercitationẽ humoribus, ijsdemq; euocatis ad cutem terminthi in tibijs eruperũt: quoniam inter eundũ hi maximè laborassent. Atq; id est, quod Hippocrates alubi innuens dicebat:* ἕλκεα ἐκ φύσιος ἢν ἀκάθαρτος ἐὼν πονέῃ. *id est. Si nõ purgatus te exerceas, vlcera erumpent. Sunt autẽ terminthi, vt Gale. libro de morbis popularibus tertio scripsit, eruptiones quædã nigrescentes, quæ in tibijs potissimũ erumpunt: dictæ quidem, quòd tum figura, tũ colore, tum etiã magnitudine terebinthi fructus referãt effigiem. In libro autem de antiquarum vocum Hippocratis interpretatione, tumores præter naturam in summa corporis cute enascentes terebinthi fructui similes esse tradidit. Paulus autem ex Oribasij sententia, tuberculorum speciem constituit terminthos: super quibus pustula nigra appareat. Verùm quicquid sit, satis constat malignam esse eam quæ ipsos committit materiam, ac mali moris: quod ex colore facile depræhendi potest. Iam verò cùm neque prauorum humorum multitudo per eam ad cutem euocationem satis integrè expurgari potuerit, iure optimo vehementer agitata in flammam excanduit: ac febrem continuam aduocauit: quæ semper (multitudinis humorũ soboles) per pares dies sudores ad cutem transmiserit: qui magis morbi diuturnitatem significare poterant, quàm praua affectione liberare. Meritò igitur adiectum ab Hippocrate est: adhuc autẽ febre detinebatur, vt significaret nunquam fuisse decretorios illos madores. Quare cùm lienis obstructione laboraret, quæ etiam solet in longũ tempus febres fouere: erupit sanguis ex sinistra nare. Quod quidem, quatenus è directo fiebat laborantis visceris, eatenus & spem aliquam futuræ sanitatis faciebat: quatenus verò, crebrò, sensimque, non autem maximo naturæ impulsu accessit, eatenus longitudinem morbi ostende*

Exercitatio ad superficiẽ euocat recremẽta.

Cõmenta. 29.

Lienis obstructio febres in longũ tempus fouere consueuit.

ostendebat. Tandem sensim iudicatus est: per sanguinis è naribus subinde factos fluores: quod contempsisse planè Hippocratem arbitramur, multoties antea sanguinis illa vacuatione delusum. Qua de re quo die facta fuerit iudicatio silentio prætermisisse consultò videtur. Cæterum neq; tunc quidem iudicatus morbus est: sed postridie tumor ad aurem sinistram apparuit, perendie verò etiam ad dextram: atq; nõnihil subinde calescebat. Quod sanè fuit argumentum à iudicatione quidpiam introrsum fuisse relictũ. Sed id quod ad contextum Hippocraticæ sentẽtiæ facit, silentio prætermisisse haud decet: quod in principio scriptum est: χλιαινόμενος ἐταλαιπώρει ὁδῷ, simpliciter vt posita est litera, vertendum esse· lentè calescens, fatigabatur eundo. Quod tamen Ianus Cornarius eruditißimus sanè medicus vertisse videtur: fatigatus in via incalescebat (ita enim Græci solent interdum participijs vti) sed prior sensus magis arridet. (Quare iudicationis diem intersiluit Hip.)

Ὁ παρ' Ἀλκιβιάδεω ἐλθὼν, ἐκ πυρετῶν ὀλίγων πρὸ κρίσιος ὄρχιν ἀριστερὸν ὤδησεν, ἦν δὲ καὶ σπλῆνα μέγαν ἔχων, καὶ δὴ τότε ἐκρίθη ὁ πυρετὸς εἰκοσταῖος, κἄπειτα ὑπεχλιαίνετο ἄλλοτε καὶ ἄλλοτε, καὶ ἔπτυσεν ὑπανθηρόν.

8. Qui ab Alcibiade venerat, ex febribus modicis ante iudicationem tumidum habuit sinistrum testem: simulq; & lienem magnum, & certè tunc iudicata fuit febris vigesima die: postmodum autem subincalescebat subinde: expuitq; subfloridum.

Minimum ad rem quam paramus attinet disputare, quisnam hic fuerit Alcibiades, de quo in hac parte Hippocrates fecit mentionem. Num eximius ille summusq; Atheniensis imperator, quem antea ad luxum, & ad cæteras voluptates procliuem, exemplis ac monitis mirè Socrates ad bonam philosophiam retraxit. Qui postea bonarum scientiarum feruenti amore illectus confestim cuncto repulso luxu, Socraticæ disciplinæ sedulò operam dedit. Hunc nanque non alium fuisse verisimile est: tum quòd Hippocratis ætate hic vixerit, qui Socrati coëuus ferè fuit: tum quòd alterius non magni nominis viri haudquaquam meminisset Hippocrates. Sed ista facessant: alterius nanq; sunt instituti, ad remq; ipsam veniamus: vt haurire poßimus, quod ad vsum tum nostrum, tum etiam communem conuerti poßit. Sanè hanc febrem non fuisse vigesima die integrè iudicatam, ex his quæ ad calcem orationis sunt adiecta, discere poteris: κἄπειτα ὑπεχλιαίνετο ἄλλοτε καὶ ἄλλοτε. id est. Postmodum autem aliàs atq; aliàs subincalescebat: & ex eo etiam quod in initio dixit, ex febribus modicis, scilicet ἐκ πυρετῶν ὀλίγων. Febres autem vocauit ὀλίγους. i. modicas, eas nimirũ quæ maximis opponuntur. At solemus interdum per abusum, vt Gale. ipse adnotauit, qualitatẽ aliquam magnam dicere, veluti caliditatem magnam, summam vehementemq; significantes. Ita quidẽ &

(Alcibiadẽ illo qui in luxum procliuem mirè Socrates ad bonam philosophiã retraxit.)

(Hippocrates Socratis ætate vixit.)

(Febres modicæ quænã dicãtur)

paruam, aut modicam, exilem nimirum & imbecillam. At quòd huiuſcemodi febres cùm ſemel aliquam nō vehemētem in melius, aut peius, mutationē ſunt nactæ, vel vigeſima, vel ante vigeſimā, ſenſim deinde mites procedāt, quouſque ex toto aboleantur manifeſtū eſt. Has ipſas ſolent medici acutas nominare ἐκ μεταπτώσεως. id eſt. Ex decidentia, ſiue ex cōuerſione, quoniā Græci μεταπίπτειν dicūt, cum res in aliam naturam degenerat, ſiue meliorem, ſiue deteriorem. Horū meminit Hippo. in prognoſtico, quorū ſanè terminū ſtatuit quadrageſimū diem: quem ſi fortè exceſſerint, maxima ex parte abſceſſu iudicantur. Facto igitur inter initia, huius febris materiæ aliquo vehemētiore tumultu, pars ipſius aliqua ad ſiniſtrū teſtem ſe cōtulit: nō quidē iudicatorio modo, ſed potius ratione ſymptωmatis: iudicataq; febris eſt poſtmodū vigeſima die: non quidē ex toto: ſed ad conuerſionē potius: quod & Hippo. voluit ſignificare cùm dixit: poſtea ſubincaleſcebat ſubinde. Sed cùm nullum exitū habuiſſe dixerit teſticuli tumorem vigeſima die: dumtaxat nanq; indicatam fuiſſe febrem ſcripſit, propterea adiecit: ſputione reddidiſſe ſubflorida quædā. Cùm genitalibus & thoraci (quemadmodū à nobis antea dictum eſt) tantū conueniat, vt teſtium tumores tuſſi ſuperueniente abeant. Quid autē ſit ſubfloridū ſputum, in ſequentibus oſtendemus: cum de Loïlo laborante diſſeremus.

Acuti morbi ex decidentia quinam ſint.

Genitalibus & thoraci maxime conuenit.

ᾗ ἡ χεὶρ ἡ δεξιὴ, σκέλος δὲ ἀριστερὸν ἐκ τῶν βηχωδέων, βραχὺ οὐκ ἄξιον λόγου βηξάσῃ, παρελύθη παραπληγικῶς, ἄλλο δὲ οὐδὲν ἠλλοιώθη, οὔτε πρόσωπον, οὔτε γνώμην, οὐ μὴν ἰσχυρῶς ταύτῃ, ἀλλὰ τὸ βέλτιον ἤρξατο χωρέειν περὶ εἰκοστὴν ἡμέρην. σχεδὸν ἐγένετο δὲ περὶ γυναικείων καταῤῥῆξιν, καὶ ἴσως τότε πρῶτα γινόμενα, παρθένος γὰρ ἦν.

9. Mulieri cui dextra manus, & crus ſiniſtrum, ex tuſsiculari affectu, cùm tenue quidpiā, & nulla penitus ratione dignū extuſsiuiſſet, reſoluta fuerunt paraplegiæ modo: aliud autē nihil alteratum eſt, neq; facies, neq; mens: ſed ne illa quidem vehementer: in melius progredi cœpit circa vigeſimam diem. Contigit autem hoc ipſi ferè circa menſtruorum eruptionem, quæ forſitan nunc primum apparuerunt: virgo enim erat.

Suppreſſio menſiū multorum malorū cauſa.

Quàm ſæua ſymptωmata mulieribus afferre ſoleat menſiū ſuppreſſio, indies qui medicinam exercēt experiūtur. Quibuſdam enim inſaniæ, epilepſiæ, vteri ſuffocationes, quibuſdā verò prauus totius corporis tumor, cū coloris fœditate, tabeſq;, ac reſpirādi difficultates, multaq; alia ſæuiora mala accidūt. Sed hæc omnia longè grauiora experiuntur virgines, quæ iam maturæ viro fuerint, priusq̄ concubitū fuerint expertæ, ac partus ediderint. His enim vterus, vtpote qui nondū turgidæ huic ſanguinis diſtenſioni, quæ parientibus accidit, ſit aſſuetus, grauius ſanè dolorem feret, ac diſtenſionē. Adde etiā quòd eo tempore vteri difficilius aperiātur: quam ob cauſam ſæuioribus corripiuntur

tur affectionibus: vt interim quidē nō rectè succedente mensiū descensu, cum sanguis ad vuluam decidens introrsum contineatur, quòd ora vasorū in ipso sint occlusa, intus vehementes concitentur tumultus: atq; ad superiora interdum depulsa vulua, tum cordi, tum septo transuerso nō leuis noxa inferatur. Quòd si sanguis ille diu detentus acrimoniam cōtraxerit, tum quòd in pulmonem acrem vaporem transmittet; tum etiā quòd cōpreßione inferet in thorace angustiam, tußim interdū cōcitabit: qualem pati maxima ex parte solent, quibus iecur potißimū in tumorem est allatū. Hi nanq;, vt Galenus secundo prædictionū libro scripsit; τῆς παραπλησίας διαθέσεως γινομένης, τῇ κατὰ τὰς ὄντως αὐτῷ στενοχωρίας δι' ἃς φλεγμαίνων τε, καὶ καταῤῥοιζόμενος ἐκ τῆς κεφαλῆς πάσχει, προθυμοῦνται μὲν βήττειν, ἐλπίζοντες ἐκ τοῦ κενῶσαι τὸ λυποῦν, ἰάσασθαι τὴν στενοχωρίαν. ἀρξάμενοι δὲ αὐτοῦ, παραχρῆμα παύονται, διὰ τῆς πείρας αὐτῆς εἰς γνῶσιν ἀκριβεστέραν ἀφικνούμενοι τῆς διαθέσεως, αἰσθανόμενοί τε σφῶν αὐτῶν, ὅτι μάτην ἤλπιζον. id est. Cùm consimilem quandam sentiant in pulmone angustiam, veræ illius angustiæ ob quam inflammatione obsceßus pulmo decumbente ex capite materia afficitur, cupiūt quidem tußire: sperantes nocuam inde materiam vacuandam, atq; ita esse angustiam se daturos: sed incipientes statim desinūt: ab experiētia ipsa deducti in notitiā dispositionis exquisitiorem, intelligentes iam quàm temerè sperauerint. Talem fuisse huiusce mulieris affectum existimare par est: cui ob suppressos menses, pulmo nimirū in eam perduceretur dispositionē (reuulso ad superiora vtero) vt angustiam per tußim facilè effugere posse spectaret. Non temerè igitur Hippocrates dixit: ἐκ βηχωδέων, βραχὺ, οὐκ ἄξιον λόγου βηξάσης. id est. Ex tußiculari affectu cùm tenue quidpiam, nullaq; ratione dignū extußiuisset. Neq; enim erat quidpiam in pulmone memorabile quod tußi fuerit expellendū. Aliunde igitur initiū fuisse affectionis meritò ad calcem orationis subdidit: σχεδὸν ἐγένετο οἱ περὶ γυναικείων καταῤῥῆξιν, καὶ ἴσως τότε πρῶτα γινόμενα, παρθένος γὰρ ἦν. id est. Contigit autē hoc ipsi ferè circa menstruorum eruptionē: quæ forsitan tunc primū apparuerunt, virgo enim erat. Vt indicaret nobis, mali huius præcipuam causam fuisse, quòd non ritè menstrua purgatio ceßisset. Quare neq; mirum illud videbitur: quòd tum manus dextra, tum etiam crus sinistrum paraplegico more fuerint resoluta. Ad imbecilles nimirum corporis partes, quæ forsitan prædictæ erant, in hac muliere, se conuertente materia. Ea videlicet, quæ ad sinistram vuluæ partem defertur delapsa ad crus: alia verò ad manum similiter: in quibus fortasse venæ antea, meatusque nimia humorum copia oppleti erant, ac veluti infarcti. Cùm igitur in huiusmodi loca descenderint fluxiones παραπληξίαι maximè fiunt: coalescente nimirum sanguine, ac refrigerato, cùm iam aditus spiritibus non sit liber. Iure nanque sanguis in locis huiusmodi

tußis vnde proueniat his quibus menses supprimuntur,

παραπληξία quid & quomodo proueniat.

propter venarũ turgidam distensionem, quam ἀπόληψιν nominare Hippocrates consueuit, spiritum penetrare non permittit: sed veluti in mortuo corpore coalescit. Hanc sanè Galenus quarto de victus ratione acutorũ morborum παραπληξίας causam reddit. Cæterum qua ratione interceptæ venæ stuporem, mouendique difficultatem inducant, atque adeò non permittant spiritum per nervos deferri, autor de affectuum renum dignotione & medela apertè ostendit: qua parte exponit, qui fiat vt semper crus e directò affecti renis, stupore prematur, in calculosa affectione. In hunc igitur modum scribit: ὅταν δὲ γένηται λίθος ἐν τοῖς νεφροῖς, ταύτῃ συνδιατίθεται ἡ φλὲψ ἡ φερομένη ἐς τοὺς μηροὺς, ἀπ᾽ αὐτῆς γὰρ εἰσὶ μιᾶς ἀποσχίδος ἀμφότεραι. ὅκουν πληροῦται φερομένη ἐς μηροὺς, αὕτη δὲ ὅτε πεπληρωμένη, ἔστιν ὅτε θλίβει νεῦρον ἢ μυῦν. τὸ δὲ νεῦρον θλιβόμενον, οὐ πέμπει ψυχικὸν πνεῦμα ἐπὶ τοὺς μηροὺς, καὶ ἀναισθητεῖ, καὶ γίνεται νάρκη. *id est. Cum igitur calculus in renibus constiterit, in consortium ducitur, quæ ad crura deorsum fertur vena, cum ab vna eademq; ambæ propagentur ramificatione. Igitur imbuta sanguine quæ fertur ad crura vena, maximaq; tensione distenta, interdum neruum, aut musculum comprimit. Neruus autem compressus, non mittit animalem spiritum ad crura, vnde sensus amittitur, atque stupor accedit. Quòd autem ad eam materiæ ad partes paraplegicas delationem, non minimum momenti habuerit tussis concitata, dignum animaduersione censemus. Nempe & hæc non secus atque conuulsiones, totum propemodum corpus quatientes, vniuersas planè calfaciũt partes: ita quidem vt ex multitudine aliud per halitum digeratur, aliud verò ad aliquam minus necessariam expellatur partem: vbi cùm indissolubiliter impactum fuerit infert paraplexiam. Quod sanè ex Galeni sententia dictum volumus. Cæterum ea de re admonendi sumus Hippocratem frequẽter παραπληγίας, aut παραπληξίας nominare, eas quæ aut apoplexiam, aut epilepsiam sequi solent resolutiones: quemadmodum Galenus multis in locis exponit. Ad quarum similitudinem partis alicuius cum sensus torpore motionis difficultatem paraplegiam etiam appellat: qualem passa hæc mulier fuit affectionẽ: ob eam nimirum quam iam tradidimus causam. Quæ tamen vigesimo die (quo tempore fluere meses liberè cœperunt) sensim procedere in melius videretur.*

Interceptio venarũ quare torporẽ adducet.

Tussis vniuersũ quatit corpus.

Lib. prorrheticorum cõmẽtario. 2. & lib. epidimiωn pri. tempestate. 2.

Ἀπήμαντος καὶ ὁ τοῦ τέκτονος πατὴρ τοῦ κεφαλὴν καταγέντος καὶ Νικόστρατος οὐκ ἐξέβησσον, ἦν δὲ ἑτέρωθι κατὰ νεφροὺς ἀλγήματα. ἐρωτήματα. ἔφασαν γὰρ αὐτοὶ ἀεὶ πληροῦσθαι ποτοῦ, ἢ σίτου. ὀδύνας τὰς ἰσχυροτάτας, ὅτῳ τρόπῳ διαγνοίη ἄν τις ἰδών. ὁ φόβος, αἱ δυσφορίαι, αἱ ἐμφορίαι καὶ αἱ δειλίαι.

10. Apemantus, ac fabri cui fractum fuit caput, pater, Nicostratus'que nihil extussiuerunt: erant autem alibi secundum renes dolores: interrogationes. dicebant enim ipsos semper, repleri potu, aut cibo,

aut cibo: quomodo vehemẽtissimos dolores cognouerit quispiã: metus, ferendi facilitas, oblationes, & ignauiæ.

Quam ob causam dixerit Hippocrates, non extußiuerunt, nostra non interest interpretari: quibus neque oculata fide, neq; ex alterius relatione cognouisse morbi initiũ fuerit concessum. Quanquam ipsis aliquam adfuisse affectionem, ob quam subortam fuisse tandem tußim sit verisimile, credẽdum sit. Cæterum an testiculorũ tumor ea fuerit affectio, certò statui non potest: cùm nihil de ea Hippocrates tradiderit. Attamen dolorificam fuisse ex eo colligimus, quod dixerit: ἦν δὲ ἐτόρωθι κατὰ νεφροὺς ἀλγήματα. *id est, erant autem alibi secundum renes dolores. Clam subinnuens: & alibi primum dolores apparuisse. Sed nobis sat quidem fuerit, apertè quæ ab eo scripta sunt verba singula interpretari: reliqua verò omnia auguribus ac diuinatoribus relinquere. Quod ergo in hac parte docet, tale quidpiam est: quale illud quod sexto de morbis popularibus libro, scriptum reliquit. Qua in parte compendiosa quadam sententia ad vnguem exposuit: quod alioqui fusißimis egebat commentarijs: singulas lapidis in renibus concrescentis notas absolutißimè, maximóque artificio tradens. Ita enim ab eo scriptum est sectione prima:* Ες νεφρὸν ὀδύνη βαρεῖα, ὅταν πληρῶνται σίτου, ἐμέουσι φλέγμα. ὅταν δὲ πλεονάζωσιν αἱ ὀδύναι, ἰώδεα, καὶ ῥάους μὲν γίνονται. λύονται δὲ ὅταν σίτου κενωθῶσι. ψαμμία τε πυῤῥὰ ὑφίστανται, αἱματώδεά τε οὐρέουσι, νάρκη μηροῦ τοῦ κατ' ἴξιν. *id est. In renem dolor grauis cum cibo replẽtur incidit, pituitamq; vomũt. Cum verò superabundauerint dolores, etiã æruginosa: ac melius habẽt. recreantur autẽ, cum cibis vacui fuerint, sabulosa subsident fulua: cruentumq; reddunt lotium: stuporq; adest cruris è directo iacentis. Quam sanè sententiam si Gale. longißimã commentationẽ consulueris, maximi proculdubiò facies. Iuuabit etiam et largam Fuchsij doctißimi sanè viri expositionẽ perlustrare; in qua plurima hinc inde colligens, maximo planè cum ingenio Hippocratis verba singula elucidat Nos verò in præsentiarum ea tantum afferemus, quæ ad propositam ab Hippocrate sententiam intelligendam facere videbuntur: commentationis prolixitatem quantum in nobis erit, resque ipsa patietur vitantes. Erant igitur secundum renes dolores, quod Græcè habet* ἦν δὲ ἐτέρωθι κατὰ τοὺς νεφροὺς ἀλγήματα, *non quidem* ἐν νεφροῖς, *aut* ἐς νεφρὸν *vt sexto de morbis popularibus libro habet. Quo maximè animum conuertere oportebit. Nam cum dictum sit, secundum renes, nõ aliud quidpiam quàm in renum parte fuisse dolorem significat Hippocrates. Atqui colicus morbus ea pariter in sede afficere solet: vt dolorem inferat nephritico planè similem: qui plurimum et peritißimis etiam medicis imponat, speciem afferẽs calculosæ dispositionis: quemadmodum summo ipsi Galeno contigisse legimus: qui non in ægrotante alio sed in seipso fuerit delu-*

Lapidis in renibus existentis notæ.

Colicus affectus medicis imponit sæpißimè speciem afferens calculosæ affectionis.

rit delusus. Hippocrates igitur non prius rem ipsam probè tenuisse videtur, quàm ægrotantes ipsos sciscitatus acceperit, num à cibis illud perciperent doloris irritamentum, quod calculosa pressi passione persentiscunt. Iurè igitur optimo scripsit: Interrogationes. Quod nimirum interrogationibus certior fuerit factus, omnemq; deposuerit dubitationẽ; atque in exactiorem affectionis venerit cognitionem. Quidnam ergo ægroti responderunt? Ipsos semper & potu, & cibis ita molestari, vt iugiter distentum habere ventriculum arbitrarentur. Id quod calculosæ affectionis præcipuum est indicium. Quoniam ciborum multitudine distentus ventriculus circumstantes omnes premat partes: atque adeò renes ipsos: qui vtrinque spinæ innitũtur. Id igitur est quod in citata oratione dicebat: ἐν νεφρὸν ὀδύνη βαρεῖα, ὅταν πληρῶνται σίτου. *id est, In renem dolor grauis cùm cibo replentur incidit. Quare & excrementa alui suppressa idipsum præstare poterunt: quæ etiam cibi nomine intelliguntur ab Hippocrate: vt optimè Galenus in libris de acutorum morborum victu interpretatur. Porrò autẽ si aut ægrotantes idipsum dicere recusauerint; aut alioqui medicus velit admirationi haberi: & maximum sibi apud ægrotantes nomen comparare, poterit sanè quæ Hippocrates adiecit diligenter expendens certissimam ægrotantibus facere prædictionẽ. Quidnam igitur illud est? Metus, ferendi facilitas, oblationes, & ignauiæ. Metus quidem si recuset, cibos aut potum non libenter admittat: potissimum si ex indicijs externis sitire hominem vehemẽter cognoueris. Quin & ferendi facilitas, si dum cibum accepit anxietate prematur, seque vltro citroque iactet, nec possit vno eodemque loco consistere: perinde atque illi quos* ἀλύοντας *ac* δυσφοροῦντας *Græci dicũt morosos minimeque hilariter affectos: ea nanque vox contraria est* εὐφορίᾳ *qua vsus esse in hac parte Hippo. videtur. Iam verò oblationes, aut ingurgitationes idipsum luculenter ostendere poterunt. Qua in parte animaduertisse oportebit: malè mea sentẽtia haberi in hoc loco* ἐμπορίαι *pro* ἐμφορίαι. *Deniq; ignauiæ & timiditates rem omnem facilius exponẽt: cùm non solũ cibos auersari videãtur, sed ignauiã quandã timiditatemq; vultu præseferãt. Hoc itaq; modo dolores vehemẽtissimos, ac grauissimos quiuis cognouerit: grauissimos quidẽ in affectionis initio, cùm calculus nondum ex cauitate renũ decutitur. Tunc enim solum sentiũt grauitatis dolorem: propterea quod membrana exterior tantum distendatur. Vehementissimos verò progrediente affectione: cũ nimirum per vreteres meatus calculus detruditur.*

Cibi nomen ad excrementa alui etiam extenditur.

ὕδωρ τὸ ταχέως θερμαινόμενον, καὶ ταχέως ψυχόμενον, αἰεὶ κουφότερον.

11. Aqua quæ celeriter calefit, celeriterq́ refrigeratur semper leuior existit.

Hæc sententia vtpote quæ de vsu ac facultate aquæ edisserat, cuius experientiam

rientiam fecisse priusquam ægrotis concedatur, medicus debet; in aphorismis meritò scribi debuit. Cuius longè vtilissimã probationẽ Hippocrates existimauit quæ pondere facilè haberi potest. Nam quæ leuior extiterit, proculdubio minus habet terrestris consistentiæ: minusq; cœnosa, ac magis pura consistit. Hæc igitur in ventriculum ingesta caloris naturalis opus citius admittit, facileque permeat, ac minimè grauat. Quæ omnia satis superque à Galeno in aphorismis sunt exposita. Quare supersedebimus nos hac in parte.

Τὰ βρώματα καὶ τὰ πόματα πείρης δεῖ, εἰ ὑδὶ τὸ ἴσον μένει. ῥητέον δὲ αἵματος ῥυέντος ἐκχλοοῦνται, καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα ἔπος.

12. Cibi & potus experientiam poscunt, an ad æqualitatem maneant. Dicendum quòd sanguine fluente expallescunt: & quæcunque alia id genus sunt dicere debent.

Cùm totius curationis scopus tanquam fulcro cuidam innitatur optimæ victus rationi, quam si medicus aliter quàm decet instituat, nunquam posset voti compos euadere: iure optimo medicos hac in parte commonet Hippocrates, vt in esculentorum, ac poculentorum facultatibus perdiscendis sedulò se exerceant, vt commodam vnicuique pro corporum temperamento victus rationem præscribant: neq; vno cibo omnes citra discrimen alant. Ergo cibi & potus experientia me hercule opus habent. Non enim in vniuersum ciborum naturam cognouisse sat fuerit: quòd hic boni sit nutrimenti: quòd hic excrementitius; rursus quòd alter parum nutriat, & huiusmodi, sed etiam peculiares quasdam cũ corporibus quibusdam familiaritates, aut pugnantias ciborum tenere fuerit conducibile. Nanque nonnullos allium mirum in modum offendit: alios rursus extremè iuuat: quemadmodum à caseo nonnulli vehementer abhorrent: cùm alijs tamen sit familiare nutrimentum. Vidimus etiam nos quos vini albi potus non minus quàm forte aliquod medicamentum turbaret. Alios etiam quibus ieiuno ventriculo aquæ frigidæ haustus aluum subduceret: ac benè haberent, cùm interim alijs extrema adferat discrimina. Cæterum hæc non possunt ratiocinatione sed sola experientia deprehendi: quemadmodum neque purgantium medicamentorum facultates, vt optimè Galenus monstrauit. Rectè igitur Hippocrates experientia in his opus esse dicebat, quæ nulla penitus ratione acquiri possunt. Atque idcirco non est curriculò ad curationes morborum festinandum, tametsi quis sibi in artis theorematibus fœliciter videatur esse instructus, ac optimæ ratiocinationis conscius. Id enim quam plurimos in grauissima discrimina perpulit, vt interdum nominis periculum subire cogantur. Sed (prô dolor) eo iam temeritatis, ac petulantiæ perducta res est, vt nondũ medicinæ liminibus pulsatis, nescio quibus syngraphis, receptas hodie vocant onusti iuuenes, ad exercendam

Peculiares ciborum cũ quibusdam corporibus familiaritates medicus callere debet.

Iuuenum ad faciendũ medicinam festinatio taxatur.

dam

dam medicinæ praxim se conferant, ac se Hippocrate (si dijs placet) doctiores plebeculæ venditent, qui ne veterinarijs nostris ac mulomedicis essent sanè præferendi. Huius autem pestiferi mali (si tamen verum fateri liceat) non aliam per Deum causam inueneris, quàm præceptorũ in quos inciderũt imperitiã. Qui cum ne primoribus quidẽ labris medicinã degustarint, imò ne philosophiã quidem, aut mathematicas disciplinas, sedentes in solio solẽt iugiter Galenum lacessere: conuitijsq; obruere, hominisque nomen discipulis per iocum obtrudere: vt suam ipsorum sententiam ad sydera vsque extollere possint; haudquaquam ipsam rationibus fulcientes (quas sanè non habent vnde hauriant) sed hæc verba proferentes; delirauit Galenus. planè commẽtitium est, iam redijt ad primum delirameñtum, mihi sanè aliter videtur. Ingenua per Iouem argumẽta: siccine hominis adeò præstantissimi nomen conuitijs, contumelijsque impetendum est? Id'ne possit vnquam vir studiosus dissimulare? Potissimum à gerronibus quibusdam ebrijs, & vesanis hominibus profectũ. Qui sibi in hac re temperauerit, cruce sanè dignus esse videtur: præsertim si ex doctiorum numero sit, cui per Galenũ profecisse est necessum. Cæterum ne huius libri seriem interpellemus, sat fuerit in eos mediocriter excanduisse: manet enim ipsos facinorum acerba vindicta, si Deus optimus maximus nos à nonnullis quibus inuoluimur negotijs eripuerit. Nec est quòd nostrum non adhuc vulgatum nomen contemnant, cum partibus faueamus veritatis. Ad institutum igitur redeuntes, iterum ac tertio, monere non pigebit studiosos medicinæ iuuenes, vt ab hac hominum pernicie fugiant: ac sedulò sese ad intelligendum Hippocratem, Galenumque conuertant: neq; prius ad exercendam medicinam festinent, quàm in horum virorũ arte probè se noctes, ac dies macerauerint. Cum'ne illi quidem ad curandos homines recedendum sit, qui vniuersalem artis partem probè calluerit; nisi & peculiares plurimas etiam familiaritates pernouerit. Idipsum sanè alibi Hippocra . apertissimè indicare voluit: initio libri quem παραγγελιῶν inscripsit, hoc est, præceptorum: μὴ λογισμῷ πρότερον πιθανῷ προσέχοντα ἰητρεύειν, ἀλλὰ τριβῇ μετὰ λόγου. id est. Non prius verisimili rationi animum adhibẽs, ad faciendã medicinam se conferat quispiam, quàm experimentum rationi addiderit. Cùm indies videamus non sine hominum periculo, & interim capitali discrimine, cibi alicuius, aut medicamenti ignoratam fuisse à medico facultatem. Sanè horum quæ dicimus, bona pars in experimento est posita: cum interim videamus, aliud alimentum in biliosis esse vaporosum, ac caput grauare, aliud verò in pituitosis statim acescere, ac in ventriculo ad prauam aliquam qualitatem permutari. Exemplo planè res ipsa in lacte & melle aperta esse potest: quorum vtrunque in biliosis naturis corrumpitur: in pituitosis autem mel commodissimũ vsum præ-

Experimentũ rationi addendum est anteq̄ medicinam faciamus.

stare

stare videatur, lac verò frequenter acescat. Rectè igitur addidisse Hippocrates videtur: num ad æqualitatem maneant, hoc est, num æqualiter citra interpellationem concoquãtur, ac æqualem omnibus naturis vsum præstent: qualia sunt quæ mediocrem obtinent consistentiam, & probum insuper procreant succum. Propterea in sexto de morbis popularibus libro, sectione octaua in hunc modum scripsit. Δίαιτα γίνεται πλησμονῇ, κενώσει βρωμάτων, πομάτων, μεταβολαὶ τούτων ἐς ὅια δὲ δίων ὡς ἔχουσι. *id est. Victus ratio repletione, ac vacuatione cibi, & potus perficitur: mutationes horum vt habuerint, quales ex quibus considerato. Sed quoniam vt diximus medicus omnia experimento accepisse non potest, vita enim ipsum deficeret prius: propterea & medicos monet, vt quod ipsi assequi non potuerunt, ex ægrotis ipsis accipiant. Sciscitantes nimirum vnumquemq; ipsorum, quomodo se ad ciborũ habeant naturam, quibus potissimum oblectentur, ex quibus grauem noxam etiam percipiant. Quomodo etiam se ad corporis vacuationes habeant, num citò forsitan exoluãtur, et deficiant vires: an potius largas etiamnum tum sanguinis, tum aliorum humorum euacuationes sustinere robustè possint. Nam quos facilè vires derelinquunt, hos mero statim modico reficere oportet, nisi caput eo facilè tentetur: aut alio sanè ex his quæ celeriter absumptas corporis vires possint reparare. Id etiam est quod sexto de morbis vulgaribus libro dicebat:* ὅισιν αἷμα ῥεῖ πολὺ ἐκ ῥινῶν, ὅισι μὲν ἄχροιαι, ἄκρητοι τούτοισιν ὀλίγα, ἀρήγουσι, ὅισι δ᾽ ἐξέρυθροι χροῦν, οὐχ ὁμοίως. καὶ ὅισι κεφαλαὶ δύσφοροι, ἀρήγει, ὅσι δὲ μὴ, οὐ. *hoc est. Quibus sanguis ex naribus fluit, si quidem malè colorati sunt, his merum modicum conuenit: quibus verò bonus est color, ac rubicundus non item. tum quibus capita ferunt, confert: quibus verò non, haud confert. Dicere ergo ægrotantes debent, quòd sanguine fluente expallescant, aut aliud quidpiã simile patiantur. Nam dubio procul qui sanguine fluente expallescunt hi picrocholi sunt: aut alioqui vires habent satis infirmas: quibus boni velocissimique nutrimenti cibos adhibere oportet: eos nimirum quos iam per experientiam tales esse perceperimus. Graue enim fallaxque est in huiusmodi nouum experimentum. Quid multa? Audire sat fuerit sententiam Hippocratis, in libro de affectibus (quanquam ad Polybum potius autorem liber hic à Galeno referatur) in qua quæ dicta sunt omnia fusissimè edocentur. Habet autem in hunc modum.* Τῶν σιτίων ἣν δύναμιν ἕκαστα ἔχει, τεκμαίρεσθαι χρὴ, ἀπὸ τῶν φανερῶν τὴν δύναμιν παρεχομένων. ὁκόσα ἢ φῦσαν, ἢ δῆξιν, ἢ πλησμονὴν, ἢ στρόφον παρέχει, ἢ στρόφον, ἢ διαχωρέει, ἢ μὴ διαχωρέει, καὶ φανερὰ ὅτι ταῦτα ἐργάζεται. καὶ ἀπὸ τούτων χρὴ τἆτε ἄλλα σκοπεῖν. Ἔχει γὰρ ἕκαστα τῶν ἐδεσμάτων, διότι καὶ ὠφελέει, καὶ βλάπτει. ἀλλὰ τ᾽ ἄλλα τὰ μὲν φανερώτερα ἐστὶν ἐργαζόμενα ἃ ἐργάζεται, τὰ δὲ ἀμυδρότερα. *Quam facultatem singula cibaria habeant coniectare oportet, ex*

Quinam sint mero recreandi.

tet, ex his quæ hanc facultatem notam faciunt, quæcunque aut flatum, aut morsum, aut repletionem, aut ructum faciunt, aut tormina: aut secedunt, aut non secedunt. At hæc manifesta sunt quòd ita fiant: & ex his alia etiam inferre oportet. Nam singula cibaria habent sanè quo iuuent, & quo lædant, alia tamen idipsum liquidò commonstrãt; alia verò quodammodo obscurius. Hæc ita habent: quid autem sit quod facultatem notam faciat, nosti planè esse experimẽtum, ex quo coniectare quæ dixit omnia sanè debes: an flatum, an tormen, an ructum, an aliud quidpiam possint exsuscitare.

Τὸ ἑξηκονθήμερον ἀπόφθαρμα ἄρσεν τόκων ἐν ἐπισχέσεσιν ὑγιηρόν.

13. Sexaginta dierum masculi corruptio in detentionibus partus salubris est.

Qui Græcè aliter hanc sententiam habere affirmãt, nimirum hunc in modum τὸ ἑξηκονθήμερον ἀπόφθαρμα ἄρσεν τόκων ἐν ἐπισχέσεσιν οὐχ ὑγιηρόν, *quoniã falsam mendacemque eam esse arbitrarẽtur, proculdubiò præpostere omnes iudicant. Neq; animaduertunt quod Hippcrates de ratione mensium quibus fœtus in vtero gestatur sentiat: de quibus nos in tertia huius libri sectione fusissimè sumus tractaturi. Nam cùm fœtus ipse in omnibus imparibus mensibus multò maiorem ex natura sentiat concussionem, quemadmodũ morbifica materia in omnibus acutis morbis, vt docebat Hippocrates initio libelli* περὶ ἑπταμήνου: Ταῖς δὲ γυναιξὶν αἱ συλλήψιες τῶν ἐμβρύων, καὶ οἱ τρωσμοί τε καὶ οἱ τόκοι ἐν τουτέῳ τῷ χρόνῳ κρίνονται ἐν ᾧπερ αἵ τε νοῦσοι, καὶ αἱ ὑγίειαι, καὶ οἱ θάνατοι τοῖς σύμπασιν ἀνθρώποισι. Ταῦτα δὲ πάντα, τὰ μὲν καθ' ἡμέρας, τὰ δὲ κατὰ μῆνας ἐπισημαίνει, τὰ δὲ κατὰ τεσσαρακοντάδας ἡμερῶν, τὰ δὲ κατ' ἐνιαυτόν. *id est, Mulieribus autem & fœtuum conceptus, & abortiones, & partus, eodem tempore iudicantur, quo & sanitas, & mors, morbique singulis mortalibus. Sed omnium istorum, alia quidem diebus, alia mensibus, alia dierum quadragenarijs, alia verò annuo spacio euenire solent. Cùm ergo partus iudicatio quædam sit, quæ septimo, aut nono mensibus frequenter accidat, quanquam etiam nonnullas mutationes per singulos menses admittat, tamen multò sunt vehementiores quæ tertio quoq; mense contingunt. Imò si verum fateri liceat quod & adnotatum ab Aspasia est, referente Ætio, firmitudinẽ quandam, ad eliciendumque fœtum naturalem difficultatem pares omnes menses obtinent: potissimumq; secundus, & quartus, in quibus non sine maximo matris discrimine fœtus deorsum detruditur. Atqui sexaginta dierum fœtus corruptio ad tertiũ mensem magis spectat. In alijs verò imparibus gestationis vteri mẽsibus robustius quidẽ naturæ impulsum persentiscunt in vtero delitescentes fœtus: quoniã solis potissimũ circumactionẽ partionis tẽpus consequatur. Quare id planè accidet quod morbis ipsis qui lunæ potius circuitionem spectant,*

Firmitudinem quandã & admotionem repugnantiã pares omnes mẽses fœtui conciliant.

ctant, accidere solet. At verò maximam percipimus mutationem à mensis initio, ad plenilunium vsque: quòd lunaris circuitus iam tunc peractum sit spacij dimidium, quatuordecim diebus comprǽhensum: quo tempore acutæ ægritudines omnes iudicia subire soleant. Ita planè verisimile est, peracto non secus dimidio solaris circuitionis spacio, quæ solis circumactionem sequuntur, indicia subitura. Tale sanè est quod inter hyemem æstatemq; medium intercedit spacium: sex nimirum solares menses continens: in quo non sex solùm lunarium mensium sed septem propemodum comprǽhenduntur. Atque ob eam rem septimo mense partus in lucem naturaliter editur. Ceterũ fortasse quod dictum de mensibus lunaribus est, lectorem poterit remorari. Qua de re primùm animaduertito, quòd Hippocra. idem libello de septimestri partu dixit in initio. Οἱ δὲ ἑπτάμηνοι γίνονται ἐκ τῶν ἑκατὸν ἡμερέων, καὶ ὀγδοήκοντα, καὶ δύο καὶ προσεόντος μορίου. id est. Septimestres partus eduntur diebus octoginta duobus supra centum, & insuper portione diei aliqua. Cùm ergo annus trecentos sexaginta quinque dies & sex horas contineat, vides septimestri partui deputatum dierum numerum, totius anni esse dimidium? Atqui dimidiũ anni sex menses continet: nõ ergo septimestrem hunc partum rectè nominauit. Sed quoniam lunares menses in ea dierum mensura plusquam sex continentur, ad ipsos sanè respiciens, septimestrem huiusmodi partum nuncupauit. Nam mensis lunaris trifariam intelligi potest: aut enim mensis spacium congressus lunares definiunt: aut reditus potius lunæ ipsius ad idem Zodiaci signum: aut potius contemptis diebus ferè tribus quibus luna in congressu delitescit, reliquam ipsius cum nobis apparet circuitionem consideramus. Horum omnium postremus minimus est: ac multò minore dierum numero continetur: vocaturq; διαφανέας, id est. apparitionis, siue potius luminis mensis. Alter verò ab eo paulò maior est, lunarisque propriè dicitur, continens ferè viginti septem dies cũ horis septẽ. Omniũ deniq; maximus primus est, ac ciuilis nominatur: viginti nouem dies & tredecim propemodum horas absumens. Ergo sex huius generis menses propositum ab Hippocra. numerum non attingunt: nedum alij qui eo sunt multò vti diximus minores. In septimum igitur iam mensem delabitur ab Hippocra. in libro περὶ ἑπταμήνου numerus aßignatus. Hæc omnia tanquam ἐκ περισσοῦ sint dicta: id dumtaxat addideris, quòd in tertio mense quarta totius Zodiaci à sole percurratur, perinde vt septem diebus à luna: atq; non secus mutationes hoc mense esse expectãdas, quàm septenarijs diebus. Quò fit vt cum maiori egeat multò ac violentiori insultu fœtus paribus, quàm imparibus mensibus, multò magis periculo vacet in imparibus, q̃ paribus mensibus. Quod in hac parte adnotasse sat fuerit. Nunc verò quid sibi voluerit Hippocrates in hac sententia sedulò inuestigandum est. Haud alìud

Solaris circuitus in morbis perinde atque lunaris considerandus.

Quot diebus septimestris partus edatur.

Lunares menses in triplici differentia.

aliud quidem (vt arbitror) quàm significare nobis, quibus mēsibus abstinere debeamus à medicamentorū quæ ἀμβλωτικὰ aut φθόρια aut φθοροποιὰ dicuntur vsu, id est, fœtus corruptoria. Quãquã nobis Christianis nunquã sanè huiusmodi medicamētis vti permissum sit: vtpote quos longè maiori in proximũ pietate charitas Christiana inflāmet. Tametsi non desinam mirari, quòd aliud Hippocrates docere instituat, quàm se facturū antea in iureiurãdo pollicitus sit: aduocãs omnes tum deos, tum deas etiã sibi testes, se nũquã medicamētum quod fœtum corrumpere posset propinaturū, neq; cuiquã vt id faceret, consulturū. Interim tamen iam contrariū fecisse videtur, vt ex libro de genitura coniicimus, dum vxoris suæ psaltriã, quam non fuerat honestum concepisse, ad eijciendum fœtum cōmouerit. Atqui idipsum non Hippocrates solū sed Aspasiam etiam ac alios plurimos fecisse videmus: qui nobis huius rei faciendæ rationem tradiderūt. Nam mulierem quæ fœtui alendo inutilis esset, aut eam quæ non satis honestè concepisset, ne minori in pretio fortasse habeatur, si vterum gestare depræhensa fuerit, voluerunt hi viri ab infamia vindicare, conceptum fœtum extrorsum elidentes. Hippocrates igitur idipsum indicare voluisse est visus, cùm dicat ἀπόφθαρμα. id est, fœtus corruptionē, quo nomine intelligimus non fœtum suopte nutu elisum, sed eum potius quem medicamenti ope aliquis corrumpere nititur. A verbo ἀποφθείρομαι quod in malã rem abeo, aut corrumpor significat. Quinetiam cùm dicat in partus detentionibus, id est, ἐν ἐπισχέσεσι τόκων idipsum proculdubio significare videtur. Si igitur interdū corrumpere fœtū medicus velit, caueat sedulò secundū & quartū pariter menses; nam in his fœtus corruptio nō est salubris: accedat autē ad id faciendū tertio mēse, aut nunquã prorsus, vt ego moneo, si sibi quisq; cauere velit. Adiecit autem masculi, vt denotaret, pueri maius multò esse robur; qui medicamēti noxã citius sentiēs multò vehementius mouetur, neq; ægrè adeò descendit. Potissimum cùm masculus sexaginta diebus moueri iam cœperit: cùm triginta diebus absolutam iam indeptus fuerit formam, ac deinde duplo tēpore moueri incipiat. Quòd si masculi corruptio in tertio mense periculo vacat, haudquaquã fœminæ propterea vacabit, quæ semper masculo multò maiori eget impulsu, cùm nondū partium absolutionem aut motū sit indepta.

Hippocrates nō videtur iureiurando suo stetisse.

Sexaginta dierū, fœminæ corruptio non perinde vt masculi vacat periculo.

Ἡρακλῆς ᾤδεε τοῦ κακοῦ ὀγδοαίῳ.

14. Hercules intumuit mali ipsius die octaua.

Quo ex morbo tandem hic in tumorem deuenerit; cùm Hippocrates nō dicat, neq; nos coniectare possumus. Id duntaxat indicamus: non boni fuisse tumorem illum consulendū, latenter ab ipso esse demonstratum. Quoniã abscessus octaua infœlici, minimeq; legitima ad iudicandum die eruperit. Quare nō potuit non cessisse in ægrotantis perniciem.

Δυσεντεριώδης μᾶλλον ὅστις ἄρα καὶ τεινεσμώδης.

15. Dysenteria laborat magis, quicunque etiam tenesmo vexatur.

Eandem planè habere & dispositionem, & causam intestinum quod rectum nominatur in cõtinua desidẽdi cupiditate quæ τεινεσμὸς Græcis est, ac superiora intestina in ipsa dysenteria, apertè nobis Galenus monstrauit aphorismorum septima sectione. Cum igitur dysenteria ex acribus, erodentibusq; humoribus internas superiorum intestinorum tunicas depascentibus oriatur, ex quibus phagedænicæ, serpentesq; exulcerationes contingunt. Ita planè & in tenesmo accidere arbitramur in extrema quod anũ pertingit intestini parte, ex mordacibus, & erodentibus succis quales tum biliosos, tum etiã salsam vehemẽter pituitã esse videmus. Accidit igitur huiuscemodi humoribus ex repentibus, abrasio primum: dum se in interna huius intestini membrana violẽter insinuant. Mox vehemens quædam continuaq; egerendi cupiditas, quæ differri tamen nullatenus potest. Deponũt autem subcruenta quædam mucosa ac modica. Huius verò assidui, iugisq; desidendi, aluumq; exonerãdi desiderij, inflammatio quædam humorum acriũ influxu in extrema intestini parte suborta, in causa est: quæ speciẽ semper præbet maximæ ac grauissimæ cuiusdam tensionis: qualis potissimum per recrementorum detentionem contingere solet. Si igitur (quod sæpè cõtingit) ex hac desidendi nimia, assiduaq; cupiditate, quis in dysenteriã inciderit, multò sanè grauius habebit: quandoquidem obsidẽtem hactenus rectũ duntaxat intestinũ exulcerationẽ, iam sensim in superiores partes esse distributam significabit. Quod igitur ab Hippo. dictũ est, bifariã sanè intelligi potest: aut quòd frequẽtius dysenteria laborẽt, quicunq; tenesmo afficiũtur: aut quòd tenesmo affecti, dum dysenterici fiũt multò iam grauius habeant. Quorũ sensũ vterq; proculdubiò verissimus est. Nam vltimũ ex his quæ diximus, continere veritatẽ cognoscis: priorẽ verò tum experiẽtia, tum autorũ omniũ consensus confirmat. Ætius nanq; tomo secundo nõ semel, sed iterum, ac tertio inculcauit, tenesmũ dysenteriam præcedere solitum. Paulus etiam lib. 3. ὁ τεινεσμὸς (inquit) ἔστι μὲν ὅτε τῆς δυσεντερίας προηγεῖται. id est. Tenesmus interdum dysenteriam præcedit. Vnde facilè intelligimus vtroq; modo sententiam Hippocratis intellectã veritati subscribere.

Tenesmi symptomata.

Tenesmũ dysenteria cõsequitur.

Θηλάζουσα ἥτα ἐκθύματα ἀνὰ τὸ σῶμα παντὶ εἶχεν, ἐπεὶ ἐπαύσατο θηλάζουσα κατέστη θερέος.

16. Lactans quædam papulas vbique per corpus habebat, vbi autẽ desijt lactare euanuerunt æstate.

Papulæ, quas Hippocrates ἐκθύματα nominauit, à verbo ἐκθύειν, quod erumpere significat, deductæ: ipsi quidem extuberationes, aut potius eruptiones à superfluis scilicet ab humoribus profectas significant: quæ ob qualitatẽ

humoris interdum cutem exulcerent, interdum autem id præstare nõ possint. Nam quæ ex tenuioribus, acribusq; humoribus ducunt originem, cutem ipsa facilè disrumpere possunt: quæ verò rursus ex crassioribus, ac minus erodentibus fiunt, cutem potius in tumorem attollere, quàm exulcerationem inferre possunt. Hæc ipsa Galenus, vt & nos fecimus, ita aduotasse videtur, libro de morbis vulgaribus tertio, in constitutione pestilenti. Nec admodum sanè (vt video) ab his quæ alibi Hippocrates ἐξανθήματα vocat, differre quæ hîc ἐκθύματα dicta sunt videntur. Cùm harum omniũ ad cutem eruptionis, communis eademq; sit causa: quam si interdum per iudicationis rationem euenire contingat, mehercule nihil ab his quæ Arabes medici, aut Arabum sectatores variolas dixerunt, aut morbillos differre videbuntur. Nam & Aëtius medicinæ summus interpres, ex Herodoti sententia, has cutis eruptiones, quæ per febres ardentes pueris potissimum euenire solent (secernente quidem natura, quod in sanguine prauum est ac virulentum, ex prima animalis conformatione contractum: euocanteq; ad corporis superficiem) ἐξανθήματα nuncupauit: quibus curandis longum satis præfixit caput. Vt igitur ad ægrotam conuertamur, cuius morbi rationem sumus redditurі: Primum penitius perscrutemur, quam ob causam papulæ hæ per vniuersum corpus vbiq; apparuerint, intereadum lactaret, deinde verò sensim euanuerint vbi primũ lactare desijt. Equidem quanquam multas ob causas congregasse potuerit aceruum in corpore excrementorũ, ex quibus papulæ huiusmodi vbiq; per corpus erũperent: tamẽ cùm alioqui fortasse malo esset corporis habitu, aut naturâ, aut victus ratione comparata, lactationem præcipuam papularum causam fuisse non iniuria quis existimauerit. Qua tamen ratione in illam morbi totius originem reijciamus, iam nunc accipito. Cùm lacti generãdo, ac mensibus mouendis materia sit eadem, vt Gale. in libris de simpliciũ medicamentorũ facultatibus ostendit, non ab re quod indies cõtingit, fieri arbitramur. Quòd nimirum, quo tẽpore mulieres lac infantibus suppeditant, non sentiant consuetã mensiũ purgationem: quoniam humor sursum ad mamillas retrahitur. Paucis tamen exceptis, quibus sanguinis copia, meatuumq; amplitudo in causa est, vt non cohibeantur per tempus lactationis menses. Si igitur sanguis vitiosus extiterit, neq; possit vniuersus lacti materiam suggerere, neq; etiam ob cõtrarium impetum deorsum demitti, quid mirum si per vniuersum corpus fluctuans papulas excitet? Atqui manifestum est, ita contigisse in hac fœmina: quoniam vbi primũ lactare desijt, sanguine nimirũ ad vuluã delato, nõ amplius huiuscemodi papulæ eruperũt. Proinde hanc æstate ab incœpto lactationis munere destitisse est verisimile: aut sensim vsque ad æstatem viam liberam mensibus naturam fuisse molitam. Non enim citra rationẽ Hippo. meminit æstatis: ea

ἐκθύματα & ἐξανθήματα pro eodem desumuntur.

Lactis & mensium eadẽ materia est.

nanq;

nanque dictio vim maximam causæ quæ has papulas demoliri solet ostendit. Quoniam æstate magis humores ad superficiem feruntur, minusq; ad corporis intima decumbant. Quo fit vt, si quo tempore magis molestare ægrotam debuerant euanuerint, vehementissimam nec sanè contemnendam quæ id præstiterit causam arbitremur. Aliam tamen fuisse à menstrua purgatione, non possum adduci vt credam: quoniam multò sæuiora mala eam depulisse sæpe à nobis, alijsque quàm plurimis est visum. Ad cutem delatio æstate maximè fit.

Τῇ τοῦ σκυτέως, ὃς τὰ σκύλινα ἐποίησε, τεκούσῃ καὶ ἀπολυθείσῃ τελέως, ἐδόκει τοῦ μὲν χωρίου τι τὸ ὑμενοειδὲς ἐγχεῖν, ἀπῆλθεν τεταρταίῃ κακῶς, στραγγουριώδης γὰρ ἐγένετο. Αὐτίκα συλλαμβάνουσα ἔτεκεν ἄρσεν. πολλὰ δὲ ἔτεα ἤδη εἶχε, τὰ ὕστερα καὶ οὐδ' ἐπιμήνια ᾔει, ὅτε δὲ τέκοι διέλιπεν ἐπ' ὀλίγον ἡ στραγγουρίη.

17. Sutoris coriarij vxori, cum peperisset, ac iam esset liberata, visum sibi est, secundarum membranaceum nonnihil intus fuisse relictum: quod quarta die foras erupit ægrè. Nam stranguria laborabat. Hæc statim concipiens peperit masculum. Multos sanè annos iam habebat: demumq; neq; menses fluebant. Cum autẽ peperisset modicum intermisit vrinæ stillicidium.

Pro miraculo haud dubiè haberi debet, quòd mulier hæc annosa iam, prouectæq; ætatis, aqua, neq; menses de more fluebant, vterum gestare potuerit. Idque non oscitanter, aut defunctoriè, sed tota mente, seduloq; fuit ab Hippocrate animaduersum: vt & illud sibi ad memoriam reponeret, vbi & alia magni momenti continere solebat. Nec enim est quicquam aliud, quod notari debeat in hac historia. Cùm ergo sciamus muliebrem vterum, cùm primum irrigari singulis mensibus sanguine affuso desijt, confestim corrugari, contrahique præ siccitate: acetabula etiam quæ hactenus statutis temporibus hiabant, repandoque ore sanguinis turgescentiam commonstrabant, cessante defluxu euestigio conniuere: neque possit iniectum in vterum semen arctè contineri, dum ora vasorum sunt occlusa: vt ne illæ quidem quæ viro opportunè congrediuntur, nisi aut incipientibus, aut finientibus menstruis purgamentis concipere possint: alio verò tempore rarissimè: optimè de hac muliere merita fuisse natura videtur, vt quæ multò maiora, ac præstantiora in eam contulerit beneficia, quàm in aliquam aliam vnquam mulierem. Sed istud sanè parum ab incredibilitate abfuerit, quod nulla penitus ratione vel tantillum potest confirmari. Cæterum dum rem hanc magis atque magis tractamus, maior sanè nobis scrupus se ingerit: resq; ipsa obscurior, magisque caligine obsepta videtur: neq; aliunde peruiam posse admittere videtur cõiecturam, quàm illac, qua dictum est statim concepit. Vt nondum fortasse partus prioris purgamenta inaruerint, sed à viro statim compressa adhuc inpatula acetabula

hiantiáq; semen fortiter continuerit. Sed id non admodum videtur probabile cùm fœtus vnde nutrimentum deinde hauriret, haudquaquam haberet: nõ amplius ad eam partem humore transfuso. Quare id opus Deum posse duntaxat habere autorem, meritò putamus: qui arentes etiamnum, & defæuientes vteros, & fœcundos facilè, ac salaces reddere possit. Sic legimus Sarræ illi vetustæ matronæ vuluam à deo fuisse apertam. Elizabeth etiam, quæ sterilis putabatur, ab eo est facilè à calumnia vindicata. Sed hæc, maximum quoddam rarumq́ue opus ostendentia, non temerè quidem, sed maximo cum consilio ab eo fieri putandum est. Verùm enimverò contingit interdum nonnullas mulieres quòd annosæ nimirum sint, atque ætatis grandioris, ob morbum aliquem conseptis vteri meatibus, annos aliquot menstruas purgationes non reddere. Qua in re cùm potius meatuũ obstructio potissima causa sit existimanda, tamen ætatem grandiorem, seniumq́; plerique causantur. Quin & ipsæ interdum eandem, non aliam esse causam huius rei existimant: potissimũ si verecundiores paulò extiterint, quæ ne puerascere videantur morbi prætextu, turpe esse aliam assignare causam autumant. Huiusmodi mulieres nihil dubito, quin interdum concipere possint: qualem fortasse hanc fuisse non est quòd mirari debeas. Porrò autẽ quam ob rem post partum modicum tempus intermiserit vrinæ stillicidium, planè non possum coniectare: cùm ex multis causis oriri stranguria possit. Ea tamen talis esse debuit, quam ad modicum tempus partus purgamenta potuerint obfuscare.

Arentes & squalidæ obseniũ vuluæ à deo solum possunt fœcundæ reddi.

Ἰσχίον δέ τις ἤλγει, πρὶν ἴσχειν, ἐπεὶ δ' ἔσχεν οὐκ ἔτι ἤλγει, ἐπεὶ δὲ ἔτεκεν εἰκοσταίη ἐοῦσα αὖθις ἤλγησεν, ἔτεκεν δὲ ἄρσεν.

18. Coxendicem quædam priusquam conciperet dolebat: cùm autem concepit nõ amplius doluit: vbi autem peperit vigesima die rursus doluit. Peperit igitur masculum.

Salaces omnes tum viri, tum fœminæ, quibus genitales partes pruriũt, acrimoniâ seminis id patiuntur: vt recta ratio docet. His si seminus expulsionem coërceas grauissimi morbi accidunt: magis autem mulieribus quibus vteri interdum conuelluntur, aut distorquentur, aut menstruæ purgationes non ritè succedunt. Quod & Hippocrates in libro de genitura, his verbis ostẽdit: ἔχει δὲ τόδε οὕτως τῇσι γυναιξίν, ἢν μὲν μίσγωνται ἀνδράσι μᾶλλον ὑγιαίνουσι ἢ δὲ μὴ ἧσσον. ἅμα μὲν αἱ μῆτραι ἰκμαλέαι γίνονται ἐν τῇ μίξει, καὶ οὐ ξηραὶ ἐοῦσαι μᾶλλον τοῦ καιροῦ, συστρέφονται ἰσχυρῶς. συστρεφόμεναι δὲ ἰσχυρῶς πόνον μὲν τῷ σώματι παρέχουσιν. ἅμα δὲ ἡ μίξις τὸ αἷμα θερμαίνουσα καὶ ὑγραίνουσα ποιέει ὁδὸν ῥηιτέρην τοῖσι καταμηνίοισι. τῶν δὲ καταμηνίων μὴ χωρεόντων τὰ σώματα τῶν γυναικῶν ἐπίνοσα γίνονται. *i. Res autẽ ita habet in mulieribus, si quidem misceantur viris melius degunt, sin secus, minus. Nã ex coitu vteri partim humidiores fiũt: qui si iustò sicciores fuerint maximè*

Seminis cohibita expulsio quot malorum causa sit.

Coitus vtilitas

maximè conuelluntur: doloremq; sic conuulsi, magnũ toto corpore suscitant: partim verò sanguis eo calescens, simul atq; humescens, facit vt facilius menses descẽdant: quibus detentis mulieres quamplurimis morbis redduntur obnoxiæ. Hæc quidẽ Hippo. Quatenus ergo cùm hac vel illa corporis parte consortium habuerint vteri, aut humor non rectè expurgatus redundet in parte quapiam corporis imbecilla, aut manuũ, aut coxendicis, aut pulmonũ dolore afficiũtur. Nouimus nos mulierem quandam, quæ cùm ita afficeretur, ceruicem vehementer doleret: cui ex medicamentis odoris positi pessuli, opem sanè ferebant promptissimam. Mirum enim quantũ odoramentorũ vapore vuluæ capiantur: ac ipsis perinde ac semine oblectentur. Tum etiam alias quamplurimas afferunt vtilitates, quòd nimirũ muliebria ducant, quemadmodum dicebat Hippocrates: quæ fortasse nõ opportunè detenta, totius mali causa extiterunt. Sed id prætermitti interim non debet: quòd huiuscemodi quas diximus mulieres calidiores temperamẽto sint: minimeq; aquosum, serosumq; semen possideant: sed crassum satis, ipsaque caliditate coactum: quod maximè ad fœtus masculos generandos est comparatum. Hæ igitur fœminæ, quantũ in ipsis est, semper pariunt masculos, ni ex viris ipsis defectus prodierit. Hæc tamen ex his sunt, quæ magna ex parte contingunt: quæq; non vsquequaq; certam habent prædictionem, sed verisimilem duntaxat. Cùm igitur mulier quampiam corporis partem dolet, deinde vbi vterum gestare cœpit, non amplius doleat, verisimile est, noxa vteri id contigisse: quæ si ex ea causa sit, qua leni initio tradidimus; sanè mulier ad masculum generandum est accõmodata: quam masculum vtero gestare, nõ fuerit ab re suspicari. Potissimũ cùm is ratione alimenti plura absumens, facilè præstare possit, vt morbifica materia non amplius ad sedem affectam transmittatur. Rectè igitur collegit Hippocrates eam masculum edituram fuisse. At verò quòd huiusmodi coxendicum dolores, ac alij plures, ex vteri affectu suboriantur, cui prospicientes statim euanescant, docuit etiam Hippocrates in libro de superfœtatione: satis profectò candida, atque ad præsens negotium accõmodata oratione, in hunc modum. Ἤν τινι ὀδύναι ἐν τῷ ἰσχίῳ, ἢ ἐν τῇ κεφαλῇ, ἢ ἐν χερσὶν ἢ ἄλλοθί που τοῦ σώματος, ὅταν δὲ κύῃ ἐκλείπωσι, ὁκόταν δὲ ἀπολυθῇ ἀπὸ τῶν μητρῴων ἐνῶσι, ξυμφέρει εὐώδεα, καὶ πίνειν, καὶ προστίθεσθαι πρὸς τὸ στόμα τῆς μήτρης. *id est. Si cui dolores in coxendice, aut capite, aut manibus, aut alia quauis corporis parte fuerint, euanuerintque cùm prægnans fuerit, ac deposito fœtu redierint, odorata et bibere, & ad os vteri apponere conducit.*

Ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ ἐν κνήμῃ κάτω δεξιῇ, ἢ τρίτῳ, ἢ τετάρτῳ μηνὶ, ἐξανθήματα, πρὸς ἃ τῇ μάννῃ χρώμεθα, καὶ ἐν χειρὶ δεξιῇ παρὰ μέγαν δάκτυλον. οὐκ οἶδ' ὅτι ἔτεκε, κατέλιπον γὰρ ἐξάμηνον. ᾤκει δὲ ὡς ἐγὼ οἶμαι τὰ Ἀρχελάου πρὸς τῷ κρημνῷ.

19. Vterum gestanti in tibia deorsum dextra exanthemata, quæ thuris polline curamus: Quin & in manu dextra eruperunt apud magnum digitum. Haud scio quid peperit: reliqui nanque ipsam semestrem. Habitabat autem (si bene memini) apud Archelaum in præcipitio.

Quænam Hippocrates exanthemata vocet, dictum non adeò pridem à nobis est: qua autem ratione circa tertium, aut quartum mensem eruperint in dicta fœmina, facile per Iouem inuentu est. Non potente nimirum eo tempore fœtu præ imbecillitate, vniuersa quæ ad vuluam deferuntur ratione alimenti absumere. Quare cùm iecur fortasse vitiatum esset, potuit (vt solet) ad manum, similiterque pedem dextrum noxium humorem, qui pustulas has, quas exanthemata vocauit procrearet, transmittere: Atqui per id tempus, noxæ plurimæ cùm fœtus sunt infirmi se promere solēt: præsertimque Pica morbus, quam κίτταν Græci vocant: in qua pro materiæ in ventriculo corruptione, absurdorum quorundam vehementem habent appetentiam. Cæterum in harum pustularū, aut exanthematum curatione polline thuris fuisse vsum, Hippocrates fatetur. Est autem id medicamentum, quam μάνναν Græci dicunt, eandem habens cum thure facultatem, sed remissiorem aliquantulum, ac sensim adstringentem. Quare in his eruptionibus commodissimum erit medicamentum: quod ea tum ad concoctionem perducat, modiceque abstergat, ac repleat, influentemq; sanguinem, aut humorem absumat: tum morsu etiam vacet: quod omnium maximè vtilissimum existit. Hic vt nonnihil etiam de manna Arabū, quāuis ἐν παρέργῳ dicamus, nominis vicinitas cogeret: si esset in ea, quod medicinæ studiosos posset adiutū ire. Sed video planè nō alia ratio ne esse vsui, quàm vt mensis diuitū aduocetur: quò se ab alijs inferioris sortis hominibus, vel etiam medicamentis distinguant: quos tamen natura morbis ipsis planè similes effecit. Sed vt vno verbo dicam, video Galenum id medicamenti genus minimè ignorasse: nulla tamen in re præstantem commendauit. Neque inde arripimus contemnendi huius medicamenti occasionem: scimus enim Arabes medicos multa inuenisse commodissima medicamēta, indigeta scilicet, ac ipsorum regionis vernacula. Verùm nos sanè nihil quod dignum ratione sit, vtilitatis in eo medicamento percepimus: quòd autem nocua admodū esse possit eius propinatio, nemo certè inficias ire poterit, cùm nō paruam ex plantis quibus insidet noxam cōtrahat. Atqui adeò nostris tēporibus hominum creuit auaritia, vt nullius hominis vitæ parcant, dum possint suæ consulere crumenæ. Nihil aliud volui in hac re studiosos medicinæ monere.

μάννα quid, & eius vsus.

Cassia arabum non cedit mannæ eorundem.

Ἡ Ἀντιγένεος ἡ τὸ πρὸς Νικόμαχον, ἔτεκεν παιδίον, σαρκῶδες μὲν ἔχον δὲ τὰ μέγιστα διακεκριμένα, μέγεθος δὲ ὡς τετραδάκτυλον, ἀνόστεον ὕστερον δὲ παχὺ στρογγύλον.

στρογγύλον. Αὕτη δὲ ἀσθματώδης ἐγκύος πρὸ τοῦ τόκου ἔπειτα ἅμα τῷ τόκῳ, πύον ἤμεσεν ὀλίγον οἷον ἐκ δοθιήνων.

20. Antigenis vxor, quæ circa Nicomachum habitabat, peperit filium: carnosum quidem, verùm qui maxima quæ'que membra discreta haberet: magnitudine autem quatuor digitorum, sine ossibus: postmodum verò crassum rotundum. Hæc ante partum anhelosa erat: deinde cum partu pus euomuit modicũ, quale de furunculis exit.

Monstrosus certè hic fœtus fuit: qui magis formatricis facultatis, aut vuluæ ipsius affectum præseferret: quàm aliud quicquam. Nec mirum sanè cùm praua aliqua valetudine affectos vteros, interdum videamus, carnium fragmenta (specie impregnationis falsa) reddere: interdum etiã & vesicas quasdam humore aliquo imbutas intus continere: potissimum per mensium longo tempore cohibitam fluxionem. Atqui id contingit, per molares appellatas dispositiones, atque vteri hydropicos affectus. Cæterum monstrosos, aut portentosos hominum partus, ob similem aliquam, aut vuluæ, aut seminis dispositionem oriri non ab re medicus sibi in animum induxerit. Quanquam non ignorem cœlestes quosdam ad hanc peragendam rem influxus esse admittendos: quibus tanquam præcipuis opificibus totius actionis summa sit referenda accepta. Quam cœlestium rerum studiosi hanc esse dixerunt: curiosam sanè nimis, ac veluti περίεργον γραφῶν, cuius rectam rationem inire, non facilè doctus quisque possit. Hi nanque signorum, aut animalium zodiaci singula in tres potissimum partes distribuunt: vnicuique deinde ipsarum suum adscribunt decanum: cui alij (rem scrupulosius tractantes) tres deos; quos munifices; aut συνεργοὺς nuncupant, tribuunt. Ita quidem vt signum quodlibet nouem nanciscatur munifices deos: quos rursus per infinitas propemodum numinum secant potestates. Atque ab ijs perfici astruunt portenta omnia, & monstrosos etiam hominum partus, potissimum si lumina fuerint ab angulis decidentia, & horoscopo nulla familiaritate coniuncta, anguli verò ipsi fuerint à maleficis occupati. Quam rem video sanè liberè esse dictam: nec vlla demonstratione firmari posse: qualia plurima earum sunt, quæ in iudiciorum reddendorum ratione astrologi sibi persuaserunt. Fiunt tamen monstrosi partus ob eam potissimum causam, quod viri fœminæque semina non egregiè misceantur, ob formatricis facultatis imbecillitatem. Nam in vnoquoq; semine est, quod præcipuè singulas partes effingere potest: ob quam sanè causam Hippocrates, ac alij plures medici insignes ex singulis partibus corporis semen decuti dixerunt: vt quod ex capite delapsum est, aut certè ipsius facultatis est compos, capiti generando sit peropportunũ: quod ex corde cordi,

Quidnam sit semẽ ex singulis partibus corporis decutti.

cordi, & ita in alijs partibus. Si igitur quod in fœmineo semine caput erat efformaturū, non coëat cum eo, quod ad idem negotium in semine viri est repositum, necessum quidem erit, fœtum aut duo capita habere: aut aliqua ex parte alia esse portentosum. Sed ad rem iam propositam redeamus, atq; diligenter animaduertamus, quod est ab Hippocrate dictū: αὕτη δὲ ἀσθματώδης ἐγένετο πρὸ τοῦ τόκου. id est. Hæc autē ante partum anhelosa erat. Solet igitur Hippocrates ἆσθμα, hoc est, anhelitum, simpliciter nominare crebram respirationem: non simplicem quamq;, sed eam potius quæ multū increbuit: aliam verò quæ non admodum naturæ limites prætergressa est πνεῦμα nuncupare est solitus. Idipsum possumus facilè ex Galeno didicisse, si quæ libro de spirandi difficultate vltimo ad calcem scripsit, diligenter excusserimus. Habet autem oratio in hunc modum: τὸ γὰρ πνεῦμα μόνον ἁπλῶς οὕτω γράφων, ἐν ταῖς τῶν νοσημάτων ἐδείχθη συνδρομαῖς, αὐτὴν ἐπὶ δυσπνοίας ἀφ' ἧς πυκνὸν γίνεται τὸ πνεῦμα. Τὸ δ' αὐτὸ τοῦτο ἐπὶ πλέον πυκνούμενον ἔθος αὐτῷ ἆσθμα καλεῖν. id est. Spiritum simpliciter cùm scribit Hippocrates, in ægrotantium cōcursibus, monstratum iam est, pro spirandi difficultate ab eo vsurpari, per quam spiritus creber redditur. Qui si admodum increbuerit de more ἆσθμα, id est, suspirium, aut anhelitum vocare consueuit. Erat igitur hæc ante partum suspiriosa: id est, crebrum, magnumq; insuper reddebat anhelitum. Nam eodem etiā Galeno teste citato libro, vbi de eadē fœmina, quæ nobis proposita est, pertractat: ἀσθμαίνουσι μὲν γὰρ (inquit) οἱ πυκνὸν ἀναπνέοντες, ἅμα καὶ τὸν θώρακα μέχρι πολλοῦ διαστέλλοντες. id est. Anhelant quidem, aut spiritū cum difficultate trahūt, quicunq; crebram habuerint respirationem, atq; in sublime plurimum thoracem extulerint. Quod qua ratione contigerit, ex his quæ Hippocrates ad calcem orationis scripsit, liquidò intelligere possumus. Simul nanque cum partu vomuit pus: quale ex furunculis manare videmus. Ostendebat itaque in visceribus internis prauam aliquam fuisse suppurationē: quæ facilè noxam septo transuerso, reliquisq; respirationis instrumentis impertiret: a qua nimirū aut angustarentur meatus, aut premerētur, aut obstruerentur etiam. Talem autem esse interdum huiusce respirationis causam, eodem sanè loco adnotauit Galenus. Anhelare eos scilicet inquiens, qui frequenter spirant: thoracemq; simul in sublime plurimū attollunt. γίνεται δὲ τοῦτο, ποτὲ μὲν ἐν διαθέσεσι πολλῆς ἀναπνοῆς δεομέναις ἅμα καὶ τοῖς δραμοῦσιν, ἢ ὁπωσοῦν ἄλλως ὀξέως γυμνασαμένοις τὸ τοιοῦτον συμπίπτει, καὶ πᾶσι τοῖς διακαέσι πυρετοῖς. γίγνεται δ' ὡς ἐδείχθη, κατὰ τὰς δ' ἂν ἔμφραξις ἢ θλῖψις, ἢ στενοχωρία τις ἐν τοῖς ἀναπνευστικοῖς ὀργάνοις ὑπάρχει. Τοιοῦτον δ' ἔτι φαίνεται συμβῆναι καὶ τῇ τοῦ Ἀντιγένους, ὡς ἐδήλωσε τοῦ τόκου. Quod sanè cōtingit, interdum quidem in affectionibus multa respiratione indigentibus, quomodo currētibus, aut alioqui plurimū exercitatis vsu euenire solet,

ἆσθμα & πνεῦμα quo differant.

Quas ob causas contingat plurimum inter respirandū attolli thoracem.

solet, omnibusq; ardentibus febribus. Fit etiam quemadmodum demonstratũ est: vbicunq; aut obstructio, aut cõpressio, aut meatus angustia quæpiam in respirationis instrumẽtis suborta fuerit. Tale quidpiam Antigenis vxori cõtigisse par est: quemadmodum & pus ipsum indicauit. Hæc sanè Galenus de proposita hac ab Hippocrate historia tradidit: tam apertè quidem, ac si in hunc locum cõmentaria non excidissent: sed integra in totum permanerent. Porrò si adiecero quosnam Hippocrates δοθιῆνας *vocet, iam ad expositionis finẽ peruenero. Paulus sanè abscessum quendam dothiena existimauit, qui ex craßis ac viscidis humoribus in carnosis plerunq; partibus cõcipiatur: mitem quidẽ cùm in summa hæret cute, mali autem moris, cùm actis interius radicibus summo corpore caput exerit. Id genus tuberculi Latinam sectãtes medicinam furunculum nominant.*

Δοθιῆνες id est, furunculi qui dicantur.

Θυγατέρας τεκούσης διδύμους, καὶ δυστοκησάσης, καὶ οὐ πάνυ καθαρθείσης ἐξῴδησεν ὅλη, ἔπειτα ἡ γαστὴρ μεγάλη ἐγένετο, τὰ δ' ἄλλα ἐταπεινώθη, καὶ ἐρυθρὰ ἦν μέχρι τῶν ἕξ μηνῶν, ἔπειτα λευκὰ πάντα ἤδη τὸν χρόνον, πρὸς δὲ τ' ἀφροδίσια οἱ ῥόοι ἔβλαπτον, καὶ οἱ ἄκρητα ἐρυθρὰ ἐκδυόμενα ἴει.

21. Eius quæ filias gemellas peperit, & difficulter peperit, & nõ admodum est purgata, vniuersum corpus intumuit: postmodum venter magnus euasit: alia verò omnia subsiderunt, & rubra profluuia ad sextum vsq; mensem prodierunt: iam verò alba omni deinceps tempore: quæ veneri erant molesta, rubroq; statim saturato colore inficiebantur.

Hæc quam hoc loco proponit Hippocrates mulierem, cùm difficulter peperit, & non satis cõmodè, pro partus ratione fuerit expurgata, toto deinceps corpore intumuisse non est mirum. Cùm plurima partionis purgamenta interius relicta, non habentia foras exitũ liberum, per vniuersum corpus sese disseminauerint, ac summam eius cutem foras tendere contendẽtia, in tumorem extulerint. Inde iam cùm natura ipsam humorum multitudinem rursus ad vterum transmittere niteretur, sperãs fortasse illac se posse facilè exonerare, nõ potuit quod erat in votis perficere. Quo factũ est, vt vẽter imus in molem maximam attolleretur, & reliqua omnia remitterẽtur, tumultuante nimirum sanguine, ac noxio humore, in his quæ ad vuluã spectãt sedibus. Quare cùm esset vehementer exagitata in partionis tempore, vt par est, eam quæ non facilè fœtũ reddere posset: tum suo ipsius robusto conatu, ac nixu, tum obstetricis (vt fieri solet) imperitia, noxã aliquam vteri internæ partes conceperunt: ac vulsa quæpiam caruncula intus delituit: quæ sensim ipsa putrescens, ora vasorum ad vuluam pertinentia exulcerarit: vnde facilè & rubri profluuij causa se promeret, quemadmodum & ipse Hippocrates scripsit in libro

Obstetricis imperitia multorum malorum causa est.

πολὺ γυνεκέων. ἡ δὲ νοῦσος λαμβάνει μάλιστα μετὰ ἐκ τόκου ἤν τι ἐν αὐτῇσι τι διακνησθῇ καὶ σαπῇ. id est. Morbus hic ex partu maximè corripit si quidpiam dilaniatũ computruerit. Signa verò morbi percensens, hæc inquit: ἢν αἱ μῆτραι ἑλκωθέωσιν καὶ αἷμα καὶ πύον ῥέει καὶ ἰχὼρ, σηπομένων γὰρ τῶν μητρέων νόσημα ἀπ' αὐτέων γίνεται, καὶ ἡ γαστὴρ ἡ νειέρη ἐπαείρεται, καὶ λεπτὴ γίνεται, καὶ ἀλγέει ψαυομένη ὡς ἕλκος, καὶ πῦρ ἔχει, καὶ βρυγμὸς αὐτήν, καὶ ὀδύνη ὀξέη καὶ σπερχνὴ διά τε τὰ αἰδοῖα, καὶ διὰ τὸ ἐπίσειον, καὶ διὰ τὴν γαστέρα τὴν νειέρην, καὶ ἐς τὰ κενεῶνα, καὶ ἐς τὰς ἰξύας. id est. Si vteri vlcerati fuerint, & sanguis, & pus, & sanies fluit. Vteris nanque putrefactis morbus ex ipsis oritur: & venter imus attollitur, attenuaturq́;, & dolet dum tangitur, veluti præsente vlcere. Et febris ac fremitus ipsam tenent, & dolor acutus ac vehemens pudenda obsidet, atq; pubem, & ventrem imum, & vacuas etiam abdominis partes, & lumbos. Hactenus Hippocrates. Hæc igitur fœmina ad sextũ vsque mensem huiuscemodi passa est fluxionem, quæ deinde iam candorem sensim contraheret: ob eam quæ fieri solet in vlceribus ad suppurationem mutationem. Non ab re igitur, si quando Venere vteretur, irritata vlcerum molli carne, ac per continuam fricationem abrasa confestim sanguis ex vlcerata parte prodibat.

Τῇσι χρονίῃσι λειεντερίῃσι ὀξυρεγμίη γινομένη, πρόσθεν μηδέποτε γινομένη, σημεῖον χρηστόν, οἷον Δημαινέτῃ ἐγένετο. ἴσως δὲ δεῖ καὶ τεχνήσασθαι· καὶ γὰρ αἱ ταραχαὶ αἱ τοιαῦται ἀλλοιοῦσιν, ἴσως δὲ καὶ ὀξυρεγμίαι λειεντερίην λύουσιν.

22. In diuturnis intestinorum leuitatibus acidus ructus prius non existens, signum est bonum: vt Demænetæ contigit. Fortassis autem licet id artificiosè moliri: etenim huiuscemodi perturbationes alterant. Forsitan igitur acidi ructus leuitates soluent intestinorum.

Abundè satis hæc sententia potest indicare, Hippocratem dum medicam rem hinc inde tractaret, quæcunque in ægrotis animaduertebat, ea omnia diligenter tabellis suis mandasse: cùm esset omnium consensu diligentissimus eorum quæ languentibus eueniunt obseruator, atq; deinde quæ sibi digna maxima commẽdatione videbantur in illis cõmentarijs reposuisse, quæ ipse vt in lucem prodirent cõcinnabat. Ita sanè videmus plurima in his de morbis popularibus libris (qui vicem gerũt cõmentationis cuiusdam priuatæ, in qua solet homines singula quæ notatu digna occurrũt consarcinare) esse ab Hippocrate scripta: quæ deinde in aphorismorum libros transfusa sint. Vbi vir ille sem per maxima habendus veneratione sedulò quid momẽti, quidq́; haberet expendisset. Quemadmodũ & in præsentia fecisse videtur: qui cum Demænetæ post lõga intestinorũ profluuia, per quæ cibus nulla planè qualitate mutatus deijciebatur, acidũ ructũ superuenisse cognouerit, exindeq́; mutationẽ morbi

Quæ notatu magis digna sunt, in aphorismorum librũ trã-scribuntur.

in melius

in melius cessisse: accurateq́; considerauerit fortè illius mutationis vim, quam non ab re euenisse videbat, voluit & hanc in aphorismis scribere sententiam, quoniam maximam haberet ad futurorum prædictionem facultatem. Atq; ob eam rationem nūc dixit: ἴσως δ' ἔστι καὶ τεχνήσασθαι. *id est. Fortaßis autē id artificiosè moliri licet, quòd similes perturbationes alterent. Nam cùm acidus se promit ructus, iam aliquam alteratione, saltem actionis initium in cibo significat: quod fieri non potest, nisi longiori temporis spatio cibus detineatur. Cæterum quia hæc citra distinctionem non possunt exactè deprǽhendi, adijciemus & nos quæcunq; visa fuerint ab eo tenuiter esse tractata. Nam cùm leuitatis intestinorum affectio nō vnam duntaxat, sed multas etiam causas sequi posit: videndum sanè est, quam intestinorum leuitatem acidis ructibus superuenientibus abolitam iri sit sperandum. Contingit enim interdum, vt quorundam humorum acrimoniā exulceratis leuiter in superficie intima intestinis hæc affectio fiat: ita quidem vt non poßint vel momento temporis in aliqua ipsorum parte cōmorari assumpti cibi, sed euestigio eorum occursu irritata facultate excerni. Quò fit vt citra doloris sensum, id non poßit accidere, periculumq́; maximū sit, ne diutius detinente affectione, in dysenteriam tandem affectio abeat. Interim verò ob solam imbecillitatem contentricis facultatis hæc affectio accidit: quod sanè bifariam fieri potest. Aut enim ob simplicem temperamenti mutationē, aut ob humorem aliquem in ventriculo & intestinis aceruatum, qui poßit etiam partium prædictarū temperaturas vitiare, contingit. Cuiusmodi sanè pituita existit. Verùm quæ ab ipsa ventriculum & intestina refrigerante leuitates intestinorum fiunt, semper tanquam peculiaria symptomata secum afferunt acidos ructus: qui tamen procedente affectione in totum aboleantur. Non possunt enim inualescēte admodum affectione aliquantulum detineri assumpti cibi, quemadmodum per initia detinebantur. At verò quæ ob imbecillitatem contentricis facultatis, solo temperamento permutato accidit, cùm primum ructus acidos habuerit comites, magis iam quàm antea detineri cibos intelligemus: atq; in melius mutari tum primùm ventriculi dispositionem cognoscemus.*

Leuitatis intestinorū causæ variæ.

Quæ leuitates intestinorū, acidis ructibus mutationē in melius subeant.

ἰήθη ἐλλεβόρου πόσει Λυκίη, τῇ ὕστατα σπλὴν μέγας, καὶ ὀδύναι, καὶ πυρετὸς, καὶ εἰς ὦμον ὀδύναι, καὶ ἡ φλὲψ ἡ κατὰ σπλῆνα, ἐπ' ἀγκῶνι ἐτέτατο, καὶ ἔσφυζε μὲν πολλάκις. ἔστι δ' ὅτε οὐκ ἐτμήθη, ἀλλ' ἅμα ἱδρὼς ἐπῆλθεν, ἢ αὐτόματον. ἐξ οὗ δὲ ἰόντων ὁ σπλὴν τὰ δεξιὰ ἐγένετο, πνεῦμα ἐνεδιπλασιάζετο, οὐ μὴν μέγα. περιφερὴς, περιεσταλμένος, φύσει ἐνεὼς, οὐ δίκῃ κάτω οὐδὲν, οὐδὲ οὖρα, ἀπέθανε πρὸ τοῦ τόκου.

23. Veratri potione Lycia sanabatur: demumq́; splen magnus, dolores, & febris, & in humerū dolores, ac vena quæ secundum lienem est, in cubito tendebatur, & pulsabat multoties, non fuit tamen inter

men interdum secta, sed simul cum sudore præterijt, aut sponte. Ex quo autē euntibus lien ad dextram vsq; intēdebatur partem: spiritus intus duplicabatur: non autē magnus erat: mēte non constabat, cōtegebatur, flatus inerat, nihil deorsum penetrabat: neq; mingebat. Mortua est ante partum.

Varias passam fuisse hanc fœminam affectiones, ex vario facilè symptomatum concursu quiuis deprehendet. Nam primum à veratri potione auspicatus Hippocrates est curandi rationem: quod liquidò demonstrat, biliosorū succorum multitudinem, aut pituitosorum morbi originē extitisse. Sed magis quidem credendum est exuperasse biliosi succi redundantiam: quoniam nòn ex votis succedente veratri potione: neq; totam propulsante morbificam materiam, quod intus reliquum fuit, recidiuam mouere potuit. Primum quidem quadātenus exustum: ad naturamq; atræ bilis iam accedens, se cōtulit in lienem: grauemq; in eo cōmouit inflāmationem: quæ sensim ad cor ipsum trāsfertur. Vnde & febris orta est. Quin & frigidi pituitosiq; humoris non mediocris copia in corpore continebatur: neruoso vniuerso generi inferens nocumentum: ex qua & in humerum dolor, & alibi vehementer afficeret mulierem. Ita quidem vt vniuersum propemodum corpus neruosorum instrumentorum noxam cōciperet: quod aluus cohibita, vrinæq; suppressio indicarunt. Vrinæ nanq; suppreßiones præterquā quòd malæ admodū sunt docente Hippocrate in Prorrheticus αἱ ἐκ καταψύξιος ἐν ὀξέσι οὔρων ἀπολήψιες, κάκισται. *id est, ex perfrictione in morbis acutis vrinarū interceptiones peßimæ, etiam neruosum genus affectū significāt, nam cùm huiuscemodi actiones planè sint volūtariæ corporis affectionibus deseruiētes, atq; ex impulsu animalis facultatis perficiantur (musculosis nanq; egent instrumētus) non possunt ritè obiri, tantisper dum instrumēta nō parēt. Sed ne facultas ipsa quidē quæ exsuscitare ad actionē musculos debuerat, sui erat iuris. Quare non mirū si interdum obliuiscseretur proprij muneris. Scriptum nanq; ad calcem est.* παρεφέρος, *quæ vox Hippocrati mentis alienationē, euersionemq; significat. Porrò præ humoris biliosi multitudine, qui vehementer vt solet excanduerat: maximūq; in præcordijs æstum concitauerat: ingentem verò in corde ac feruidum calorem, arteriarum omnium vibratio concitatior admodū erat: vt & ea quæ cordis sinistro ventriculo magis è regione posita est, interdum vehementer contēderetur: ac pulsaret. Non quidem simplici illa & moderata vibratione, quæ in naturali statu, aut per vulgares cordis inflāmationes videri solet. Sed tantò quidem vehementiore, quantò visus tactione præstantior existit. Quæ enim per vulgares affectus contingunt pulsationes, non prius percipiuntur, quàm medicus manum arteriæ admouerit. Hæ verò ingentes validißimæq; de quibus Hippocrati*

Aetius lib. 11. cap. 20.

Vrinæ suppressio neruosum genus affectū significat.

Arteriarū pulsationē vocat Hippo. euidentem quandā vibrationē, quā vel ægroti ipsi persentiscunt, vel hi etiā qui ipsos de foris intuentur.

Hippocrati, reliquisq; veteribus est sermo, antequàm contingantur, innotescunt: interdum quidem ægrotantibus ipsis, interdum verò etiam & his qui ægrotantem intuentur. Ita sanè ab Hippocrate dictum est: ὃν ἂν ἡ φλὲψ ἐν ἀγκῶνι σφύζῃ, μανικὸς, καὶ ὀξύθυμος. *id est, Cui vena in cubito pulsat, insanus furibundusq; est. De ea per Iouem agens pulsuum motione, quæ vel intuēti tantùm medico sit conspicua. Sed quoniam rem hanc video facilè posse subire calumniam (quòd sine autore loqui videamur: potissimũ apud quos omnia studiosorum hominum exercitia præ liuore malè audiunt) non fuerit ab re sententiam Galeni in hac parte afferre; quæ idipsum quod à nobis hactenus adnotatum est luculētur exponat. Habetur autē præsagiorum libro primo in eam sententiam quæ ad nostrum institutum maximè conducit, scripta.* ἢν δὲ καὶ σφυγμὸς ἐνέῃ ἐν τῷ ὑποχονδρίῳ, θόρυβον σημαίνει, ἢ παραφροσύνην. *id est. Si autem pulsus in præcordijs insit, perturbationē significat, aut deliriũ. Nobilis ergo interpres Galenus cuius nos ingeniũ semper reueremur; atq; eruditionē veneramur.* δῆλος γὰρ δὴ *(inquit)* κἀνταῦθα τὸ σφύζειν ὑπὸ τῆς μεγάλης, οὕτω καὶ σφοδρᾶς κινήσεως τῶν ἀρτηριῶν ἀποφέρων, ὡς καὶ πρὸ τοῦ τὴν ἁφὴν ἐπιβάλλειν αὐταῖς, αἰσθητὴν εἶναι τὴν κίνησιν. ἐνίοτε μὲν αὐτῷ τῷ πάσχοντι μόνῳ, ἐνίοτε δὲ καὶ τοῖς ἔξωθεν ὁρῶσιν. *Constat enim & hinc, quòd pulsare de maxima vehementiq; afferat motione arteriarũ, vt antequã manus admoueatur, nota quidē sit aut ægroto aut his qui ipsum de foris intuētur. Idipsum etiam libro de placitis Hippocratis & Platonis, affert. Quapropter cùm in hac parte dicat Hippocrates vena quæ secundũ lienem est in cubito tendebatur; ac pulsabat multoties: de ea sanè voluit intelligi motione quam hactenus nos sumus interpretati: quæ vehementis hauddubiè æstuosæq; inflammationis est soboles: earum inquam partium maximè quæ ad thoracem spectant. Non igitur præter rationem ex ea vehementi inflammatione, ac incendio, circa præcordiorum partes affligente delirium quis sperare posSit: tum ob septum transuersum tum etiam ob ventriculi ipsius orificium. Ac propterea in quinta huius libri sectione, quam superius citauimus sententiã scripsit: si cui vena in cubito pulsat insanus furibũdusq; est, cui verò quiescit torporem significat. Cæterum hæc omnia multoties euanuerūt: quoniam morbus per exacerbationes affligebat: aut cum sudore, vt morbus præseferre videbatur, qui ex bile ducebat originē: aut sponte quidem retracto humoris influxu, ad sedem quam sibi antea destinauerat: nempe lienem ipsum, vt antea diximus. Ac proinde cùm hæc in hunc modum contingebat, ita humoris copiâ premebatur lien, vt in maximam protuberans molem, etiam dextrã corporis partem videretur occupare: ac spiritus propterea duplicaretur. Id quod ab Hippocrate dictum est; ex quo autem euntibus lien ad dextram vsq; intendebatur partem: spiritus intro duplicabatur. Nam*

quod

quod Græcè habet ἐξ ὧ δὲ ἰόντων ὁ σπλὴν τὰ δεξιὰ ἐντεταμένος, nihil aliud sanè vt mihi videtur significare potest, quàm id quod nos superius cõuertimus: intelligentes ἐξ ὧ ᾗ ἰόντων τῶν χυμῶν ἢ τῶν περιττωμάτων. id est, ex quo autẽ euntibus humoribus, aut recremẽtis, splen ad dextram vsq; intenderetur partem, spiritus intus duplicabatur. Sed quid quæso voluit Hippocrates per eam vocem ἐνεδιπλασιάζετο. id est, intus duplicabatur significare? Nempe cõuulsioni similem quandam dispositionem respirationis instrumenta corripuisse, quæ ex neruoso nimirũ genere affecto oriretur, aut quod bilis vehemẽti feruore quiescente frigidus humor musculos thoracis appræhẽderit, duritiemq; quãdam in ipsis effecerit, & motum cõuulsioni similẽ. Atqui cõstat per similes dispositiones, conari interdum pro necessitate thoracem ipsum, facultatẽ attollere, ac cum non obsequatur media etiam in actione resistere: vbiq; modico tempore intermiserit, actionis rursus vehementi conatu quod deest adijcere. Similẽ quendam interceptæ respirationis modum sæpissimè videmus pueris contingere: dum amarius paulò acerbiusq; lugẽt: vt interceptam omnino, atq; interruptam habeant respirationem: sublato quidem altius thorace, sed non satis ad cordis feruidam caliditatem temperandã, confestimq; rursus veluti ab initio vehementer vibrato. Quare quo ipsi animosiores extiterint, id quod diximus multò euidentius ostendent. Hunc igitur Hippocrates spiritum duplicatũ aut interruptũ dicebat: quod in libro de morbis popularibus sexto scriptum est: διπλῆ ἔσω ἐπανάκλησις. id est, duplex intro reuocatio. In primo verò epidemiων libro dum ea quæ Philisco contigerunt narrauit, inquit: τούτῳ τὸ πνεῦμα διὰ τέλεος ὥσπερ ἀνακαλουμένῳ. i. Huic spiritus ad finẽ vsq; veluti reuocanti Quin & in Dromadæ vxore πνεῦμα (inquit) ἀραιὸν, μέγα, αὐτίκα ἀνεσπασμένον. id est, spiritus rarus, magnus statim reuulsus. Hæc itaq; omnia apertè ostendunt: duplicari intus spiritum ab eo dictum esse: tamq; si intercidi, aut interrumpi dixisset. Quòd autem hoc ob similem quandam cõuulsioni (refrigeratis quæ ad respirationẽ pertinent instrumentis) affectionem cõtigerit, ex his quæ in sequẽtibus scripta sunt, facilè depræhẽdi potest. Dixit enim contegebatur: Græcè autem περιεστέλλετο. id est, vestimẽtis obuoluebatur: hac vti dictione solitus in his in quibus genuinus calor perfrixit moribundus. Ex copia sanè crudorum succorum, aut alia quapiam refrigerante, caloremq; naturalem extinguente causa proueniens. Quod & Galenus ipse omniũ primus in Hippocrate animaduertisse videtur: qui libro de spirãdi difficultate tertio, in iudicium vocans spirandi difficultatem propositæ ab Hippocrate mulieris in hunc modum scripsit. Μετὰ δὲ ταύτην, τῆς συμβάσης τῇ Λυκίῃ, περὶ ἧς ὡς καὶ πρόσθεν ἔλεγον, ἔγραψε, πνεῦμα ἐδιπλασιάζετο, οὐ μὴν μέγα κατὰ λόγον, ἐπεπόνθει γὰρ αὐτῆς τὸ νευρῶδες γένος τῶν ὀργάνων, ὥστε καὶ τῶν ὅρων ἐπίσχεσιν παντελῆ γενέσθαι.

Duplicari spiritũ Hippocrati quid significet.

Ob similem cõuulsioni affectũ vitiatis respirationis instrumẽtis spiritus intercidi tur.

νέσθαι, διὰ τοῦτο μὲν δὴ τὸ διπλασιαζόμενον ἐγίνετο πνεῦμα, διὰ τί δὲ οὐ μέγα; ἢ διότι κατέψυκτο; προσέσταλτο γοῦν φησί, τούτῳ δὲ ἐδιδάχθη χρώμενος τῷ ὀνόματι κατὰ τῶν ἀπεψυγμένων τὴν ἔμφυτον θερμασίαν. *id est, Post hanc verò (respirationis scilicet speciem) eam quæ Lyciæ mulieri contigit scripsit, vt nos antea diximus. Spiritus duplicabatur: non tamen pro ratione magnus. Si quidem neruosum omne genus in hac muliere vitiatū erat: quo factum est vt penitus vrina supprimeretur. Hanc igitur ob causam spiritus intro duplicabatur. Sed quāobrē non magnus prodibat spiritus? An non quia refrixerat? contegebatur enim dicebat Hippocrates; verbo quodam* προσέσταλτο *vsus. Atqui demonstratū à nobis est eo vti de more nomine in quibus calor naturalis refrixit. Hæc sanè Galenus, cuius etiam sententiæ subscribit, quod adiectum ab ipso est: flatus inerat. Nempe is ex imbecillo ac propemodū extincto calore procedens, cùm validior discutere potius quàm generare flatum possit. Ceterū id vnum adiecisse fuerit operæpretium, quod fortasse ad intelligēdum Hippocratem non leue aliquod mometum præstabit. Qui factum sit, vt cùm hæc mulier delirauerit, non magnum ex longisq; interuallis spiritū reddiderit. Solent enim propemodum omnes desipientes magnum spiritum ex longisq; interuallis reddere. Ita nanq; in prognostico scriptum est:* μέγα δὲ ἀναπνεόμενον καὶ διὰ πολλοῦ χρόνου, παραφροσύνην δηλοῖ. *id est, magnus autem, ex longisq; interuallis spiritus delirium portēdit. Sed id quidem docente Galeno, rectè sanè dictum ab Hippocrate est: neque quòd hæc alio spirauerit modo, eius sententia subuerti poterit: Proprium siquidem esse magnum, atq; ex longis interuallis spiritum delirantibus ipsis Hippocrates significare voluit: non autem ab ipsis penitus inseparabile. Contingit enim vt varijs in corpore affectionibus manentibus, multò vehementior sit ea quæ delirantes aliter respirare cogat: deuictā nimirum delirij ad magnum, rarumq; spiritum reddendum vi. Contingit enim per vehementes mētis alienationes, in quibus grauissimo quodā modo cerebri tēperatura est vitiata, vt neq; sui iuris facultas sit, neque commodè possit singula corporis sensoria organa ad sensus actionem exsuscitare: nihil omnino eorū quæ molestant sentire. Qualis sanè ea fuit affectio ob quam Dealcis vxor, quam Hippocrates tertio morborum popularium libro descripsit, mente capta fuisse videtur.* Τεσσαρεσκαιδεκάτῃ *(inquit)* πνεῦμα ἀραιόν, μέγα, διὰ χρόνου, καὶ πάλιν βραχύπνοος. *i. Spiritus quartodecimo die rarus, magnus, ex longisq; interuallis fuit: & rursum breuiter spirauit. In vna planè eademq; muliere duas cōtrarias spirandi difficultates percensens: ne quis fortasse arbitraretur, solùm magnum, atq; ex longis interuallis spiritum reddere delirantes. Mox verò subintulit:* εἰκοστῇ λόγοι πολλοί, καὶ πάλιν ἱδρύνθη, ἄφωνος, βραχύπνοος, εἰκοστῇ πρώτῃ ἀπέθανεν. *id est Vigesimo verba multa, rursusq; mēte firmata est,*

προσέσταλτο quid significet Hippocrati, quantaq; vis subsit in ea dictione.

Spiratio delirātiū magna ex longisq; interuallis.

mata est, sine voce, breuiter spirauit, vigesimo primo obijt. Sanè quidem cum sedata desipientia est, ipsam breuiter respirasse adnotauit: interea tamē dum mente cōmota esset, potuit pro causæ magnitudine, aut magnum, ex longisq; interuallis spiritum reddidisse, aut potius cōtrarium, nempe breuē. Nam hæc mulier perfrixionis affectum non secus atq; proposita sensit. Ad calcem enim orationis ita habet Hippocrates: ὧ ταύτῃ διὰ τέλεος πνεῦμα ἀραιὸν, μέγα, ἀναισθήτως πάντων εἶχεν, ἀεὶ περιεστάλη. id est. Huic mulieri ad finem vsq; spiritus magnus, rarus, nihil planè sensit, semper contegebatur. Indicare sanè volens semper passam fuisse perfrixionis affectum, non tamē eum semper fuisse potiorem, sed magna ex parte insaniam superasse. Ac proinde magnū ex longisq; interuallis spiritum ad finem propemodū vsq; reddidisse: ob hanc sanè causam, quod nihil omnino eorum quæ ipsam molestabāt sentiret: quorū vnū proculdubiò erat respirādi necessitas: quam cum non perciperet facilè contēnebat plurimo, ac longo tempore: ita vt spiritus ex longis interuallis redderetur. Ast vbi iam cogente vehementer necessitate, quod ipsa internecionē proximè adierit, se ad respirandum excitabat, quiescere obliuiscebatur: atq; hoc modo magna respiratio prodibat. Vt igitur delirium magnam & ex lōgis interuallis respirationem efficere solet: ita & dolor aliquod respirationis instrumentum corripiens contrariam potius paruam & frequentem. At verò caloris maximum incendium magnam & frequētem poscit, quemadmodum frigiditas calori cōtraria paruam simul & raram. Quod si igitur dolor validissimus fuerit, funditus haud dubiè eam quæ ex delirio fit euertere poterit spirandi difficultatem: cum delirium ipsum non valeat contrariæ respirationis causæ resistere. Eodem planè modo vehementissimum cordis incēdium magnam frequentemq; reddet respirationem, nisi vehementissimus dolor obstiterit. Quemadmodum & perfrixionis affectus paruum simul & rarum spiritū efficiet: nisi furibūda quadam insania coërceatur. Nam si mediocris ipsa extiterit non poterit perfrixionis respirationem demoliri: quēadmodum in proposita fœmina cōtigisse videmus: quæ non multum sanè delirauit. Nam Græcè habet Hippocrates: παράφορος, quæ dictio non magnā significat mentis cōmotionem: sed eam potissimum, quam nōnullis adesse videmus, cum à somno excitantur: deinde confestim quiescentem, atq; sedatam: quemadmodum huius libri sectione tertia scriptum habetur: κωματώδεες ἦσαν, παράφοροι δὲ ἐξ ὕπνου τοιοῦτοι ἐγίνοντο, ὅτε δ' ἐγερθεῖεν κατενόουν πάντα. id est. Cωmatosi erant, deliri, hi autem ex somno talia patiebantur: nam dum excitarentur rectè sapiebant. Quin & libro de morbis popularibus quarto idipsum apertissimè docet: in ea qui apud Medosadē habitabat. Inquit enim: κωματώδης παραφερόμενος ἐξ ὕπνου, οὐκ ἐξεμάνη. Cωmatosus, delirus ex somno, non admodum delitauit.

Spirādi difficultas quænam dolorē sequatur.

Incēdium cordis cuiusmodi poscat respirationem: cuiusmodi etiā perfrixionis affectus.

παράφοροι qui dicātur Hippocrati.

Hæc omnia

Hæc omnia satis apertè docent, nõ semper delirantes magnũ simulq; ex longis interuallis reddere spiritum. Quanquam omnes qui talem spirandi habuerint speciem, delirare necessariò depræhendantur. Nec mirum propterea erit si in hac proposita muliere spiritus rarus, & paruus fuerit, cùm perfrixionis affectus, delirij affectionem omninò superasset. Satis mihi videor expositoris munus absoluisse: non potuit enim nõ in maximam accrescere orationem huius difficillimæ Hippocratis historiæ interpretatio. Qui verò plura de hac re discere voluerit, legat de spirandi difficultate Galeni commentarios: per quos & nos impræsentiarum profecisse ingenuè fatemur.

τὰ ἀμφὶ φάρυγγα ἑτερόῤῥοπα, ὁρμήσαντα οὐκ ἐφλκώθη, ἐπὶ τὰ ἀριστερὰ μετῆλθεν ἀκρίτως.

24. Quæ circa fauces in alterutram partem cùm impetu repebãt, non sunt exulcerata: ad sinistram partem se conuerterunt: in splenem dolor venit citra iudicationem.

Quidnam sibi velit in hac parte Hippocrates, nõ facile dictu est. Cùm nihil habeat luminis hæc oratio: sed ex his esse videatur, quæ data opera per ænigmatis modum proponũtur. Nam quod dixit τὰ ἑτερόῤῥοπα ὁρμήσαντα, *id est aliò fluentia cũ impetu, significare videtur humorũ præ tenuitate, ac acrimonia celerrimam in varias partes, vltrò citroq; motionẽ: quales affectiones* ὀργᾷν *i. turgere dixit in aphorismis. Sumpta ex lasciuiẽtibus animalibus metaphora. Quo enim tempore, genitales partes pruriũt, nõ possunt eodẽ in loco consistere: sed veluti furijs agitata feruntur cũ impetu. Quibus ergo circa fauces huiuscemodi humores ferebantur, nõ quiescebãt: id enim est,* οὐκ ἐφλκώθη, *id est. non sunt exulcerata. Quæ enim exulcerata sunt humoris effluxum in parte ipsa pertinacius hærentem ostendunt. Confestim igitur ad sinistram se contulerũt partẽ (quæ erat humoris inquietudo) in lienemq; dolor venit, citra iudicationẽ. Quòd fortasse expectaret Hippo. solutam iri affectionẽ lienis dolore. Quod tamẽ haudquaq̃ contigit. Hæc sunt quæ mihi visus est Hippo. significare voluisse. Nam si aliud quidpiã ipse mente seruabat, non possumus nos in illius coniecturam venire: neq; ob hãc causam nos quisquam accusare iurè potest. Cùm multa in Hipp. sint, potissimũ in his vulgariũ morborũ libris quæ ne Galenus ipse intelligere potuerit: sed ingenuè fateatur se ignorare. Cæterum cõmonendi sumus fauces Græcis* φάρυγγα *appellatas, internã significare oris amplitudinẽ, quæ gulæ ac gutturi cõmittitur. guttur verò, quẽ* λάρυγγα *dicũt supernam asperæ arteriæ partẽ. Quanq̃ cùm sæpe nomina hæc confundantur, potuit Hippo.* φάρυγγα *dixisse totam tracheæ arteriæ substantiã intelligens: nisi accuratius, aut potius* περιεργοτέρως *cũ Suda dixeris,* φάρυγγα *fœminei sexus fauces significare, masculini verò guttur: idẽ inquã quod* λάρυγξ.

Fauces Græce φάρυγξ quæ dicantur.

Ἱέρωνι ἐκρίθη πεντεκαιδεκαταίῳ.

25. Hieroni iudicatio facta est decimaquinta die.

Rarum sanè iudicium hoc est: neq; multoties in morbis contingens: simile illi, quod quarto de morbis popularibus libro recenset, mulieri cuidam quæ in Bulagoræ villa febricitare cœperat ex splene, contigisse. Nam decimaquinta die sudauit cum rigore: qui sudor cùm non esset in die admodum fœlici factus, non potuit salutarem sortiri euētum. Statim enim tota pallida facta est valde: faciesq; circūtendebatur, atq; retrahebatur. Id vnum duntaxat animaduertito, in morbis acutis potissimum his, qui per impares dies exacuuntur, maiorem multò iudicationis vim in decimoquinto die consistere, quàm in alio quouis pari die. Sed morbi nunquam eo die iudicantur, quoniam vehementissimi motus huiuscemodi omnes sunt: atque septimum diem maxima ex parte terminum habeant. Nam qui ad quartumdecimum, aut vigesimum protenduntur, hi cùm longiores quodammodo sint, per pares dies maxima ex parte excandescunt. Quo fit vt cùm nullus eorū, qui per impares dies acuuntur morborum ad decimumquintum diem protendatur, irritus sanè sit ad iudicandum huiuscemodi morbos hic dies: alios verò qui per pares acuuntur si iudicet non potest ea frugi esse indicatio: quoniam vi aliqua euenisse non morbi ipsius natura potuit.

In morbis qui per impares dies habēt accessiones maiorē vim habet decima quinta dies quauis alia pari.

Τῇ κώᾳ ἀδελφαίῃ, ἧπαρ ἐπήρθη, σπληνικὸν τρόπον, ἀπέθανεν δὲ δευτραίη.

26. Coi sorori iecur elatum est lienico modo. Obijt hæc secunda die.

Intumescit quidem atq; attollitur iecur, non vna duntaxat affectione, sed multas sanè ob causas, quarum vna inflammatio est: alia sacer ignis: rursus alia scirrus: iam verò ob flatuosam quandam dispositionem in maximam molem excreuisse est visus: quin & ob obstructiones ipsas, ex humoribus lentis, ac glutinosis decumbentibus ad venarum capita, quæ eius sunt propagines, quam portas nominant. Cæterum hæc omnia tum tactu, tum etiam grauitatis quodam non obscuro sensu facilè depræhendi possunt. Inter se tamen proprijs quibusdam indicijs distingui debent: obstructiones quidem, ac scirri, quòd solum grauitatis sensum inferant, flatuosi verò spiritus turgescētia, qui qua se explicet non inuenit, præter grauitatis sensum, etiam tensionem infert euidentem. At erisipelas, & inflammatio acutissimū quendā dolorem: hoc inter se differentibus vtrisq;, quòd inflammatio pulsationē quandam in iecore exsuscitet: sacer verò ignis dilaniantem dolorem: tanquam si acutissimo ancipitique iecur gladio raderetur. Quanquam hæc, erisipelas (inquam) & inflammatio multa simul accersant sæuissima symptomata: sine quibus consistere ipsa neutiquam possint. Itaque inflāmatio si gibbam iecoris partem obsederit,

Iecoris tumoris causæ.

quod

quod ipſa ad extimam partem magis vergat, facilius etiam tactu depræhendi poteſt. Nam tumor in dextra præcordiorum parte globo ferè ſimilis conſpicitur. Qua in parte etiam grauitas quædã ſentitur: ac dolor tanquã de induſtria totum conuellens dextrum præcordiũ, interdumq; dolor vſq; ad claui culam videtur aſcendere: tuſſiſq; quædam non magna exagitat: ac color linguæ per initia rubicundior eſt: deinde verò iam denigratur. Quin & vehemẽs quædam inappetentia ſuccedit: ſitiſq; inexhauſta: & vomitus quidam bilis ſyncere, ac vitellum oui colore referentis: quæ ſenſim in æruginoſam tranſmutetur. Quod ſi potius in ſima parte conſiſtat inflãmatio, difficilius ſanè (quòd ad tactum pertinet) deprǽhendi poteſt: cùm internæ iecoris, deliteſcenteſq; in vẽtris cauitate partes, non facilè tumorẽ foras efferant. Sed quòd ad inappetentiam, nauſeamq;, ac vomitus bilioſos, & vehementem ſitim attinet, multò habet vehementiora: non tamen perinde quòd ad tuſſiculam, ac clauiculæ dolorem ſpectat. Nam hæc in gibba parte inflãmatione oborta tanquã vi quadam deorſum cõuelli videtur. Verũ enimuero id eos admonitos velim, qui hãc in ægrotis ſunt tractaturi affectionẽ; ne obliuiſcãtur, vt Galenus ſanè nunq̃ eſt oblitus, inflammationẽ prius cognouiſſe, quæ in externis abdominis muſculis frequenter ſolet oboriri, paſſim per imperitiam medicum deludere potens: quòd in iecore externam affectionẽ firmari arbitretur. Ad quam rem multum mehercule contulerit, quæ ex anatomica adminiſtratione pendet cognitio: in qua & ſeriem & ſitum abdominis muſculorum edocemur. Huiuſmodi ergo iecoris inflãmationes pro viſceris dignitate, ac præſtantia ſuſpectæ admodũ ſunt: atq; interdum ab his delirij noxa impẽdet: propter tum ſepti tranſuerſi, tum oris ventriculi confinium, interdũ verò ſingultum atrociſſimum inferũt: quem vidimus aliquando ægrotum propemodum ſtrangulaſſe. Cùm igitur ex nulla alia iecoris affectione, aqua vehementer attolli poteſt iecur ipſum, tam acerbas noxas oriri videamus (nam quanquam ex ſacro igne grauiora interdum contingant, quemadmodum per cauſos nominatos, tamen iecur non adeo in eriſipelate intumeſcit) iure optimo Coi ſorori iecur eleuatum fuiſſe, graui, atrociq; affectione putandum eſt: quæ ipſam ſymptomatum ſæuitate, ſecundo die de medio tolleret. Hanc autem ipſam fuiſſe inflammationem credi poteſt: nam neq; flatuoſus affectus, neq; obſtructio aliqua, aut ſcirrus hominem tam celerrimè interimere potuiſſet.

Ἱnflãmationis iecoris inditia.

Βίων ἅμα τε οὖρε ὑπέρπολυ, καὶ ἀνυπόστατον, καὶ αἷμα δὲ ἀριστερῶ. ἦν γὰρ καὶ ὁ σπλὴν κυρτὸς, καὶ σκληρὸς, καὶ ἄνω, περιεγένετο, ὑποστροφή.

27. Bion ſimul copioſè mingebat ſine ſedimento, & ſanguis de ſiniſtra nare fluebat. Erat enim lien gibbo elatus, ac durus, ſurſumq; tendens: ſuperſtes fuit. Recidiua.

L ij Ex his

Ex his quæ hactenus scripta sunt, quiuis facilè assequatur, non immeritò Biona hunc superstitem euasisse: cùm facta in ipso iudicatio ex vsu esset. Nam & copiosam reddidit vrinam: & sanguis è directo laborantis visceris effluxit. Sed quòd vrina perturbata esset sine sedimento, non aliam potuit ob causam contigisse, quàm quòd natura, obsidentem lienem humorem tenuiorem factum, ad vrinæ vias ac meatus veluti manu duxerit: qui vrinæ interturbaret consistentiam. Quod sanè mirandum esse videtur: cùm non illac, sed per secessum potius soleat id viscus expurgari. Id igitur Hippocrates annotatione dignum existimauit: quoniam ex eorum sit genere, quæ rarò admodum eueniunt: ac fortasse per se non possit lienis morbos demoliri. Idcircoq; auxiliarem sibi poposcit sanguinis de sinistra nare profluuium: sine quo nihil vtiq; potuisset perficere. Neque tam exactè potuit illo etiam munifice, ac σωφρ γῶ *morbum propulsare, quin leuis etiamnum ex humoris fecibus, quæ extenuari satis non potuerunt, recidiua oriretur. Quare in his quæ perquàm rarò vsu venire videmus, natura imitanda à nobis non est. Ipsa enim vias, meatusque nobis ne per somnũ etiam excogitatos optimè nouit: vt per ossa interdum morbificam materiam transsumi faciat. Non igitur Bionis exemplo in huius visceris affectionibus vrinam frustrà, citraq; vsum aliquem mouere conemur: irritum nanq; votum nostrũ fuerit. Sed ad aluũ potius morbosam, noxiamq; materiam transferamus: si quidẽ superior visceris pars fuerit affecta, per ea quæ eduntur, ac bibuntur: si verò inferior, per ea quæ intestinis infunduntur. Neq; perinde in hoc, atq; iecore simæ partes per secessum, gibbæ verò per vesicam vacuantur. In eo nanq; quoniã per simas partes vena (quas portas vocant) in tenuissimas propagines disseminata fertur ad intestina singula, multifariam dissecta pertingens: potest sanè leui momento quod in simis partibus continetur, facilè deorsum ad intestina transferri: quod si ad vrinam se conferre deberet, longè maiori egeret negotio: tum quia intercapedine maiore vesica distat, tum quia nõ facilè per eas, quas vocãt medici* συναναστομώσεις *quæ in medio iecore qua portæ, nominatæ propagines, cùm cauæ venæ tenuissimis segmentis cõmittuntur, continẽtur, transuehi posset. Rursus verò quod in supernis, gibbisq; iecoris partibus contentũ noxam iecori inferat, id minore negotio per cauæ venæ ramos ad renes perductũ, tanq̃ in lagenam per vreteres meatus in vesicam demittetur: cui etiã perinde esset graue si ad aluum transferri cogeretur. In liene autẽ, quoniam propemodũ venæ omnes ex ea (quas portas nominant) habeantur: nullũ sanè commodum accessurum sit, si contempta penitus cõpendiosa, rectaq; via, ad vesicæ regionem materiam transferre tentemus. Atqui idipsum adnotauit Galenus. (nunquam enim vel latum vnguem volumus ab huius sententia desciuisse) therapeutices methodi lib. 13.*

Lien non per vrinas sed per aluũ potius solet expurgari.

Gibba iecoris quæ soleant expurgari, ac caua item.

Ἀπὸ δὲ

Ἀπὸ δὲ τῆς εἰς τὰ παρακείμενα κοινωνίας, ὅπερ ἐστὶ ταὐτὸν τῇ θέσει, τὰ μὲν κυρτὰ τοῦ ἥπατος ἐκκαθαίρεσθαι διὰ νεφρῶν, τὰ δὲ σιμὰ διὰ τῆς κάτω γαστρός. ἐπὶ δὲ σπληνὸς, τὴν ἑτέραν εἶναι μόνην κένωσιν τῶν περιττῶν, ἡ γὰρ ἐπὶ τοὺς νεφροὺς, οὐκ ἔστι τούτῳ τῷ σπλάγχνῳ, διὰ τοῦτ' οὖν ὅταν φλεγμαίνῃ τοῖς καθαρτικοῖς ὀνομαζομένοις φαρμάκοις ἐρεθίζομέν τε καὶ διαρρύπτομεν αὐτὸν, ὅπως μεθίῃ καὶ χαλάσῃ τὰ περιττά. id est. *Ab ea verò quæ est cum vicinis partibus societate, quæ in idem sanè recidit cum situ particulæ, & illa etiam sumuntur: quòd gibba iecoris pars, per renes expurgatur: sima verò per inferiorem ventrem. In splene tamen alteram superesse solam superflui vacuationẽ, cùm ea quæ per renes agatur, huic visceri non fuerit concessa: proinde vbi phlegmone premitur, deiectorijs nominatis medicamentis ipsum tum lacessimus, tum detergemus quo remittat, deponatq́; superuacua. Deinde verò inferius paulò:* καθάπερ οὖν ὁ μὲν σπλὴν, καὶ τὰ σιμὰ τοῦ ἥπατος ἐκκαθαίρεται διὰ τῶν ἐντέρων, οἱ νεφροὶ δὲ, καὶ τὰ κυρτὰ τοῦ ἥπατος διὰ τῶν οὔρων οὕτως ὁ θώραξ, ὅταν γε τὰ ἔνδον αὐτοῦ φλεγμαίνῃ, κατὰ τὸν ὑπεζωκότα, μεθίησι πρὸς τὴν μεταξὺ χώραν ἑαυτοῦ καὶ τοῦ πνεύμονος. id est. *Quemadmodum igitur lienis ipse, & sima iecoris pars expurgantur per intestina, renes autem & gibba iecoris per vrinas, ita & thorax si qua corripiatur interius inflammatione per subcingentem costas membranam transmittit, nescio quid in mediam ipsius & pulmonis regionem. Id voluimus latius adnotare propter vulgarem medicorum imperitiam, qui lienis tum inflammationes, tum obstructiones, aut scirros diureticis medicamentis sanare frustrà contendunt.*

Diuretica medicamenta lienis affectibus nõ conducunt.

Ἦν δὲ τῶν κυναγχικῶν τὰ παθήματα τοιάδε. τοῦ τραχήλου οἱ σπόνδυλοι ἔσω ἐρρέπον, τοῖσι μὲν πλέον, τοῖσι δὲ πέλας, καὶ ἔξωθεν ἔγκοιλον ἔχων ὁ τράχηλος, καὶ ἤλγει ταύτῃ ψαυόμενος.

28. Erant autem anginosorũ affectiones huiuscemodi. Colli vertebræ introrsum vergebant: quibusdam magis, quibusdã minus: ac foris conspicua apparebat in collo cauitas: qua parte si tangerentur debebant.

Grauissimum quoddam morborum genus, quod in pestilenti quadam, atrocique constitutione passim vulgaretur, recenset impræsentiarum Hippocrates: per quam plerīq; ferè omnes angina corriperẽtur. maleq́; ab ipsa afficerentur. Eam autẽ (quod rarũ admodũ inuentũ est) ex vertebrarũ ceruicis luxatione originẽ duxisse scribit. De more sanè anginam vocans, omnem quæ gutturi, ac faucibus ita molesta est affectionẽ, vt & spirandi difficultatẽ pariat, & sensum etiam quendam angustationis manifestũ in gutture inferat. Quemadmodũ in præsagijs fecisse videtur, in hũc scribens modũ: αἱ δὲ κυνάγχαι δεινόταται μὲν εἰσὶ, καὶ τάχιστα ἀναιροῦσιν, ὁκόσαι μήτ' ἐν τῇ φάρυγγι, μηδ' ἐν ἐκ-

Omnẽ qui difficultatẽ spirandi vnà cũ faucium angustatione pariat affectum, anginam Hippo. nominat.

δῆλον ποιέουσιν, μήτ᾽ ἐν τῷ αὐχένι, πλεῖστον δὲ πόνον παρέχουσιν, καὶ ὀρθοπνοίαν. αὗται γὰρ καὶ αὐθήμερον ἀποπνίγουσιν, καὶ δευτεραῖαι, καὶ τριταῖαι, καὶ τεταρταῖαι. *id est. Anginæ grauissimæ quidem sunt, & celerrimè perimũt, quæcunq; neq; in faucibus, vllum ostendunt vestigium, neq; in ceruice. Hæ nanq; multum facessunt negotiũ, cum spirandi difficultate, quæ recta ceruice fiat: eadẽ interdum qua corripuerint die, aut secunda, aut tertia, aut quarta strangulantes.* Nos verò qui rem ipsam interdum negligimus, nominũ autem sumus maximè soliciti, solam faucium, aut gutturis inflammationẽ, anginæ nomine dignam censemus: commentiq; insuper curiosas admodũ distinctiones sumus: quibus κυνάγχην, παρακυνάγχην, συνάγχην et παρασυνάγχην distinguamus. Atqui Hippocrates legibus à nobis latis non obstringitur: sed pro arbitrio, interim quidem συνάγχην, interim verò κυνάγχην nominat. Neque enim refert quibus nominibus vtaris, tantisper dum rem ipsam optimè intelligas. Quod si mordicus adeò nominibus addictus sis, vt propterea Hippocratem accuses, quòd non sit in his seruandus tua vsus περιεργία, demẽtia sanè fuerit: præsertim si tute ipse nominum ipsorum vsum lege quadam sanxeris; quemadmodum Vesalius (eruditus sanè homo, sed nasutior paulò) passim Galenũ accusat: quòd non rectam nominum rationẽ in ossium compage sit persecutus. Cùm ne ipse schemate Galeni vtatur: sed sibi nouum quoddam aliud effinxerit, arbitrarium sanè, quales sunt omnes de nominibus contentiones, cui innixus Galeni sententiã euertere contendit: nullis planè adiutus rationibus, quas in re liberè dicta nullus vnquam inuenire posset. Quid enim quæso refert, si vertebrarum mutuam applicationem γίγγλυμον, vt Galenus voluit dixeris, siue ἀρθρωδίαν potius, dum rectè intelligas quomodo hæ ipsæ inter se cõmittantur, quamq; ab alijs ossium concursibus dissideant. Cæterum hæc in alium locum reijcienda sunt: quæ verò ad institutũ conducunt fusius pertractanda. Multis sanè modis contingit suffocationis periculum inferentem affectionẽ, simulq; spirandi difficultatem suboriri: interim quidem cùm fauces fuerint inflammatione obsessæ: quas (vt ante diximus) intelligimus esse, gulæ ac gutturi præiacentem oris partẽ: eam nimirum quam luculenter cernimus, aperto ore, linguaque deorsum impulsa euidentem amplitudinem: in qua gemina ostiola, tum gulæ, tum gutturis videntur. Interim verò citra conspicuam aliquam in his partibus inflammationem: neq; aliquo in externis partibus suborto tumore, sensus quidam strangulationis ab ægrotantibus persentitur, in interna gutturis parte. Est & cùm exterior faucium regio inflammata in talem deducat ægrotum angustiam vt strangulari videatur. Præterea potest etiam faucium pars externa perinde planè affici, atq; superius internam eius partem affectam dicebamus: ex quo in discrimen suffocationis perducamur. Has ergo quas hactenus tradidimus

Vesalius acerbius paulò, aut verius procacius Galenũ accusat.

Quot modis contingat suffocationis periculum suboriri.

anginæ

anginæ species, ita nominibus distinctas nõnulli volũt, quẽadmodum Paulus ac alij plures, vt prima συνάγχη nominetur: secunda verò κυνάγχη per cappa tertia verò παρασυνάγχη per sigma: ac postrema παρακυνάγχη per cappa: quam curiosam nominum distinctionem, non admodum libenter admittit Galenus. Sed addenda etiam huius differentia alia non minus præcipua: quæ ex luxatis in anteriorem partem verticulis oriri solet: quam in hac parte percenset Hippocrates: cuius causam nos imprimis sumus reddituri. Equidem luxari vertebras posse tum ictu robusto, tum ex elatioris alicuius loci præcipitatione, nullus sanæ mentis dubitare potest. Quod non accidisse his qui per vulgatam hanc anginæ constitutionem laborarent credere operæpretium est: sed ex interna aliqua prægressáq; causa, fuisse affectos est existimandum: tuberculis nimirum quibusdam duris, ac robustis, circa vertebrarum colli compagem enascentibus; quæ sensim introrsum verticulorum etiam ossa traxerint: quod & ab Hippocrate ipso dictum fuisse animaduertimus, in libro de articulis, in hunc modum. Σφόνδυλοι δὲ οἱ κατὰ ῥάχιν, ὅσοισι μὲν ὑπὸ νοσημάτων ἕλκονται ἐς τὸ κῦφον, τὰ μὲν πλεῖστα ἀδύνατα λύεσθαι. id est. Vertebræ autem quæ in spina sunt, quibuscunque trahuntur à morbis in gibberum, magna ex parte solui non possunt. Cumque quinam sint hi morbi deinde narraret (inquit) φυματίαι τε ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ κατὰ τὸν πνεύμονά εἰσιν, οἱ τοιοῦτοι σκληρῶν φυμάτων καὶ ἀπέπτων. καὶ γὰρ ἡ πρόφασις τοῦ κυφώματος καὶ ἡ ξύντασις τοῖσι πλείστοισι διὰ τοιαύτας συστροφὰς γίνεται, ἧσιν ἂν κοινωνήσωσιν οἱ τόνοι οἱ σύνεγγυς. quod est Huiusmodíque, tuberculis secundum pulmonum regionem duris, ac incoctis, maxima ex parte affecti sunt: nam gibberi causa, ac contentio plurimis ob has collectiones fiunt: quibus etiam communicant & nerui vicini. Perspicuè sanè ostendens gibbositatis, aut incuruationis causam, eius quæ in dorsi vertebris consistat (nam de illa agebat in prædicta oratione Hippocrates) panos quosdam tuberculáque esse: quæ possint vertebrarum ossa ad se trahere, ac loco dimouere. Nam & Galenus dum propositam à nobis interpretatur sententiam, in hunc modum scribit: οἷς μὲν τοῖς ἄνω τῶν φρενῶν ἐστὶ τὸ κύφωμα, τούτοις κατὰ τὸν πνεύμονα τὰ φύματα φησίν, ὡς τὸ πολὺ γίγνεσθαι. δῆλον οὖν ὅτι καὶ οἷς ἐν ὀσφύϊ τὸ κύφωμα ᾖ, καὶ τούτοις ἐν ταῦθα τὰ φύματα συνίσταται. i. Quibus supra septũ transuersum est gibberus, tubercula in pulmonũ regione esse dicit, maxima ex parte. Constat igitur vt quibus in lumbis gibberus sit, his ea in parte tubercula nascantur. Pari ergo ratione quibus & in collo constiterit, his ipsis istic etiam tubercula suborta fuisse sit existimandum: quod & Galenus ipse alibi docuit: & Hippocrates confirmare in hac prbposita sententia inferius paulò videtur: vbi sputa concocta reddita à nonnullis fuisse scribit: quod alia nõ potuit fieri ratione, quàm quòd tubercula ipsa cõcoctionẽ indepta fuerint.

Pani crudiq; abscessus in interna spinæ parte suborti luxare possunt verticula.

Porrò autē qua ratione tubercula huiuſcemodi trepidare verticula cogant, tandemq; loco etiā dimoueri, ac luxari nō leuem ſanè aliquam habet animaduerſionem. Nonnulli nanq; arbitrati ſunt, vt Galenus in commentarijs libri de articulis adnotauit: apud ſpinam ipſam oriri cruda quædam, ac rigida tubercula, quæ diutius impacta duritiem oſſeam cōtrahere poſſint: à quibus in poſteriorem partem vertebræ propellantur: atq; ita gibberus fiat, nō animaduertentes planè, quod eſt ab Hippocrate dictū, quibus per morbos vertebræ ſpinæ trahuntur in gibberū, cùm longè aliud ſit trahi vertebras, quàm propelli: potiſſimum cùm hoc ſit planè incredibile, ita poſſe tubercula præ duritia rigere, vt non ſināt vertebrarum oſſa ſua amplius in ſede commorari. Quin nec ſtantibus, aut ſedentibus nobis, aut in latus iacentibus, talem fieri propulſionem contingit. Quare vertebrarum oſſa per huiuſcemodi affectus, neq; contorqueri, neq; à tuberculis trahi credendum eſt: ſed affectus hic primum ſanè ad copulas ligamentaq; vertebrarū ſpectare videtur. Cùm ergo diutius tuberculum aliquod in ſpinæ regione perſtiterit, ſenſim incrementū capeſcens, tanquam pēdere, deorſumq; vergere tandem eſt neceſſum: ac ſecum etiam vertebrarum ligamenta trahere ac nexus: quibus conſecutione quadam vertebræ obſequantur. Quod ſi in vna tantū parte ſubortum ſit tuberculum, ea duntaxat parte introrſum vertebra retracta, quo ante diximus modo, luxationis genus quoddam ſubſequetur, quod proprio nomine λόρδωσιν vocāt. Sin autē

λόρδωσις quid ſignificet propriè.

non vno, ſed multis in ſpinæ locis tubercula fuerint, inter quæ medio loco vertebræ aliquot ſint poſitæ, trahentibus tuberculis eas quibus innitūtur introrſum, medias omnes curuari neceſſum eſt. Perinde quidē ac ſi quis arcū quendam de cornibus apprælēdens, in vnū locum ea deducere niteretur: ita enim mediam ipſius partem vehementer curuari videbimus. Eſt igitur huic luxationi nomen, κύφωσις, id eſt, recuruitas. Quod ſi dura, & incocta tubercula,

κύφωσις quid ſit.

non antrorſum apud ſpinam reſideāt, ſed ad latera potius, atq; prædictis modis ad obliqua vertebrarū oſſa conuellant: propriè hæc σκολίωσις fuerit. His igitur tribus modis conuelli poterūt, aut luxari, quæ ſunt in ſpina verticula: aut in anteriorem, ſiue intimam partem, quod idem planè eſſe Galenus adnotauit (quanquam eo non egeremus monitore, in re tam perſpicua) aut in extimam, ſeu poſteriorem partem, aut in altera obliquè. Adhæc tamen adieciſſe oportet quartum quendam alium affectum earū, quæ ſunt in ſpina vertebrarum: cùm compages laxiores titubare, trepidareq; potius, quàm loco abſcedere verticula cogant: qui affectus propriè σεισμὸς, id eſt, cōcuſſio nominatur.

σεισμὸς q̄ affectio vertebrarum ſit.

In propoſita igitur oratiōne (vt ad eam tandem poſt multam fluctuationē redeamus) ſi quid loco dimotū, ob inſignem breuitatem hebes aliquod ingeniū poſſit remorari, refecturi ſumus. Scribitur ergo ipſa in hunc modum, ὧ δὲ τῶν

κυναγχε

κυναγχικῶν τὰ παθήματα τάδε. *id est. Erant autem anginoſorum affectiones huiuſcemodi: Anginam ſanè, vti diximus, intelligens, quamcunq; reſpirationi noxam inferentem affectionem.* τοῦ τραχήλου οἱ σπόνδυλοι εἴσω ἔρρεπον. *id est. Colli vertebræ introrſum vergebãt: quod eſt, luxabantur in anteriora, quem affectum* λόρδωσιν *iam nos diximus nuncupari. Id autẽ pro cauſæ efficientis magnitudine quibuſdam magis, quibuſdam minus fiebat.* καὶ ἔξωθεν ἔγκοιλον ἔχων ὁ τράχηλος. *i. Ac foris manifeſta apparebat in collo cauitas, quod maxima ſanè cum ratione dictũ eſt: nam retracta in anteriorem partem vertebra neceſſum certè erat, in ceruice conſpicuam aliquam cauitatem exoriri: pro ratione etiã maioris, aut minoris luxationis. Qua in parte aduertẽdum eſt, repoſitum fuiſſe hunc locũ ex Gale. libro de affectis locis quarto: nõ enim* ἔσωθεν, *ſed* ἔξωθεν *(lubrico ſanè lapſu) legẽdum eſt.* καὶ ἤλγει ταύτῃ ψαυόμενος. *id eſt. Qua parte ſi tangerentur dolebant; tum quòd introrſum magis vertebra labaſcens impellebatur: tum etiã quòd attritis per vertebræ impulſum magis neruis, ac ſpinali medulla, grauiſſimus quidam doloris ſenſus exoriebatur: potiſſimum in his partibus, quæ lege conſortij magis afficiuntur.*

Ἦν δὲ καὶ κατωτέρω τινὶ τῷ ὀδόντος καλεομένου ὀστοῦ, ᾧ οὐχ ὁμοίως ὀξὺ δεινόν. ἔστι δ' οἷσι καὶ πάνυ περιφανὲς, μέζονι περιφερέῃ, εἰ μὴ ξὺν τῷ ὀδόντι καλεομένῳ φάρυγξ οὐ φλεγμαίνουσα, κειμένη δέ.

29. Erat autem & inferius cuidam oſſe, cui denti nomen eſt: neq; huic perinde fuit acuta. Quin & quibuſdam valdè cõſpicua, maiore circunferentia, ſiquidẽ cum dente vocato fauces non eſſent inflammatæ, verùm iacentes.

Si quis in anatomica adminiſtratione ſedulò ſe exercuerit, liquidò aſſequetur quæcunque ab Hippocrate tradita in præſentia ſunt: nulloq; negocio quantum veritatis contineant perpendere poterit. Ergo ne fortaſſe quæ quiſpiam aliâs perfectè edoctus; (quod iam memoria exciderint) remorari ipſius ingenium poſſint, obiter ac craſſa Minerua, quæcunq; ex anatomicis conſiderationibus huc trãsferri cõmodè poterũt, nos in hac parte transferemus. Monſtratum ſanè inibi eſt animalium omnium ſpinam (ῥάχιν *Græci dicunt) ex vertebrarum inuicem connexione conflatam fuiſſe: atq; harum nonnullas ad ceruicem (quòd ſpinam ipſi reſpondentem conforment) ſpectare: alias verò ad dorſum: quemadmodum rurſus alias ad lumbos. Eſſeq; ceruicem cõſtituẽtes vertebras, numero quidem ſeptem: dorſi verò duodecim, lumborum deniq; quinq;, poſtmodum oſſis ſacri à magnitudine vocati, quoniã Græci olim magna* ἱερὰ *vocabant, ſupereſſe ex ſex non adeò conſpicuis vertebrarũ adnexionibus conflati, amplitudinem. Nobis autem impræſentiarum ſat quidem fuerit, quæ ad ceruicis colli'ue vertebras attinet indicaſſe compagẽ: vt quomodo*

nerui per ipsas emergant intelligentes, citra negotium eorũ quæ Hippocrates tradidit reddere rationem possimus. Id primũ attentè seduloq; te animaduertisse oportebit: naturam non temerè sed magno cum cõsilio inferiores omnes vertebras maiores effecisse: quoniam id quod defert, eo quod defertur maius robustiusq; esse fuerit operæpretium. Ita sanè sacrum ipsum os, ad basim omnibus vertebris expositum, maximũ natura efformauit: reliquorũ verò vnũquodq; tantò osse sacro minus quantò longius ab eo est sepositum. Quapropter ceruicis ossa alijs omnibus iurè optimo, minora multò esse debuerunt: inter ipsa tamen quæ caput primum fuerant exceptura, alijs paulò grandiora meritò euaserunt. Qua parte neq; suæ natura industriæ oblita fuisse videtur: siquidem multis de causis ita cõmodè rem habituram, recta ratio docet. Tum quod pyramidis fastigium tutò non possit rotũdum corpus aliquod excipere, nisi hebetatum vtcunq; in aliquam degeneret amplitudinẽ, tum etiam quòd spinali medullæ per spinam descensuræ pro magnitudine vertebrarum foramina erant efformanda. Quam qua primum parte descendit ex cerebro crassiorem multò quàm continui decrementi exigat ratio esse videmus. Nõ enim semper vno tenore paulatim decrescit: sed aceruatim iuxta secundam potius vertebram. Quo fit vt non iustitiam æquitatemq; colentis sit opificis amplissimo foramine tenuissimum ac pusillum os pertundere: neq; eius qui animalis vtilitati consuluisse credatur. Nam ita sanè facili causa abrumperetur. Vt igitur medullæ amplitudini foramem posset respondere, crassiorem paulò factã fuisse primam vertebram est operæpretium: atque item secundam. Sed vt iam ceruicis vertebrarum mutuum connexum, peculiaremq; formam persequamur: primum sanè occipitij ossis figura erit animaduertẽda. Est quidem

Occipitij ossis figura.

id os satis robustũ infima sui parte crasso quodam foramine descendenti medullæ peruium: vtrinque habens ad latera tuberculum vnum, in cauitates primæ vertebræ, vtrinq; etiam implantatum: robustoq; quodam ligamẽto obfirmatum: media autem inter hæc duo tubera parte, quæ ad anteriorem spectat regionem, aspera quædam veluti excrescentia in ipso occipitij osse cernitur: quæ dentiformem secundæ vertebræ processum forti quodam ligamento cõtineat. Quin & ad posteriorem vtriusq; tuberculi regionem sinus quidam leuiter cœlati conspiciuntur: qui vtrinq; cum alio primæ vertebræ sinu foramen efformarent per quod primi coniugij nerui ex spinali medulla prodirent. Præterea prima ceruicis vertebra longè aliam quàm cæteræ formam adepta est: maioriq; insuper foramine est prædita: quoniam per illam spinalis medulla illapsura multò quã alibi (vti iam dictũ est) sit crassior vegetiorq;. Vtrinq; hæc sinum habet vnum leuiter quidem in transuersum insculptum: quemadmodũ & occipitij extuberãtes vtrinq; partes in rotunditate oblongæ cernuntur:

cernuntur: quæ cùm ſe in has primæ vertebræ cauitates inſinuent, vel cœcus etiam dijudicabit in gyrum motionem non alibi quàm in hac prima ceruicis vertebra obiri. Nam & ſi repoſita vtcunq; ſupra primam vertebram caluaria manum leuiter admoueas, nullo ſanè negotio videbis circuitionis motũ in ea perfici: imò quod magis mireris, veluti motionis facilitate trahẽte, manus in huiuſcemodi in gyrum cõtortionem propemodum ſuaderi, ne dicam impelli. Quam rem cùm penitiſſimè Galenus (rarum naturæ miraculum) fuiſſet ſcrutatus, non immeritò in eos nimis ſeuerus eſſe videtur, qui nõ in prima ceruicis vertebra, ſed in ſecunda potius hanc motus rationẽ perfici crediđiſſent: Quorum ſententia omnium planè falſiſſima adeò eſt ſtomachatus, vt ſibi ab atrociſſimis cõuitijs non temperauerit. Et mediusfidius omnis iam ſedatus erat tumultus: receptaq; Galeni ſentẽtiæ omnes applaudebant: tandẽ neſcio quis deus Galenomaſtiga quendam Veſalium excitauit, natum planè ad calumniam hominem: qui nihil aliud ad ſingularũ partium vſus optimè capeſſendos ſibi ſuaſerit eſſe neceſſariũ, quàm oculata fide partes ſingulas tenuiſſe. Quod quanquã nõ ignorem maximi eſſe faciendum tamẽ non omnis in ea re ſpes reponẽda eſſe videtur. Sed ingenium imprimis liberum eſſe debet: neq; ad gloriam captandam comparatum: Deinde in optimis diſciplinis accedere debet à pueris inſtitutio, potiſſimũ in arithmetica & geometria vt Plato conſuluit. Quam rem profectò velim in abditiſſimis huius viri præcordijs intelligere: nam ore ipſo tenus ſcio iam ſe & μαθηματικώτατον prædicaturum, & omnium maximè veritatem ipſam inſectari: ſpreta prorſus quæ reliquos homines mouere ſolet ambitione. Id autem ſatis nõ eſt: nam & Theſalus ille ſe methodicum profitebatur: hocq; nomine non iuuentutem ſolum, ſed omnem propemodum plebem deludebat: cùm tamẽ ab omni eſſet methodo alienus. At per Iouem ſi homo hic non eſſet obcœcatus affectu, perpendere quidem debebat, vniuerſi opificẽ dum hominem conformauit, non fuiſſe oblitum vniuſcuiuſq; partis præſtantiã: ſed ſingulis partibus pro dignitate motus tradidiſſe quibus minus offendi poſſent. Cùm nullus interim ambigat, motum omnẽ partis firmitudinem demoliri: quod maximè in ſpina cauendum fuerat, propter medullæ intus deliteſcentis dignitatem. Cæterũ cùm non decuerit, vno continuo oſſe totam fuiſſe conflatam ſpinam (quanquam ad medullæ cuſtodiã foret imprimis cõducibile) decuit ſanè ſingulis eius partibus tales tradi motus, à quibus minimũ ſubiectæ medullæ partes affici poſſent. Atqui Veſalius ipſe non dubitauit aſſerere, digniſſimum totius corporis articulum, eſſe capitis cum prima vertebra connexionem: quæ ne minimo (vt ipſe ait) temporis momento paruam inclinationem ſuſtinet: multoq; minus exarticulationem, ac luxationem. An nõ vides hominis huius inconſultam rationem? qui cùm dicat

In gyrũ motio capitis in prima vertebra, nõ in ſecunda, vt falsò Veſalius putat, perficitur.

ne minimo quidẽ temporẽ, paruam inclinationẽ hũc articulũ ſuſtinere, tamen nõ vereatur, inclinationis, ac reclinationis autorem conſtituere? Longè igitur cum maiore ſapientia Gale. cũ videret in gyrũ motione (qua minimũ quæ in medio ſunt partes afficiuntur) minus poſſe etiam medullam, ea quidem parte nobiliſſimam lædi, tali motu ab opifice ſummo donatã eſſe voluit primam ad occiput articulationem. Plures ſanè ad hanc rem confirmandam adduci poſſent rationes: quas nos in hac parte libenter prætermittemus: ſolum commonuiſſe contenti medicinæ ſtudioſos, ne facilè prauis pſeudoiatrωn figmẽtis capiantur. Quod in hac parte futurum eſſe, haudquaquam ſpero: cum nullam ſanè leuis etiamnum momenti rationem, ad hanc firmandam ſentẽtiam quis afferre queat: ſed omnes planè ſint ridiculæ. Niſi quis adeò fuerit ingenio craſſo, vt vel leuiſſimis rationibus ſuccumbat: qualis illa certè eſt (in qua tanquam in ſacra quadam anchora Veſalius ſuam totam reponit ſpem) quòd nimirum prima tanquam ad cardinẽ ianua, ſupra ſecundæ vertebræ denti formem proceſſum videatur eſſe appoſita: atq; ita in gyrum volutari. Nam id profectò eſt, quod olim maiores in errorem traxiſſe videtur: qui primam vertebram στροφέα aut ἐπιστροφέα (quod eam volui in circuitum putarent) ſecundam verò ἄξωνα (quod quieſcere arbitrarentur) dixerunt. Sed eam ſententiam iam olim à Galeno exploſam, non eſt opus longa oratione à nobis refelli. Ad inſtitutum tamen redeundum nobis eſt: reliqua quæ ad primam ceruicis vertebram ſpectant, deſcripturis. Inter duos illos, quos nuper dicebamus ſinus, in quibus occipitij tubera recipiuntur, ad capitis, vt diximus, circumactionem, leuis quædam in anteriori parte cælatura, modicè caua eſt conſpicua: in quam ſecundæ vertebræ dentiformis proceſſus ſe inſinuat: qui rurſus appoſito per tranſuerſum ligamento detinetur: ne titubare poſſit, aut trepidare. Iam verò à lateribus vtrinq; quædam exceſcentiæ apparent: multò quàm aliarum vertebrarum proceriores, medio quidem in rectum ſpacio, foraminibus admodum rotundis pertuſæ: per quæ vena ac arteria penetrantes, ad caluariam elabuntur. At in poſteriori ſinuum parte, quibus occipitij tubera diximus applicari, veluti canalis quidam cernitur: qui cum eo quem in capitis protuberationibus diximus, viam primo neruorum coniugio parat. Hæc ſanè eſt, tota ſuperior prioris vertebræ facies. In inferna verò facie, è regione duorum ſinuum, in quibus recipi dicebamus, occipitij tubercula vtrinq; poſita (quoniam ea parte prima vertebra craſſiſſima ſit) duo etiam ſe promunt minores multò ſinus: ad quos applicãtur ſecũdæ vertebræ partes: quæ vtrinq; dentiformi excreſcentiæ ad latera poſitæ ſunt: ab interna parte altiores, ſenſim ad externam partem depreſſi. Quod & in ſecundæ vertebræ partibus, id ipſum adnotandum cenſemus. Iuxta verò hos obſcuros ſinus, ad internam partem

Quare antiqui primã vertebram στροφέα, secũdam verò ἄξονα dixerũt.

Primæ vertebræ deliniatio

partem vtrinq; exiguus quidam canalis est: qui vnà cum eo, qui vtrobiq; ad dentis radicem est cælatus, viam neruis secundi coniugij parant. Atq; tota prima vertebra, meliori quo potuimus modo, ita sit à nobis delineata: ex qua sanè & secundam, potissimum superiori facie satis (vt credimus) tenere possis. In inferna autem sede (qua parte dentis excrescẽtiæ basis habetur) crassissima sanè est: ac caua modicè per longitudinem: atq; ad latera cælata: quo tertiæ vertebræ, vtrinq; positæ eminentiæ inibi se insinuẽt: ad internam quidem partem satis insignem ostendens vtrobique cauitatem, in semicirculi modum: quæ cum alijs in tertia vertebra positis eisdem in partibus rotundum foramen conficiant, qua tertij cõiugij neruus foras educatur. Atq; idem planè in omnibus alijs ceruicis vertebris luculenter intuebere (si neruorũ viam perquirere cupias) quod in tertia hac cum secũda articulatione haberi diximus. Cæterum in dorsi aut thoracis vertebris, non perinde est: sed multò magis ad foramen, per quod neruus elabitur, conducere superiorem semper cernes: vt cùm iam ad lumborum peruentum sit regionem, vniuersum foramen in superiori vertebra appareat. Quo fit, vt tum hac ratione, tum etiam ob spinalis medullæ tenellam consistentiam, multò sint periculosiores, in supernis vertebris luxationes, quàm in inferioribus: potissimum si ad obliqua distorqueantur. Quin & illud quod ab Hippocrate dictũ est, in libro de articulis, nullũ prorsus facesset negotiũ: plures scilicet vertebras vno ordine luxari graue quidem esse: vnam vero duntaxat, perniciosum. Nam si plures ordine vertebræ distorqueãtur, magis in circulum volui cogent spinalẽ medullam: minusq; diffringere ipsam, aut comprimere poterunt: si verò vna duntaxat, pernitiosa erit procul dubiò noxa: quòd ab ea spinalis medulla ad angulum collisa, propemodum abrumpatur. Porrò autem vt nosse possis quæ partes consortij lege afficiantur, in vertebrarum luxationibus, diligenter debes animaduertere: quo tendãt nerui ab illis vertebris distributi; & in quos musculos potissimum absumantur. Verùm cùm longum sit, omnia in præsentia percurrere, sat quidem fuerit, si ea, quæ ad ceruicis vertebras priuatim attinent, obiter recenseamus: quoniam in his potissimum exercitari præsens tractatio expostulat. Igitur exilis ille neruorum exortus, qui ex primæ vertebræ cum occipitij osse articulatione, à posteriori parte emergit, in musculos, qui à prima ceruicis vertebra in occipitij os feruntur, disseminatur: atq; eos etiam, qui ab occipitij osse in laterales, seu transuersos primæ vertebræ processus inseruntur: qui caput mouentium musculorum quartum, ac quintum par cõstituunt. Sed ex anteriore ipsius ceruicis parte, iuxta id ligamentum, quod dentiformem processum occipitio alligat, non satis cõspicua neruorum soboles, huius primæ ceruicis vertebræ enascitur: quæ in primum dorsum mouẽtium musculorum par distribuitur.

Secũdæ uertebræ deliniatio:

Neruorũ propagines iuxta primã ac secũdam vertebrã quomodo se habeant.

distribuitur. Iam verò ex secunda ceruicis vertebra posterior propago satis insignis, multifariã secta, partim ad capitis extimas omnes partes cõscendit, & aures etiam: partim verò in tertium, & sextum par caput mouẽtium musculorum disseminatur: neq; ipsa (vti dictum à nobis est) ex lateribus adhuc secundæ vertebræ prosiliens, sed ex posteriore potius ipsius parte, quæ eiusdẽ in posteriora processum spectat, emergens. In hac etiam secunda ceruicis vertebra, tenuis quædam propago in anteriori parte cernitur (quemadmodũ & in prima, ad radicem nimirum dentiformis processus) quæ in primum dorsi musculorum par confestim absumitur. Atq; ita quidem in prima, & secunda ceruicis vertebris, neruorum se habent propagines: longè quidem aliter quàm in reliquis, vt statim depræhendes. Nam & natalibus admodũ differũt, & certam quandam viæ rationem succedentes propagines seruant. Nascuntur enim ex cõmuni quodam foramine, quod in lateribus duarum serie positarũ vertebrarum cerni potest: Atq; vt primum ex foramine prodierunt, in superiora detorqueri portio non exigua ipsorum conspicitur: quæ vsq; ad caudatã vertebrarum eminentiam scandens, inde iam musculis quibusdam distribuenda feratur. Quod & in tertiæ vertebræ ceruicis neruis facilè intelligi potest. Nam vbi ex cõmuni foramine vtrinq; prodit, bifariã discissus, posterior portio multò tenuior distorquetur: atq; ad secundæ vertebræ posteriorem caudatum processum, inter musculos delitescens conscendit: atq; inde in ceruicis procedit latera: musculo sese implicans qui buccarum motionis est opifex. Reliquus verò ramus, quadrifariam diuiditur: atq; tum in primum, ac secundum dorsum mouentium musculorum se insinuat: partim per se, partim quarto pari neruorum coalescens: tum caput conscendit: secundi paris neruo adiunctus: tum etiam in musculos dispensatur: qui ceruicẽ ad latera mouent: atq; in eum qui sursum scapulam attollit. Quartum neruorum par simulatq; ex communi foramine, tertiæ ac quartæ vertebræ est egressum, bifariã discissum, posteriore parte distorta, ad tertiæ vertebræ posteriorem caudatum apicẽ ascendens, inde lato musculo se insinuat reuulsum: qui motus buccarum est autor præcipuus. Anterior verò ipsius pars, trifariam diuisa, altera sui parte, cui & tertij paris ramus adnatus est, æsophago musculos appositos, & ceruicẽ flectẽtes adit. Secunda verò eisdem musculis implantatur: quos antea dicebamus, ceruicem ad latera mouere: & eum etiam qui scapulã sursum conuellit. Tertia verò propago deorsum fertur: atq; cuidam quinti paris propagini admiscetur: quæ ad septum se confert transuersum. Non tamen id perpetuum esse dicimus: nam cum septum trãsuersum præcipuam sobolem ex quinto neruorum pari assumat, & sexti semper portionem pusillam, interdum cum his ex septimo pari sibi aliam exiguam asciscit: quã cum nactus fuerit: eam prorsus contemnit,

Secundum par neruorum ex vertebris ceruicis prosilientium.

Tertiũ par neruorũ ex ceruicis vertebris propagatorũ.

Quartum par neruorum qui ex ceruicis vertebris oriũtur.

contemnit, quæ ex quarto neruorum ſumitur pari. Quo fit, vt cùm tertia diſtorqueatur ceruicis vertebra, minus periculoſa ſit affectio, ac minus acuta: quoniam nerui ex ea propagati, non ad partes maximè neceſſarias deferantur. Quinta verò & ſexta (quòd noxam ſepto tranſuerſo cõmittant) grauem inferunt affectionẽ. At quarta interdũ eſt periculoſa; cùm ſcilicet ſepto trãſuerſo neruum tranſmiſerit: interdum verò non admodum: cum ex quinta potius, & ſexta & ſeptima ipſum traxerit ſeptũ tranſuerſum propagines. Atqui de ſeptima ceruicis vertebra idem planè eſto iudiciũ: hac in re tantũ differunt: quod quarta (vtpote ſuperior) teneriorem medullam magis poſſit afficere. Propter quod ſanè in prima & ſecũda vertebris luxatio eſt admodum per Iouem ſuſpecta: quæ ne minima etiam poſſit, citra maximũ diſcrimẽ tollerari. Rectè igitur dixiſſe Hippocratem cenſendum eſt: cuidam luxationem inferius ſecunda vertebra contigiſſe (nam totam eam de nomine dentiformis proceſſus, dentem nominauit) cui affectiò non admodum acuta extiterit. Nimirum quòd in tertia, aut quarta hæc fuerit luxatio. Sed iam aliorum neruorum propagines abſoluamus, vt ea, quæ poſtmodũ dicta ab Hippocrate ſunt, facilius aſſequi poſſimus.

Quintum par neruorum ceruicis.

Quintum ſanè par vbi ex foramine emerſum, cõtortionẽ eam effecerit, quam antea diximus in quarto pari; iam bifariam ſectũ, minorem quidem propaginem muſculis ceruicem flectentibus diſtribuit: grandiorem verò ad ſeptum remittit tranſuerſum: ſobolem quandam in muſculum brachium attollentem, & in humeri partes diſtribuens: & in muſculũ etiam oſſis .v. referentis.

Sextũ par neruorũ ceruicis.

Sextum neruorum par, ex cõmuni etiam quintæ, ac ſextæ vertebrarum ceruicis foramine egreſſum, poſteriorẽ ritu aliorum obliquè intortam diſpenſat ſobolem: anteriorem verò partim cum quinti paris propagine coaleſcentem ad ſeptũ tranſuerſum, partim verò per proximas partes neruos in manũ diſtribuit: & alios ad ſcapulæ cauum: & ad ſcapulã ſurſum attollentem muſculum.

Septimum par neruorum.

Septimum deniq; neruorum par, potiſſimum cum ſexto coaleſcens, ad manum tranſmittit craſſas propagines: ad quas etiã ex prima, & ſecunda thoracis vertebris nerui defferuntur. Hæc ſanè ſunt, quæ vnuſquiſq; tenere in promptu debet: quo facilè affectæ primũ in ceruice partis, peculiarem ſedem cõmonſtrare poſſit. Si enim in prima vertebra affectus ſit, luxatio nimirũ, eaq́; ad latera facta (quam σκολίωσιν vocãt) his certè partibus omnibus affectus cõmunicabitur, quæ neruos ex eadem vertebra ſuſcipiunt. Cumq́; ea parte tenella admodum ſpinalis ſit medulla, vel minimũ compræſſa, grauiſſimas proculdubiò inferet noxas: quas diutius animal tollerare non poterit. Quo fit, vt in rectum hac in parte luxatio, aut vertebræ diſtortio, ſi eam ad angulum collidat (quemadmodum in libro de articulis dictum eſt) cõfeſtim animal, & ſenſu & motu priuetur. Ad hanc vertebræ huius luxationem,

tionem, maximè accedit, quæ in ſecunda (quam dentem Hippocrates nominat) accidere ſolet: quæ cùm vel minimum ad interna contorquetur, aut impellitur, eiuſdē dentiformis proceſſus ſtipitis ritu medullam vellicat: ac propemodum frangit: neq; ligamento, tametſi robuſto coërceri poteſt. Aſt quæ in tertia cōtingit tranſpoſitio, nō ſimiliter vſquequaq; eſt pericloſa, niſi ea admodum fuerit inſignis: neque perinde acutam infert affectionem: quod & in quarta etiam interdum fieri videmus: niſi quando ad ſeptum (vti diximus) tranſuerſum nerui exigua ſoboles ab ea diſpenſatur: quod tamen non eſt perpetuum. Id ergo dicebat in hac oratione Hippocrates, ᾧ οὐχ ὁμοίως ὀξὺ δ᾽ ἦν. *id eſt: cui non ſimiliter eſt acuta. Qua in parte adnotandum duximus, neq; ſilentio prætereundum, quòd omnes propemodum Hippocratis interpretes, lapſi in ea parte ſint: qui quòd non ſatis intellexerint, ſedis affectæ dignitatem, id quod ab eo dictum eſt,* ὀξὺ *ad os retulerūt: cùm tamen ad* πάθημα. *id eſt: affectum eſſet referendum: quemadmodum diligēter adnotauit Galenus, libro de affectus locis quarto: in hunc ſcribens modum:* ἀλλὰ νῦν γε κατωτέρω φησὶν τούτου τοῦ σπονδύλου γεγονέναι τὴν κυνάγχην, οὐχ ὁμοίως ὀξεῖαν οὖσαν τῇ κατὰ τὸν δεύτερον γιγνομένῃ. *hoc eſt: Sed inferius hac vertebra, nunc factam fuiſſe anginam dixit: quæ nō perinde eſſet acuta, ac ea, quæ in ſecūda contingit vertebra. Qua etiam in parte, occaſionem ſunt nacti grauius etiam peccandi: quoniam in ſequentibus deprauatè habebatur apud Hippocratem* ἔστι δ᾽ οἷσι πάνυ περιφερές. *id eſt. Quibuſdam autem valde rotundum: quod & illud, quod de acumine ſuperius paulò dictum erat, videbatur confirmare: Cùm tamen non* περιφερὲς *ſed* περιφανὲς, *lubrico ſanè lapſu, legendū eſſe moneamus. Nam & in eum modum, ſententia hæc quarto de locorum affectorum notitia libro, à Galeno citatur:* ἔστι δ᾽ οἷσι πάνυ περιφανὲς μέζονι περιφερείᾳ, *quibuſdam verò valde conſpicua erat affectio maiore circūferentia. Si quidem cum dente vocato fauces non fuiſſent inflammatæ, verùm iacentes: quod eſt, quietæ, nulloque tumore turgentes. Quandoquidem cùm in ſecunda potiſſimū vertebra luxatio eſſet, affectio erat valde conſpicua: maiore rotunditate, quæ confeſtim aperto ore videri poſſet: ſi fauces tamen ſimul non eſſent inflammatæ. Nam quibus fauces eſſent inflammatione obſeſſæ, his liquidò luxationis tumor, in interna parte non apparebat: quod nimirum faucium tumor efficere poterat.*

Τὰ ὑπὸ γνάθους ὀγκηρὰ, οὐ φλεγμαίνουσιν ἴκελα, οὐδὲ βουβῶνες οὐδ᾽ ἐγένοντο ὧδ᾽ ἐκεῖ ἀλλὰ φύσει μὲν, καὶ γλῶσσαν οὐκ εὐκινέως στρέφοντες, ἀλλὰ μείζων τε αὐτέοισιν ἐδόκει εἶναι, καὶ προπετεστέρη. καὶ ὑπὸ γλώσσῃ φλέβες ἐμφανέες, καταπίνειν οὐκ ἠδυνάτο, ἢ πάνυ χαλεπῶς, ἀλλ᾽ ἐς τὰς ῥῖνας ἔφευγεν, εἰ πάνυ ἐβιάζοντο. καὶ διὰ τῶν ῥινῶν διελέγοντο. πνεῦμα δὲ τουτέοισιν οὐ πάνυ μετέωρον. Ἔστι δ᾽ οἷσι φλέβες αἱ ἐν κροτάφοισι, καὶ ἐν κεφαλῇ, καὶ ἐπ᾽ αὐχένι ἐπηρμέναι. Βραχὺ δὲ τουτέων τοῖσι παλιγκοτέουσι, κρόταφοι

Codex Hippocratis emaculatur.

κρόταφοι θερμοί, καίτ' ἄλλα μὴ πυρεταίνοιεν. οὐ πνιγόμενοι δὲ πλεῖστοι, εἰ μὴ καταπίνειν προθυμέοιντο, ἢ πτύελον, ἢ ἄλλο τι, οὐδ' οἱ ὀφθαλμοὶ ἐγκαθήμενοι.

30. Quæ ſub maxillis ſunt partes tumebant: non in inflammationis modũ, neq; bubones vlli tumuerunt, ſed habebant ſecundum naturam: neq; linguam facilè contorquebant, ſed ipſis maior eſſe videbatur, & prominentior. Et ſub lingua venulæ cõſpicuæ, abſorbere non poterãt, aut valdè difficulter, quòd ſi multum conarentur, ad nares refugiebat. Naribus loquebãtur: Spiritus his nõ valdè ſublimis. Quibuſdam venæ, quæ in temporibus, & capite, & ceruice ſunt, ſublatæ, erant. Recrudeſcẽtibus autem ex his, nõ nihil caloris tempora præſeferebant: ad hæc tamen non febricitabãt. Non ſuffocabantur horũ plurimi, niſi deglutire auidius cuperent, aut ſaliuam, aut aliud quidpiã: neq; oculi intus deſidebãt.

Ex his quæ hactenus à nobis dicta ſunt, ſatis euadũt cõſpicua quæcunq; in hac oratione ſunt ſcripta Primũ enim, quæ ſub maxillis ſunt partes, tumere quidem poterant, citra inflammationem: quòd nimirum phymatũ materia cùm tenax admodum ac glutinoſa ſit, neq; facilè poſſit inflammari, ad circũſtantes colli partes, conſortij lege tranſmiſſa, laxos quoſdam tumores inferebat: quos Hippocrates ὄγκους *nominare aſſolet: neutiquam tamen inflãmationem, quæ ſemper dolorem vehementem habet cõiunctum. Huiuſcemodi autẽ vicinarum partium tumores, non poterant, affectas tuberculis, ſedes vertebrarum liberare. Non enim tranſponebatur materia, ſed ſympathiæ potius ratione vicinæ hæ partes noxam concipiebant. Quin & eam ob cauſam, venæ ſub lingua, capiteq; ac temporibus, ac etiam ceruice prominebant: transfuſa ſcilicet phymatũ ſordida, ac fœculenta materia in vaſa vicina: quemadmodũ & in gibberis interdũ ob eam rationẽ varices in tibijs, & inguinibus naſcũtur: vt libro de articulis Hippo. ſcripſit. Verũ quod attinet ad eam quæ ex his ſymptomatis ſumitur ſignificationẽ, longè alia ratio eſt, cũ in dorſi gibberis varices enaſcuntur, quàm vbi in ceruice conſiſtente noxa, hæ (quas diximus) venæ in tumorem attollũtur. Siquidẽ varices in tibijs enati, gibberos dorſi depellere ſolent: affectioneq; liberare. cũ ad ignobilem ſedem propellatur noxia materia. At quod ex harũ venarũ turgeſcẽtia, in his ceruicis affectibus, ſumitur iudiciũ, malũ multò grauius nuntiat: quòd nõ tranſpoſitionis ratiõe (ita enim nõ ad ſupernas aſcenderet partes, ſed multò ignobiliores quæreret) verũ ſympathiæ potius, conſortijq; lege fiat. Quemadmodũ & in gibberis, quæ ſub ſepto contingũt tranſuerſo Hippo. in lib. de articulis ſcribit.* ὅσοισι δὲ κατωτέρω τῶν φρενῶν τὸ κύφωμα ἐστι, τούτοισι νοσήματα μὲν ἐνίοισι προσγίνεται νεφριτικά, καὶ κατὰ κύστιν. ἀτὰρ καὶ ἀποστάσιες ἐν ἐμπυήματι, καὶ κατὰ κενεῶνας, καὶ κατὰ

Βουβῶνες χρόνιαι, καὶ δυσαλθέες, καὶ τουτέων οὐδετέρη λύει τὰ κυφώματα. id est. *Quibus intra septũ transuersum gibberus est, horum nonnullis nephriticæ adsunt affectiones, & ex vesica: sed & abscessus ad suppurationem tendentes in vacua abdominis parte erũpunt: & apud inguina longeui, ac curatu difficiles: quorum nulla gibberũ sanare possunt. Ita sanè Hippocrates habet: Galenus autẽ in hunc modum exponit.* Κατὰ συμπάθειαν δηλονότι τὰ εἰρημένα νοσήματα γίνεται. συμπάσχει δὲ τὰ ὁμογενῆ, καὶ τὰ πλησίον, ἅπερ ἐλέγετο κἂν τῷ σύνεγγυς, καὶ τα κοινὰ, καὶ μάλιστα κακοῦντα. Δυσεντερία μὲν οὖν καὶ κίρσοι κατὰ μετάστασιν τῶν ἐργαζομένων τὰ φύματα χυμῶν γιννώμενα, θεραπεύει τὴν κύφωσιν. ὅσα δὲ κατὰ συμπάθειαν γίνεται νοσήματα, τούτων οὐδὲν ἐστὶ λυτικὸν τῶν ἐξ ἀρχῆς παθῶν. *id est. Consortij lege nimirum prædicti affectus contingunt: consentiũt autem, quæcunq; cognata fuerint, & quæ propinqua: quæ ipse vicini nomine significauit superius, & ea etiã inter quæ cõuenit: & quæ maximè molestãt. Dysenteria autem, & varices, per humorum noxiorum transpositiones facti, sanant certè gibberum: quæcunq; verò ob sympathiam, aut consortium fiunt affectiones, pristina mala non tollunt. Quare quòd his omnibus, ob contagionẽ, quam maximè vicinæ partes experiuntur, linguam mouere non possent, nõ est mirum. Quemadmodum neq; quod maior, magisq; exerta ipsis esse videretur. Quin nec illud, quòd deuorare nõ possent, citra maximam difficultatem: quòd nimirum nerui huius motionis opifices, partim quidem, in origine afficerentur, partim verò phymatum materia irrigati, nõ amplius suum robur seruare possent. Spiritus deinde (inquit) non valdè sublimis: quod Græce sanè dictum est:* πνεῦμα οὐ πάνυ μετέωρον. *Significans planè non viguisse consuetam anginæ speciem: per quam sublimis spiritus reddi assolet. Ideo nanq; ab eo dictum est, spiritus his non valde sublimis, quòd nimirum, anginosis spiritus sublimis esse consueuerit. Talem autem vocat Hippocrates spiritum, qui paruus sit: tanquam in sublimes oris partes absumatur, neque in internam thoracis cauitatem se insinuet. Huiusmodi per dolorificos spirationis instrumentorum affectus, & sæuas faucium inflammationes suboriri solet. Quemadmodum & septima, sexti de morbis vulgaribus libri, sectione, anginæ grauissimum genus nobis significare volens, in hunc modum scripsit.* οἷσι δὲ καὶ πνεῦμα ξυνεμετεωρίζετο, κάκιστον. *id est. Quibus autem spiritus simul sublimis esset, pessimè afficiebantur. Ex eo nanque grauissima faucium inflammatio significabatur. Vbi Hippocratis mentem Fuchsius non satis commodè tenuit: qui sublimem spiritum interpretatur, qui recta ceruice fiat. Longè aliter quàm res habeat, vt Galenus libro de spirandi difficultate vltimo annotauit. Cùm igitur in his anginæ modis, non fuerint affectæ fauces, vt antea dixit, nisi quãtum noxæ ex contagione, & consortio, effugere non poterant, iure optimo dictum ab eo est: spi*

μετέωρον πνεῦμα *id est, spiritus sublimis qui dicatur.*

Fuchsius labitur.

est: spiritus non admodum erat sublimis. Nam si fauces omnino fuissent affectu liberæ, moderatus sanè fuisset spiritus: si grauiter affectæ, paruus, medio autem modo se habentibus, fuit non admodum sublimis: quod est, non admodũ paruus. Cæterum incrudescente affectu, nonnihil caloris tempora præseferebant, ob maximam scilicet humoris, qui phymatum materia fuerat, vbertatem: qui se vltro citroque diffundens, temporum etiam venas, tumida distentione repleuerit. Vocauit autem Hippocrates παλιγκοτέτες*, eos qui ad pristinam affectionis malignitatem redacti sunt, aut multò sæuiorem. Ita enim libro de fracturis secundo reliquit scriptum:* σημεῖα δὲ τάδε ἐὼν παλιγκοτεῖν ἢ ὄ. *id est. An recrudescat, necne, notæ hæ sunt. Galenus autem in commentatione hæc inquit:* Τὰ κακοήθη παθήματα παλίγκοτα καλεῖ, καὶ τὸ παλιγκοτεῖν, τὸ οἷον παλιγκακοηθέστερα. *id est. Mali moris vitia* παλίγκοτα *nominat, id est, recrudescentia. Atque* παλιγκοτεῖν, *hoc est, recrudescere, simile quidpiam illi est, atq; in pristinam malignitatẽ rursus redire. Non secus etiã quarto popularium morborum libro, cùm illius refert historiam qui de figulino equo ceciderat, quoniam non fuisset per cucurbitulam curatus, dixit:* ἐπαλιγκότησεν. *id est. malum recruduit. Cùm ergo temporũ venæ saliunt, aut tempora plus iustò incaluerunt, his qui angina sunt correpti, affectio multò grauior est: quemadmodum septima sexti morborũ vulgarium libri sectione, scriptum ab eo est.* οἷσι δὲ καὶ φλέβες αἱ παρὰ κρόταφον καὶ αὐχένα ἐπαίρονται, ὑποπόνηρα. *id est. Malum autẽ, si venæ quæ in temporibus habentur, & ceruice, attollerentur. Cæterũ illud minimè dissimulandũ est, quòd apud Nicandri interpretem* παλίγκοτον *pro* ὀργίλῳ. *id est. iracũdo desumatur. Nam vbi Nicander de Aspide fœmina scribit: quam* διψάδα *vocant,* τὴν εἶναι θῆλυν παλίγκοτον, ἀντομένοισι. *Fœmina sed vindex occursu feruidaq; ira. Interpres ait:* Τὸ δὲ παλίγκοτον, οἷον ὀργίλον ἐστὶ τοῖς ἀπαντῶσι. *id est. quòd autẽ* παλίγκοτον *dixit, perinde est, ac si occurrentibus iracundam dixisset dipsada.* παλιγκοτεῖν Hippocrati quid. παλίγκοτον pro iracundo.

Οἷσι μὲν οὖν ἐὼν τὸ ὀρθὸν τὸ ὄγκωμα, μήτε ἑτερόρροπον, οὗτοι οὔτε παραπληκτικοὶ ἐγένοντο. Ἀπολλυμένον δὲ εἴ τινα εἶδον, ἀναμνήσομαι, οὓς δὲ οἶδα νῦν περιεγένοντο. Ἦν δὲ τὰ μὲν τάχιστα ῥηΐζοντα, τὰ δὲ πλεῖστα καὶ ἐς τεσσαράκοντα ἡμέρας περιῄει. Τοῦτο δ' οἱ πλεῖστοι καὶ ἄπυροι. πολλοὶ δὲ καὶ πάνυ ἐπὶ πολλὸν χρόνον ἔχοντές τι μέρος τοῦ ὀγκώματος. καὶ κατάποσις, καὶ φωνὴ ἐπεσημαίνετο. Κίονες τε τηκόμενοι, μινύθησιν τῶ ἄχρου, πονηρὸν δ' ἐν δοκέοντι κακὸν ἔχειν.

31. Quibus in rectũ igitur erat tumor, neq; in alterutram partem vergens, hi non sunt paraplectici facti. Cæterũ si quempiam perijsse videro, in memoriam reuocabo: quos autem nunc vidi, omnes superstites fuerunt. Sed quidam celerrimè alleuabantur: plurimi verò ad quadragesimũ accedebant diem. Adhæc etiam plurimi sine

rimi sine febre. Multi autem, longo admodum tempore, tumoris quidpiam præseferebãt: quod & deglutio, & vox significabant. Columellæ tabescẽtes, minutionẽ quandam ostendebant: quanquam nullum grauius malum habere videbantur.

Cùm multifariam contingat spinalem medullam affici, non secus quidem, quàm aliæ omnes corporis partes (aut enim primogenia affectione laborat: vt cùm vel sola intemperie malè habet, vel cum influxu materiæ, erisipelate, aut inflammatione corripitur, aut aliunde, nimirum ex vicinis partibus, ipsa in noxam aliquam deducitur, quemadmodum cùm luxatis vertebris pressa, non potest probè suo fungi munere) non ab re sanè ipsam vario modo affectam, varia etiam symptomata sequuntur. Nam si spinalis medulla proprio aliquo affectu laborauerit, aut in dextris, aut sinistris partibus, omnesq; è directo iacent, & sensu, & motu, pro affectionis ratione priuabuntur. Quòd si vtraq; parte similiter afficiatur, tunc planè omnes corporis partes noxam sentient. At verò, si tale quidpiam ob verticuli alicuius, aut multorum luxationem, aut distortionem passa fuerit, contingit sanè inferiores partes in consensum trahi: contingit etiam & minimè. Cæterum hac in parte, multa opus est, accurataq; consideratione: quandoquidem si luxatum ipsum verticulum in rectum sit (vt in hac oratione dictum est) quod perinde est, ac si luxatum ad interiora dixisset, quemadmodum in illis, quas λορδώσεις nominant, siquidem (vt ipse in libro de articulis dicebat) angularis fuerit spinæ collisio, quod est: non sensim obliquata, aut distorta, sed aceruatim in vna potius parte ita cõpressa vt propemodum diffringatur, necessum tunc est: lædi omnes subiectas corporis partes. Sin autem non ita ob luxationem sit affecta, partes inferiores affici non est necessum. Porrò si non in rectum vertebrarum transpositio fiat, sed ad obliqua potius, quod Hippocrates ἑτερόῤῥοπα. id est. in alterutrã partem vocat, vti per σκολιώσεις nominatos euenire solet: cum qua parte vertebræ distorquentur, nerui ex ipsarum ad latebra foraminibus emergentes, non poßint non vehemẽter comprimi, qui verò ad aliam sunt partem, grauiter contendi, meritò partium ad quas preßi nerui feruntur resolutio aderit: earum verò ad quas vehementer extensi, conuulsio. Ac propterea Hippocrates inferius paulò, in hunc modũ scribit: οἱ δὲ ἑτερόῤῥοπα ἔχοντες, ὅτοι ὁπόθεν ἂν ἐγκλιθείησαν οἱ σπόνδυλοι αὐτῇ παρελύοντο, τὰ δ' ὧδε θάτερα εἵλκοντο. id est. Quibus tumor in alterutram partem vergeret, qua inclinabantur vertebræ, illac resoluebãtur: alia verò in alterã trahebantur partẽ. In hac verò oratiõe, neminem paraplecticũ euasisse scribit. Quòd nimirũ luxatio nõ γωνιώδως. i. ad angulũ ipsis obtigisset: quæ si in eum habuisset modũ, nõ sanè ad manus vsq;, quemadmodũ in alijs, sed per omnes infernas partes resolutio esset grassata.

Meritò

Meritò itaq; hi non obierunt: quoniam nõ graue admodum luxationis genus paßi eßent. Verum enimverò, cùm non omnibus ſimiliter luxationes reſtitui poſſent, alij celerius, alij verò tardius ſanitatẽ ſunt adepti. Quibuſdam enim, quòd tubercula non ſatis integrè fuiſſent concocta, multo tempore, pars quædam tumoris eſt protracta. Quin & quæ contagionem ob vicinitatem ſenſiſſent partes, quibuſdam vitiatæ longo tẽpore ſunt: quod ex deglutione, & voce ac tubeſcentibus columelis depræhendi poterat.

Οἱ δὲ ἑτερόῤῥοπα ἔχοντες, ὅθι ὁπόθεν ἂν ἐγκλιθείησαν οἱ σπόνδυλοι ταύτῃ παρελύοντο, τὰ δ' ἐπὶ θάτερα εἵλκοντο. Ἦν δὲ ταῦτα ἐν προσώπῳ καταφανέα μάλιστα, καὶ τοῦ στόματος, καὶ τοῦ κατὰ γαργαρεῶνα διαφράγματος. Ἀτὰρ καὶ γνάθοι αἱ κάτω, παρήλλασσον κατὰ λόγον. αἱ δὲ παραπληγαὶ, οὐ διὰ παντὸς τοῦ σώματος ἐγίνοντο, οἷον δὲ ἄλλων, ἀλλὰ μέχρι χειρὸς, τὰ ὑπὸ τοῦ κυναγχικοῦ. Οὗτοι καὶ πέπονα ἀναπτύοντες βραχὺ μόγις ἦσαν. Ὅσοι δ' ἐς ὀρθὸν καὶ ἀπέπτυον, οἷσι δὲ καὶ ξὺν πυρετῷ, οὗτοι πολλῷ μᾶλλον καὶ δύσπνοοι, καὶ διαλεγομένοισιν ἀλλοχόοι, καὶ φλέβες τουτέοισι μᾶλλον ἐπηρμέναι, καὶ πόδες πάντων μὲν ψυχρότατοι, τούτων δὲ μάλιστα. καὶ ὀρθοστατεῖν οὗτοι ἀδυνατώτεροι. καὶ οἵτινες μὴ αὐτίκα ἔθνησκον, οὓς δὲ ἐγὼ οἶδα, πάντες ἔθνησκον.

32. Quibus tumor in alterutram partem vergeret, qua inclinabantur vertebræ, illac reſoluebãtur: alia verò in alteram trahebantur partem. Erant hæc autem maximè in facie conſpicua: & ore, & ſepto, quod iuxta gurgulionem eſt. Sed & maxillæ inferæ partes immutabantur pro ratione. παραπληγαὶ autem, non per vniuerſum corpus apparebant: vt ex aliis morbis ſolent, ſed ad manum vſq; duntaxat, ab anginoſa affectione. Hi & concocta expuebant, & pauca, ac difficulter. Quibus tamen in rectũ tumor eſſet, itidem expuebant: Qui autem ſimul cum febre laborarent, hi multò difficilius ſpirabãt, & aliena loquebantur. Et venę huiuſcemodi magis attollebantur: & pedes omniũ frigidiſsimi, horum verò maximè. Et erecti ſtare minus poterant: & quidam non ſtatim mortui ſunt: quos autem ego noui omnes mortem oppetierunt.

Hactenus Hippocrates, ſymptωmata omnia tradidit eorum, quibus in rectum vertebræ eſſent luxatæ: quam affectionẽ nos λόρδωσιν diximus nominari. Nunc verò ſymptωmata percenſet eorũ, quibus in alterutram partẽ vertebræ diſtortæ fuiſſent: quam & nos σκολιώσεως antea nomine ſignificauimus. Si igitur ea ipſa mutuò conferas, proculdubiò videbis, multò ſæuiora hæc omnia fuiſſe: neq; miraberis ſanè quod hi omnes mortem obierint, ſuperiores verò ſuperſtites euaſerint. Principio nanq; ſuperius enumeratorũ nullus, reſolutionẽ partis alicuius eſt paſſus: quod multò minorẽ certè affectũ ſignificauit. At verò hos omnes, nõ reſolutionẽ ſolum ſenſiſſe, ſed & conuulſionem etiam

aperte testatur. Cum qua parte vertebræ distorquētur, pressis neruis, partes omnes ad quas nerui deferebātur, sensu, motuq; priuatæ fuerint: cōtraria verò parte, ipsis vehemēter extensis (quod effugere nullo modo poterāt) inflāmatione oborta, cōuulsione tentarentur. Cęterū hæc conspicua fuerūt potissimū, & in facie, & ore, & iuxta gurgulionē, & in maxillarū partibus infernis. Quod si eorum, quæ diximus, non sis immemor, accuratè distinguere hæc omnia poteris. Constat nanq; musculos, quibus mouendi vis aduenit per neruos, qui à ceruicis vertebris orti in ipsos disseminantur, noxam non euadere si & spinam, & procedentes ab ipsa neruos, affectus quispiam infestauerit. Quare vbi accuratè tenueris, quo tendant singuli ex medulla disseminati nerui, facilè per vniuscuiusq; vertebræ luxationem, suborturum affectum prædicere poteris. Maxillæ nanq; inferiores partes immutantur: cùm latus ille musculus, in quem nerui quarti paris potissimum, in posteriora distortus, aliquo fuerit affectu molestatus. Porrò quod παραπληγαὶ non per vniuersum corpus fierent, sed ad manus vsq; duntaxat, rationi est maximè consentaneū. Nam quæ supra sextam vertebram fiunt luxationes, ne ad manus vsq; etiam noxam poterunt transmittere, nullis neruis inde in manum diffusis: nisi sobolem quandam, ex quinta vertebra, ad musculum brachium mouentem dispensari dicamus. Sed ea non satis vt manus resoluatur ex eius noxa est digna. Quæ verò in sexta, ac septima vertebra fiunt luxationes, hæ noxam facilè manibus cōmittunt: crassissimis neruis ex his vertebris ad manū distributis. Hæc igitur in hunc modum habet: quæ autē ad alias spectant orationis partes, egent interpretatione. Primū quidem quod dixit: οἳ δὲ καὶ πέπονα ἀναπτύοντες βραχὺ μόγις ἦσαν. id est. Hi cocta expuebant: pauca, & difficulter. Qua in parte apertissimè nobis significauit Hippocrates, adfuisse his omnibus tubercula quædam, & panos, quæ Græci φύματα vocant, vertebris incumbentia: quæ sensim ad se (vti dictum est) ligamenta; quibus cōmittuntur traherent, ac ossa sequerentur. Nam vbi iam humor hæc φύματα patiens, concoctionē aliquam fuisset indeptus, sputu sanè reijciendus erat: sed quoniā viscidus esset, & lentus, non potuit nisi tenuiter, maximoq; cum labore excerni. Quo factum est, vt non sit sedata affectio: sed tandem mortui fuerint. Verùm adnotandum id meritò est, quòd nos Galenū sequuti, maluimus in eum modum cōuertere orationem: q̃ Hippocraticum codicem sequi, in quo res multò aliter habet: quanq̃ non admodū præter rationē. Nanq; Galenus, in hunc modū habet: οἳ δὲ καὶ πέπονα ἀναπτύοντες βραχὺ μόγις ἦσαν. Hippocraticus verò codex, pro eo quod apud Galenū legimus, βραχὺ μόγις ἦσαν, habet βραγχώδεες ἦσαν. id est. catarrosi erant. Quod sanè phymatū materia larynge irrigata, fieri facilè poterat. Iam verò illud quod dictum est, aliena loquebantur, Galenus longè aliter refert,

Ex quibus vertebris noxa ad manum perueniat.

fert, in hunc scilicet modum διαλεγόμενοι σιαλοχόοι. *id est. inter loquendum saliuam fundebant. Significat autem id, grauiter partes omnes contagionis labem sensisse, quæ in circuitu erant: vt non possent, liberè loqui: sed tanquam turgescente humore noxio, ore subinde saliuam reddere, & screare cogerentur: quemadmodum trauli facere solent. Id autem grauiorem significabat affectionem: quoniam & in sexto de morbis vulgaribus libro, sectione septima, scriptum est:* Τὸ δὲ ξύμπαν οἱ μὲν οὐ δυνάμενοι καταπίνειν μοῦνον, πάνυ εὐηθῆ, καὶ εὔφορα, οἱ δὲ καὶ διαλεγόμενοι πρὸς τούτοις ἀσαφέστεροι, καὶ ὀχλωδέστερα, καὶ χρονιώτερα. *id est. In vniuersum autem anginosis, qui solùm deglutire non poterant, leues, & tollerabiles affectiones fuerunt: quibus verò adhæc loquela obscurior erat, tum molestiores, tum diuturniores, euenerunt. Cæterum in Hippocratico codice* διαλεγομένοισιν ἀλλοχόοι *habetur: quod ad delirantes referendum est: quòd nimirū cum ipsis, disserētibus aliud respōderent, quàm audiuissent: Quare illud* ἀλλοχόοι *melius profectò haberet si per.* κ. *scriberetur, à verbo* ἀκούω. *Quæ sequuntur omnia aperta sunt nihil aliud ostendentia, quàm sæuiorem fuisse in his anginosis affectionem.*

PARTICVLAE SECVNDAE FINIS.

HIPPOCRATIS SECVNDI EPIDEMIΩN LIBRI SECTIO TERTIA, PETRO IACOBO *Steue Valentino Medico interprete.*

1\. ΕΣ Πέρινθον περὶ ἡλίου τροπὰς ὀλίγον τὰς θερινὰς ἤλθομεν. ἐγεγόνει δὲ ὁ χειμὼν, εὔδιος, νότιος. Τὸ ἔαρ καὶ τὸ θέρος, πάνυ ἄνυδρον μέχρι πλειάδων δύσιος, εἰ γάρ τι καὶ ἐγίγνετο, ἦν δρόσου ψεκάς. καὶ ἐτησίαι οὐ κάρτα ἔπνευσαν, καὶ οἱ πνεύσαντες, διεσπασμένως.

1\. IN Perinthum circiter æstiuum solstitium venimus: præcesserat hyems clementi cœlo Austrina: ver autem, & æstas valde absq; aquis, ad occiduas Vergilias vsq;. Si enim quicquam aquæ cecidisset, erat instar roris. Etesiæ venti non admodum perflarunt: & qui perflarunt, sparsim flabant.

Describit Hippocrates in hoc loco, morborum populariter grassantium quandam constitutionē: quæ cùm ex aëris nos ambientis conditione (vt aliæ propemodum omnes solent) duxerit originem, primum nos ab ipso, ambientis temperaturam accepisse, fuit operæpretium. Nam mutationes temporum maximè generant morbos: ob eam nimirum, quam animaliū corpora, ex cœli statu sumunt mutationē. Sed interim in memoriam illud erit etiam reuocandum,

si fortè exciderit: quod in aphorismis scriptum habetur, in hunc modum: τῶν καταστασίων τοῦ ἐνιαυτοῦ, τὸ μὲν ὅλον οἱ αὐχμοὶ τῶν ἐπομβρίων εἰσὶν ὑγιεινότεροι, καὶ ἧσσον θανατώδεες. id est. Constitutionum anni, in vniuersum squalores, imbribus salubriores sunt, minusq; lethales. Tum non simpliciter temporis mutationes esse considerandas, sed ex quibus, in quales fiat transmutatio. Contingit nanque interdum grauissimum aliòqui per se temporis statum, quòd nimirum alium grauem etiam, sed contrarium planè sibi subsequatur, non solum non esse morbificum, sed interdum etiam à priore statu corpus labefactatum, posse reparare. Quin nec illud sanè est obliuioni tradendũ, quòd non omnes temperaturæ, ex æquo aëris mutationibus afficiantur. Nam temperaturarum aliæ, ad alias constitutiones benè vel malè se habẽt. Calidissimæ siquidem corporum naturæ, à frigidis constitutionibus, ad mediocritatem perductæ, melius quidem degunt: frigidæ autem impensius perfrigeratæ, noxã contrahunt. Sic etiam & in alijs omnibus res habet. Quorsum igitur quæso tendebat, huius quæ in Perintho viguit constitutionis temperamẽtum? Non'ne ad immodicam caliditatem, & siccitatem? Propterea igitur æstate ardentes febres (quas καύσους vocãt) grassatæ sunt plurimæ. Sed quoniam multò calidior fuisset, quam siccior (cùm anni bona pars, hyems nimirum, Austris perflaretur) pituitæ putrescẽtis copia nõ modica est aceruata: quæ nothos potius reddiderit causos, quàm legitimos. Nam statim vt ipse scribet, comatosi sunt facti: quòd scilicet crudorum succorum copia caput ipsum impeteret: atq; in somnum efficeret delationem. Quare ex putrefacta pituita hanc constitutionẽ habuisse originem, credendũ est: accedente interim, ex veris, & æstatis siccitate non modica bilis exuperantia. Porrò quo quis accuratius possit, immutationis aëris iudicium ferre, non oscitanter debet animaduertere, regionis in qua viget status positũ. Quo vergat; quibus perfletur ventis: ita enim citra negotium poterit, ad amussim tenuisse, multũ'ne, à sua desciscat natura, aëris nos ambientis conditio, an potius modicum. Quod maxime ad firmandum prædictionem esse necessarium videtur. Est igitur Perinthus (quam & Heracleã vocant) ciuitas in Propontide sita, Peram hodie nominant, quam à Genuensibus eripuere Turcæ: satis quidem ad aquilonem exposita, quãquam non rarò soleat Australibus ventis perflari. Hominũ qui inibi degunt temperamentum satis robustum ob frigiditatem; Thraces nanq; omnes sunt huiusmodi. Cùm ergo hyems, quæ bonam anni partem continet, potissimum in frigidioribus regionibus, Austrina, sudaq; fuerit, atq; clemẽti cœlo, meritò in hominũ corporibus, quæ secũdum naturã alioqui generari pituita debuerat, ea omnis ob ambientis caliditatẽ calidior euasit. Cumq; non simul humida fuisset vehemẽter, sed eã duntaxat haberet, quã sibi ex Austro asciuit humiditatẽ (qui

tẽperamẽto est ſanè calidus, & humidus: caputq; ideo grauet, auditumq; hebetet, caliginẽ inducat, plurimasq; liq̃ faciat corporis humiditates) quã mox ab initio induxiſſet putredinẽ, ſi imbribus fuiſſet cõiunctus: eam potuit tandẽ tẽporis diuturnitate mouere; in his corporibus, quæ nimirũ ad ipſam cõcipiendam fuiſſent cõparata. Nam & Galenus libro de morbis popularibus primo Αἱ γὰρ νότιοι (inquit) καταστάσεις χρονίζουσαι σηπεδόνας ἐργάζονται, καὶ μάλιστ' ὅταν ὦσιν ὑγραί. τῆς δὲ νῦν καταστάσεως οὐ γινομένης ὑγρᾶς, μέχρι πλείστου μὲν οὐδὲν ἀνιαρὸν ἔπασχον τὰ σώματα, τῷ χρόνῳ δ' εἰς τὸ πάσχειν ἀφίκετο, καὶ τοιαῦτα συνέβη τισὶν αὐτῶν ὕστερον, οἷα κατ' ἀρχὰς εὐθέως πᾶσιν ἦν, ἂν νότιος κατάστασις ὑγρὰ ἐγένετο. *id est. Auſtrinæ nanq; conſtitutiones, diutinæ putredines mouent: potiſsimum ſi ſimul fuerint humidæ. Cùm autem præſens conſtitutio non fuerit humida, longo tempore nihil detrimenti paſsa ſunt corpora, ſed mora tandem attulit calamitatem: ac talia contigerunt quibuſdam ex ipſis deinceps, qualia mox ab initio omnes paſsi fuiſſent, ſi Auſtrinus ſtatus, humidus extitiſſet. Non igitur mirabere ſi per totam hyemem nihil mali ſenſerint Perinthij: neque etiam per ipſum ver: ſed ad æſtatem noxa omnis ſit protenſa. Nam ver quidem ipſum, ne duos habet ſolidos menſes, potiſsimum in ipſis Aſiæ regionibus, & plurimis etiam quæ ſunt in Europa. Quanquam igitur calidior, ſicciorque fuerit, non potuit: craſſam per hyemem collectam humiditatem, vehementer excalfacere: quouſque æſtatis feruore idipſum præſtaretur. Quòd ſi hyems ſimul Auſtrina fuiſſet, ac pluuioſa, non arbitror Perinthios ipſam effugere potuiſſe, quin ſtatim ſæuiſsimus ex putredine morbis corriperentur: potiſsimum cùm minima hyemis duratio in Miſia ſuperiori, & Thracia, ſit ab occaſu Vergiliarum, ad vernum æquinoctium vſque: in quo ſpatio plus quàm quatuor menſes compræhenduntur. Cùm igitur Vergiliarum occaſus, hyemis initium definiat, conſtat hanc tempeſtatem vniuerſum annum duraſſe. Nam hyems fuit Auſtrina, & ſerena: ver verò, & æſtas ſqualida, vſque ad occiduas Vergilias: in quo circuitu integrum anni ſpatium continetur. Cæterum, vt indicaret æſtatem fuiſſe æſtuoſiſsimam: potiſsimum ſub Canis exortũ, vſq; ad Arcturi ſyderis apparitionẽ, dixit: Eteſias non admodum perflaſſe. Sunt autem Eteſiæ venti, qui certo anni tẽpore flant: annuos appellare poſſumus: qui ſub Caniculæ tempus, vſq; ad Arcturi exortum inſpirant ſexaginta ferè dies, vt Theon apud Aratum ſcribit. Eſt ſanè id tempus oriente Leone: non equidem, qui in ſupremo cœlo immobiliter confictus eſt: ſed illo, quem aſtra effingunt: de quo Aratus hunc in modum ſcripſit:* *Eteſiæ venti qui nam ſint.*

Ἠελίου τὰ πρῶτα συνερχομένοιο λέοντι
Τῆμος δὴ κελάδοντες ἐτησίαι εὐρέϊ πόντῳ
Ἁθρόοι ἐμπίπτουσι. ὁ δὲ πλόος οὐκ ἔτι κώπαις

ἄελλος. οὐ ῥεῖαι μοὶ ἀρέσκοιεν τότε νῆες. *Hos ita vertimus.*

Feruida cùm primum Sol permeat astra Leonis,
Tunc rigidi venti magno stridore quotannis
Concutiunt pontum: sulcare nec æquora remis
Vsque adeò tutum, at vasta mage naue premenda.

Τοῦ θέρεος καῦσοι ἐπεδήμησαν πολλοί. ἦσαν δὲ ἀνήμετοι, καὶ κοιλίαι ταραχώδεες λεπτοῖσιν, ὑδατώδεσιν, ἀχόλοισιν, ἐπαφροῖσι πολλοῖσιν. ἴσχοντα ἐστὶν ὅτε καὶ ὑποστάσιν τεθέντα, ἐξ οἵων δὴ καὶ ἐξαιθριαζόμενον τὸ ἴκελον. ἴσα δὲ ὡς ἐς διαχωρήματα διὰ παντός, κακόν.

2. Æstate ardentes febres grassatæ sunt plurimæ: erant autem sine vomitu, & ventres turbulenti, tenuibus, aquosis, non biliosis, spuma plurima refertis. Ex quibus sanè quod sub dio reponebatur, simile erat. Quæ autem deiectiones similem semper seruant formam, malum.

Collectam per hyemem pituitam, nondum in totum putrefactam, per vehementes æstatis squalores, corporis vasis nimium exsiccatis, in venas attractam fuisse est verisimile. Ea nanque causa præcipua causi est: vt Hippocrates docuit. Cum venæ nimirum, tempore æstiuo exsiccatæ, acres, ac tenues biliosos humores ad se traxerint: quos ἰχῶρας nominant. Nam venulæ ipsæ (vt scribit Galenus) cum admodum sint exsiccatæ, ac humectari postulent, quicquid in vicinis partibus humiditatis est, id totum ad se conuellunt: non discernentes ipsius substantiam, qualis nam sit. Ratione enim carēt qua deterius à meliori distinguant. Sed vt bruta, puerique ad casu oblatum humidū, cum sitiūt, irruūt: ita & illæ. Quo fit vt cum in vna duntaxat sede corporis, ea affectio fuerit, in eam solum delati ἰχῶρες, ipsi soli affectum inferunt: cùm verò vniuersi corporis venæ exsiccatæ, supra modū calidas, ex carnosis partibus humiditates alliciūt, in toto corpore fiet, quæ causum referet affectio. Quòd si biliosæ, & acres fuerint (vt cōtingere planè frequēter assolet) causum ipsum legitimū procreabunt: qui hæc symptωmata semper habet adnexa: sitim inexhaustam, linguam vehemēter aridam, asperam, ac nigram, vigilias iuges, interdum cordis morsum, & biliosas deiectiones, & delirium. Sin autem putrefacta fuerit pituita, vti in præsenti euenit cōstitutione, quoniam hæc per putrefactionem salsa euadere cōsueuit, non adeò sæua inferet symptωmata: sed multò quidem mitiora: neque causum legitimum inducet: sed nothum, aut spurium: de quo deinceps etiam scripsit Hippocrates. Καῦσος γένος ἄλλο, κοιλίη ὑπάγουσα, δίψος μεγάλη, γλῶσσα τραχεῖα, ξηρή, ἁλικώδης, οὔρων ἀπόληψις, ἀγρυπνία, ἀκρωτήρια ἐψυγμένα. *Causi genus aliud, aluus soluta, sitis magna, lingua aspera, sicca, salsa, vrinæ defectus, & vigiliæ, ac refrigerata extrema. Quanquā*

Causa ardētis febris præcipua.

Causi symptωmata.

non distinctè

non distinctè sed satis incondito ordine, tradiderit Hippocrates hæc indicia: non percensens ea duntaxat, quæ sunt affectionis propria: sed alia etiā adijciens, quæ solent in extrema morbi sæuitate cōtingere: vt sunt, refrigerata extrema: quod & annotauit Galenus. Quin neq; aluus turbulēta, aut sitis immodica, perpetua sunt, huius causi symptomata: cum humor hic pituitosus, neq; facilè excernatur, neq; vehementem sitim, aut æstuosam caliditatē concitare possit. Præterea quod dictum ab Hippocrate est, aluus soluta, Græcè autem κοιλία ὑπάγουσα, *contrariū sanè est* τῷ μὴ διαχωρεῖν. *id est. non excernere. Fit autem ob hanc causam, monente Galeno, quoniam affectio hæc, vt pote quæ ex pituita originem traxerit, longeuior sanè est, neq; solas hortatur potiones, quemadmodum prior ille causus legitimus: qui cum ex humore constet, tenui admodum, ac feruenti, citò subit iudicationem: atque ita ægroti solo potu ad iudicationem vsq; sunt perducendi. Sed hi qui ex pituita laborant, ob humoris crassam, ac glutinosam substantiam, seram habituri iudicationē, non nihil etiam alimenti primis diebus requirunt: quo in ventriculo ob humoris prauitatem corrupto, aluus soluta apparet. Sed interim quidē contingit, causi sedem in viscere aliquo, quod per intestina facilè expurgari possit, cōsistere: atq; ideo aluum perturbari, quemadmodum & Perinthijs forsitan euenit: quibus aluus turbabatur statim: tenuibus quibusdam, aquosis nō biliosis, sed spuma plurima refertis: quod sanè cruditatis humorum maximū fuit argumentum. Quoniam autem contingebat, nōnullis per vehementes æstus, & calidam, quæ antea præcessit constitutionem, nonnihil assati humoris cōtineri: id vtpote crassius, non absq; ratione residebat: cùm deiectiones aliquātisper fuissent repositæ. Cæterum quoniam huiuscemodi deiectiones semper crudæ perstiterunt, non potuit Hippocrates celerem morbi iudicationem expectare: imò neq; mortem: nam solam cruditatem denunciabāt. Atqui cruditatis signa diuturnam solum significant affectionem: ex se verò neq; moriturū, neq; euasurum ægrotum pollicētur. Propterea igitur Hippocrates malum huiuscemodi deiectiones præseferre dixit, non autem perniciem, aut mortem: quod certè* θανάσιμον *solet appellare.*

> κοιλία ὑπάγουσα quæ dicatur.

> Deiectiones quæ similē semper seruāt formam malæ.

Ἐν τουτέοισιν πολλοὶ κωματώδεες ἦσαν, καὶ παράφοροι, οἱ δὲ ἐξ ὕπνων τοιοῦτοι ἐγένοντο, ὅτε δ' ἐγερθεῖεν κατενόουν πάντα. τὰ πνεύματα μετέωρα οὐ μὴν πάνυ. οὖρα λεπτὰ τοῖσι πλείστοισι, καὶ ὀλίγα, ἄλλως δὲ οὐκ ἄχροα.

3. In his multi comatosi erant: delirantes, hi autem ex somno tales euadebant: Nam vbi expergiscerentur rectè sapiebant: spiritus sublimes, non autem admodū. Vrinæ tenues plurimis, & modicæ, aliàs tamen non decolores.

Coma vt multis in locis, potissimū autem tertio de morbis vulgaribus libro, adnotauit

Quid κῶμα Hippocrati significet.

adnotauit Galenus: nihil aliud Hippocrati significat, quàm τὴν εἰς ὕπνον καταφοράν, id est, in somnum delationem. Vocat autem in somnum delationẽ, cùm vigilare ægroti nequeunt: non habentes quidem oculos apertos, sed conniuentes, siue altis somnis siue tenuibus, siue vigilijs detineantur. Quam rem si diligenter adnotaueris, effugies sanè multas animi perplexitates: quæ passim solent, apud Hippocratẽ occurere: cùm interim coma, id est, soporem vigilijs videatur opponere, interim verò citra vllam rationem copulare. Quod olim multos Hippocratis interpretes, pendere animo multoties coëgit: vt aut desperarint omnino, aut vanas quasdã, nugatoriasq; expositiones effutirent. Nam in libro de morbis popularibus tertio, in hunc modum scriptum reliquit. κατεῖχε δὲ ἢ τὸ κῶμα συνεχῶς οὐχ ὑπνῶδες, ἢ μετὰ πόνων ἄγρυπνοι. id est, detinebantur iugi comate, non somnolento, aut vigilijs cum laboribus. Qua in parte videtur apertè coma vigilijs copulasse. Quin eodẽ libro, cum de muliere, quæ apud frigidam aquam in Thaso laboraret, loqueretur, hæc inquit. ἐν δ' ἑνδεκάτῃ κατενόει, κωματώδης δὲ ἦν, οὖρα πολλὰ, λεπτὰ, καὶ μέλανα, ἄγρυπνος. id est. Vndecima die mente confirmata est: sed erat comatosa, vrinæ multæ, tenues, nigræ, insomnis. Luculenter sanè, & hic vigilijs soporem annexuit. Atqui in eiusdem tertij libri initio pestilentis status, contrarium planè fecisse videtur, in hunc modum scribens. κωματώδεες ὡς ἐπὶ πολὺ, καὶ πάλιν ἄγρυπνοι. id est. Comatosi diu erãt: & rursus insomnes. Qua in parte videtur à sopore distinxisse vigilias, quod maximè rationi consentaneum existit. Quin & alibi frequẽter, ægrotum aliquem comatosum fuisse scripsit, & rursus vigilem: quemadmodum in Pario, atq; Ocetæ vxore fecisse videtur. Cæterũ cum sopor ipse vigilijs vacans ab humiditate: & refrigeratione cerebri fiat, vigiliæ verò sopore non immixtæ, ex calore, ac siccitate, mirum sanè non erit; si in his, qui humiditatum plurimam aceruassent multitudinem, ipsis nondum putrefactis in totum, sopor sequeretur: Rursus verò acrimoniam ex putredine concipientes ad vigilandum excitarẽt. Quemadmodum etiam, si vtrisq; causis, tametsi cõtrarijs in vnum conuenientibus, sopore simul ac vigilijs corriperentur ægroti, non admodum fuerit admirationi futurũ. In somnũ nimirum propensis ægrotis, ob crudorum succorum multitudinem, expergefactisq; rursus ab humorũ acrimonia, qui in crudis succis delitescunt. Verum enimverò pro causæ maioris, robustiorisq; ratione vehementiorem semper, cognatam ipsi affectionem fore est sperandũ. Huiusmodi sanè erant Perinthij. qui simul comatosi erãt, ac delirantes: similem planè passi affectionem, cum illis, sed affectionis sæuitate multò inferiorem, quos in constitutione ista pestilenti tertio de morbis vulgaribus libro recensuit. οὐ δ' ἐξεμάνη τῶν φρενιτικῶν οὐδεὶς, ὥσπερ ἐπ' ἄλλοισι, ἀλλ' ἄλλῃ τινὶ καταφορῇ βαρέως ἀπώλλυντο. id est. Neq; phreniticorũ quisquã vehementer

Coma non somniculosum.

Coma somniculosum.

vehementer insaniuit: quod vsu venit alijs sed alia quadam segni, torpidaq́; in somnum delatione capite grauati peribant. Neque enim hos cõuersione in lethargum facta, fuisse defunctos, intelligere debes: nam id sanè vetat Galenus, sed præsentes phreniticos cωmate, aut veterno perijsse. Neq; vehemẽter insaniuerunt (inquit) quod verbum illud ἐξεμάνη ostendit: quemadmodum neq; hi, qui in Perintho laborarũt: quos simpliciter παραφόρους vocat: quæ vox leuem quandam mentis cõmotionem significat. Quod & ipse è uestigio voluit declarare, tales ex somno euasisse scribens. Quod nimirum, acrium humorum substantia (quæ sanè non multa erat) non potuerit, cerebri temperaturã calidiorem, sicciorémq; reddidisse; sed adhuc reddere, atq; immutare cõtenderet. Quapropter vbi primum excitabantur, discussis cerebri robore recremẽtis, nõ amplius delirium persistebat. Porrò autem quòd spiritus sublimes non admodum essent, id sanè fuit in causa: quòd nullum respirationis instrumẽtum, per huiuscemodi morbos fuisset vitiatum: neq; æstuosa caliditas pulmonis, ac thoracis partes occupasset: imò nè ventriculi ipsius orificiũ: quemadmodum superius significauit, cũ diceret: sine vomitu: sed omnino ex infernis, vti diximus, partibus causus prodibat. Quare & aluus aquosis quibusdam, tenuibusq́; recrementis, erat turbata. Hinc factum est, vt quibus neque in pulmone, neq; etiam in corde, collectum esset vehemens aliquod caloris incendium, magnus spiritus non fieret. At verò paruus esse prorsus non poterat: cùm nec respirationis instrumenta doluissent, neq; essent refrigerata. Si igitur elatus, aut sublimis spiritus nihil (vt antea in anginosis diximus) differt à paruo, iure optimo, dictum ab eo est, non admodum elatus erat spiritus. Sed iam ad vrinas cõuertamur, quas tenues, plurimis, modicasq́; redditas fuisse scribit: modicas sanè, ob humorũ crassitiem, qui non facilè poterãt, ad renes transsumi, potissimum cùm aluus esset perturbata, eoq́; humoris impetus deuolueretur: tenues autẽ, ob cruditatẽ erant: quoniã humoribus non facilè transsumi potentibus, ob crassitudinem, & glutinosam consistentiã, serosiores partes ad renes demittebantur: quæ modicæ erant. Cæterum quia ex vehementibus æstatis squaloribus, & ingenti caliditate, bilis nonnihil in ipsis excanduerat, meritò vrinæ non fuerunt decolores.

Αἱ μοῤῥαγίαι ἐκ ῥινῶν οὐκ ἐγίνοντο, εἰ μὴ ὀλίγοισι, οὐδὲ παρωτίδες, περὶ ὧν ὕστερον γράψω. οὐδὲ σπλῆνες ἐπήροντο, οὐδὲ δεξιὸν ὑποχόνδριον, οὐδὲ ἐπώδυνον κάρτα, οὐδὲ ξυντεταμένον ἰσχυρῶς, ἦν δέ τι ξυνσημαῖνον.

4. Sanguinis è naribus profluuia nõ fiebant nisi paucis, neq; parotides erumpebãt, de quibus postmodum scribam: neq; splenes attollebãtur: neq; dextrum præcordium, neq; dolorosum valde, neq; vehementer extentum, nonnihil tamen præseferebat.

Cùm moderatæ

Cùm moderatæ fuerint huiuſcemodi ardẽtes febres, quæ Perinthios corripuerunt, non eſt ſanè mirum, paucis è naribus ſanguinem effluxiſſe. Siquidē proprium eſt ſi quid alud (vt primo de morbis popularibus adnotauit Galenus) ſynceris febribus ardentibus, per ſanguinis eruptionē iudicari. Cùm nihil habeat admirationis, ſi diffringantur, ac dirumpantur narium tenuiſsima vaſa, ſanguine confertim ob caloris multitudinem ſurſum aſcendente: qui vberiorē ſpiritum adeptus, non poteſt non inflare, ſubindeq; reſerare venas: cum & vtres, & dolia ſæpenumero diſrumpat, in muſto ferueſcēte accumulatus. Ergo cùm hæ ardentes febres, per ſanguinis eruptiones iudicia non ſubierint, vtpote quæ (vti dictum eſt) ex craſſo eſſent viſcidoq; humore, qui longius ſemper iudicationē protrahere, atq; decubitu in partē aliquam facto, ita ægrotos morbo ſoleāt vindicare: iure optimo Hippocrates parotidas in his, ob morbi ipſius naturam expectauit. Quæ tamen non erumpebant: fortaſſe, quòd prauorum humorum multitudo, per alui iugem deiectionem fuiſſet expurgata: abſceſſus nanq; huiuſcemo di adſtricta aluo potiſsimū fiunt. At verò, quòd hi nō legitimi cauſi, in eum modum ſoleant ægrotantes deſerere, dictū ſanè ab Hippocrate eſt, quarto de acutorum morborum victu, in hunc modum. Τῷ δ᾽ ὁ τοιούτῳ ἢν μὴ αἷμα ἐκ ῥινὸς ῥυῇ, ἢ ἀπόστημα περὶ τὸν τράχηλον γένηται, ἢ σκελέων ἄλγημα, καὶ πτύσματα παχέα πτύσῃ, ταῦτα δὲ ξυστάσης τῆς κοιλίης γίνεται, ἢ ἰσχίων ὀδύνη, ἢ αἰδοίου πελίωμα, οὐ κρίνεται. καὶ ὄρχις ἐντεθεὶς κεκλιμένος. *id eſt. Cauſus hic, niſi ſanguis è naribus fluxerit, vel circa collū abſceſſus fiat, vel crus doluerit, & ægrotus ſputa craſſa excreauerit (hæc autem adſtricta aluo fiunt) vel coxæ dolor, vel pudendi liuor ſuperuenerit, non iudicatur: teſtis quoq; intenſus iudicatorius exiſtit. Vt ergo indicaret Hippocrates, huiuſcemodi ardẽtes febres, quæ ex putrefacta pituita oriuntur, quāquam maxima ex parte abſceſſu iudicentur, tamē interdū etiam per excretionē poſſe deſiſtere, voluit inter abſceſſus etiā, ſanguinis è naribus fluores numerare: qui potiſsimū, vbi cauſi ſedes pulmo fuerit, ſuboriri ſolēt. Tunc enim facilè, incaleſcēte capite, ob ſanguinis multitudinē, aut rūpuntur, aut aperiūtur venæ, quæ in naribus ſunt. Quod ſi id nō fiat, aut in ceruice, aut iuxta aures, tubercula erumpent. Quin & hos etiā, quibus pulmones ſunt vitiati, cocto iam morbo, craſſa expuere haudquaquā mirū videri debet. Quod ſi in infernis potius partibus, veluti in tenui quopiā inteſtino, aut iecinore cauſi ſedes extiterit, deorſum magis abſceſſus fient: nimirū aut ad crura, aut ad teſtes ipſos. Verū hæc omnia aluo magis adſtricta cōtingunt; vt ipſe dicebat. Quod Perinthijs haudquaquam vſuvenit: ſed his aluus erat maximè turbata, tenuibus quibuſdā, aquoſis, ſpuma refertis plurima. Thaſijs autem, quos eadem propemodū morborum natura malè habuit (cum ſtatus omnis, perinde atq; hic, qui in Perintho cōtigit, fuerit auſtrinus, & ſqualidus)*

Decubitus humorum adſtricta aluo maximè fiunt.

In cauſis ſanguinis fluores potiſsimū erū pūt quādo pulmo ſeminariū morbi cōtinet

& squalidus) parotides quibusdam ad aures eruperũt: quibusdam verò sanguis de naribus fluxit: rursus alijs ad testes malum se cõuertit: cùm variæ nimirum affectæ sedes, in his per ardentes febres extiterint. Scriptum nanq; ab Hippocrate est, in hunc modum: Γινομένης δὲ τῆς ἀγωγῆς περὶ τὰ νότια καὶ μετὰ αὐχμῶν, πρωῒ μὲν τοῦ ἦρος ἐκ τῆς πρόσθεν καταστάσιος ὑπεναντίης, καὶ βορείου γενομένης, ὀλίγοισιν ἐγένοντο καῦσοι, καὶ τουτέοισιν πάνυ εὐσταθέες, καὶ ὀλίγοις ἡμορράγησεν, οὐδ' ἀπέθνησκον ἐκ τουτέων. Ἐπάρματα δὲ παρὰ τὰ ὦτα πολλοῖσιν ἑτερόῤῥοπα ἦν, καὶ ἐξ ἀμφοτέρων τοῖσι πλείστοισιν, *id est. Cum esset autem totus hic status austrinus, & squalidus, ante ver ex priore cœlo, quod huic aduersarium fuerat, aquiloniumq;, paucos ardentes febres corripuerunt: eosq; admodum stabiles, paucisq; sanguis profluxit, nec ex his peribant. Tubercula verò multis secundum alterutram aurem, plurimis secundum vtranq; extiterunt. Deinde paulò inferius,* Τοῖσι δὲ καὶ μετὰ χρόνον φλεγμοναὶ μετ' ὀδύνης ἐς ὄρχιν ἑτερόῤῥοπαι, τοῖσι δ' ἐς ἀμφοτέρους. *id est, quibusdam autem ex his, post tempus, inflammationes cum dolore alterutrum testiculorum obsidebant: quibusdam verò vtrunq;. Hæc omnia apertè indicarunt, non omnibus, eadem in sede repositam fuisse morbificam materiam. Verùm Perinthijs ex infernis sedibus causus prodibat: ex mesenterio videlicet, & lactibus. Atq; ideo nõ potuit, vel leue aliquod indicium in præcordijs non extitisse: non tamẽ quale per iecoris, aut lienis maximas affectiones euenire solet. Quod & Hippocrates aperuit, cùm diceret:* ἦν δέ τι ξυσημαῖνον. *id est, nonnihil tamen præseferebat, aut significabat tensionis: quæ ob iam cõmemoratum à nobis affectum oriebatur.*

Καὶ μάλιστα ἐκρίνετο πάντα τὰ πολλὰ περὶ τεσσαρεσκαιδέκα, ὀλίγα σὺν ἱδρῶτι, ὀλίγα σὺν ῥίγει, καὶ πάνυ ὀλίγοισιν ὑποστροφαὶ ἐγίνοντο.

5. Et maximè iudicabantur omnia frequenter, ad decimam quartam diem: pauca cum sudore, pauca cum rigore, & admodũ paucis recidiuæ fiebant.

Quãquam ex pituita (vti diximus) putrefacta, maxima ex parte huiuscemodi ardentes febres orirentur, non admodum fuerũt diutinæ: neq; abscessibus euanuerunt. Tum quòd alui iugi deiectione bona materiæ portio abijceretur, tum etiam quòd bilis, quæ per vehementes æstatis squalores, in corporibus aceruabatur, ad iudicationem morbũ ipsum festinare cogebat. Cæterum quòd paucis sudores eruperint, non fuit ab re, ob humoris, qui morbum pariebat, crassitudinem: atq; status ipsius siccitatẽ. Quin nec mirandum sanè est, paucis morbum rigore fuisse solutum: qui solũ in causis legitimis, quas ardentes febres nominant, contingere solet: ob flauam nimirum bilem, quæ per membra sentientia, veloci quodam motu defertur: post quem aut alui soluũtur, aut sudor erumpit, aut vomitus biliosi superueniũt. Cùm igitur fieri interdum possit, vt inter

Rigor quo modo generetur in febribus ardentibus.

ſit, vt inter multos, quos aëris ambiẽtis cõditio potuit ſibi ſimiles reddere, nõnullos reperiri, qui aut quòd natura bilioſiſſimi fuiſſent, aut quòd victu vſi eſſent vehementer exſiccãte, aut maximis exercitijs, vniuerſum corpus haberent aridiſſimum: atq; ad legitimas ardentes febres concipiendas, comparatũ: tales ſanè admodum pauci, potuerunt ab his febribus rigore liberari. In vniuerſum tamen paucis recidiuæ fiebant: quod perfectam præceſſiſſe indicationem ſignificauit.

Ὑπὸ δὲ τὰς ψεκάδας τὰς γινομένας ἐν τῷ θέρει, ἐπεφαίνετο ἱδρὼς, ἐν τοῖσι πυρέτϊουσιν, καὶ τινὲς αὐτίκα ἱδρῶτες ἀπ' ἀρχῆς ἐγίνοντο, οὐ μὴν κακοήθως. καὶ τοῖσιν ὑπὸ τοῦτον τὸν χρόνον, καὶ ἐκρίθη σὺν ἱδρῶτι.

6. Sub roribus autem, quæ æſtate deciderunt, apparuit ſudor in febricitantibus: & quidam ſudores ſtatim ab initio eruperũt, non tamen malefico modo. Atq; his temporibus, quibuſdam cum ſudore iudicationes fiebant.

Dictũ in libri huius initio eſt, ἐν καύμασιν ἀνύδροις, οἱ πυρετοὶ ἀνίδρωτοι τὰ πλεῖστα, ἐν τουτέοισιν δὲ ἢν ἐπιψεκάσῃ ἱδρωδεστεροι γίνονται κατ' ἀρχάς. *id eſt. In æſtibus ſqualoris, febres plurimum abſq; ſudore contingunt: in his autem ſi vel rora tantum cadant: iam magis ſudificæ fiunt per initia. Quoniã ex temporis ſtatus ratione nonnihil immutari corpora animalium eſt maximè operæpretium. Ex humidiore nimirum, corporibus ipſis humidioribus euadentibus, ex ſicciore verò, ſiccioribus, aridioribusq;: quẽadmodum ex frigidiore, aut calidiore, aut refrigerari, aut calefieri eſt neceſſum. Si igitur plurimũ humecta euaſerint corpora, ex aëris ambientis temperamẽto, per febrificas affectiones nimio calore euocata ad ſuperficiem materia, ſudor neceſſariò erumpet: atq; is copioſus. Rurſus ſi modicam duntaxat contraxerint humiditatem, quemadmodũ in roribus ipſis, ſudori quidẽ generando, materia tantũ per initia ſuppetet: cùm ipſa ob paucitatem ſtatim diſſipetur. Quapropter neutiquam malefico modo hæc fluet: cùm nondum ob redundantiam poſſit putrefieri, quin potius corporum maximã attemperare ſiccitatem: quæ in ſolidis potiſſimũ partibus per vehementes ſqualores oboriri ſolet. Nam qui per vniuerſum morbi tempus fiunt ſudores, malefici ſunt: quòd multam ſignificent humiditatem: quæ non facilè diſſolui poſſit: quẽadmodum ipſe in aphoriſmis aiebat:* Πυρέσσοντι ἱδρὼς ἐπιγινόμενος, μὴ ἐκλείποντος τοῦ πυρετοῦ κακὸν, μηκύνει γὰρ νοῦσος, καὶ ὑγρασίην πλείω σημαίνει. *i. Febricitanti ſudor ſuperueniens febre nõ deficiente malum: prorogatur enim febris, & multam ſignificat humiditatem.*

Status temporis maximũ habet momẽtum in inmutandis corporibus.

Ἐγίνοντο δὲ ἐν τοῖσι θερινοῖσι πυρετοῖσι περὶ ἑβδόμην καὶ ὀγδόην καὶ ἐνάτην τρηχίσματα ἐν τῷ χρωτὶ κεγχρώδεα, τοῖσιν ὑπὸ κωνώπων γινομένοις μάλιστα ἴκελα ἀναδήγμασιν, οὐ πάνυ κνησμώδεα. ταῦτα διετέλει μέχρι κρίσιος. Ἄρσενι δὲ οὐδενὶ

ἄδην

εἶδον τοιαῦτα ἐξανθήσαντα. γυνὴ δὲ οὐδεμία ἀπέθανεν, ᾗ ταῦτα ἐγένετο. Βαρυήκοοι τε ἦσαν, καὶ κωματώδεες, πρόσθεν δὲ οὐ κάρτα ἦσαν κωματώδεες ᾗσιν ἔμελλε ταῦτα ἔσεσθαι, οὐ μὴν τὸ σύμπαν διετέλεον. Κωματώδεες δὲ καὶ ὑπνώδεες, τὸ θέρος καὶ μέχρι πληϊάδων δύσιος, ἔπειτα μὴν ἀγρυπνίαι μᾶλλον. Ἀτὰρ οὐδὲ τὸ σύμπαν ὑπὸ τῆς καταστάσιος ταύτης ἔθνησκον.

7. In æstiuis febribus autem, circa ſeptimũ, octauum, & nonum, aſperitates in cute miliaceæ effloruerunt: culicum morſibus maximè ſimiles, non admodum pruriginoſæ, hæ perſiſtebant ad iudicium vſq;. Nulli equidem viro has effloruiſſe conſpexi: mulier autem nulla mortua eſt: cui hæc accidiſſent. Auditu erant hebeti, & comatoſæ, prius verò nõ valdè erant comatoſæ, quibus futurũ erat vt hæ erumperent, non tamen in totũ perſeuerabant. Verum comatoſæ & ſomnolentæ erant æſtate, & vſq; ad Vergiliarũ occaſum: poſteà verò vigiliæ magis vrgebant. Cæterũ neq; in vniuerſum per hanc conſtitutionem moriebantur.

Non arbitror quenquam latere poſſe culicum ictus ſpeciem, cum huiuſcemodi inſecta per æſtatem vbique ſint maximè hominibus infeſta. Morſu ſanè, quem œſtro infligunt, ſatis moleſto. Poſt cuius receſſum tandem, relicto pruritu vehementi, aſperitudo quædam in ſumma cute inſurgit rubicunda: in tuberculi, aut puſtulæ modum: quæ ſatis inſignem oſtendat latitudinem: cuius cùm referrent ſpeciem, quæ in ſumma cute per hanc tempeſtatem erumpebant tubercula, aut aſperitates potiſſimum in fœminarum corporibus, meritò non fuerunt valde pruriginoſa. Scriptum namq; in aphoriſmis eſt: τὰ πλατέα ἐξανθήματα οὐ πάνυ τι κνησμώδεα. *id eſt. Latæ puſtulæ nõ admodum pruriũt.* Sectione.6.Aphoriſmo. 10. *Quoniam, vti tumores omnes præter naturam duplicem habent differentiam, quædam enim in altum tendunt, & acumen, quædam verò, magis ad latera, & in circuitu ſe diffundunt: ita & puſtulæ nõnullæ acutiores, nonnullæ verò latiores apparent. Atqui acutiores, ſemper ex calidiore humore generantur: quoniam calidum elementũ (vt Plato aiebat) pyramidali donatur figura: ac proinde vbi euicerit, ad pyramidem ſemper materiã conſpirare cogit. Rurſus latæ ex humore frigidiore oriũtur. Quare duplici de cauſa, nõ admodum pruriunt: tum quòd diffluentur in latitudinẽ expanſæ, tum quòd facientẽ ipſas humorem, minus acrem, q̃ priores obtineãt. Hinc etiã eſt, quòd nõ perinde hominibus, ac mulieribus huiuſcemodi puſtulæ, aut aſperitates contingerẽt: corpus namq; fœminarũ vtpote frigidius, potuit magis ambiẽtis aëris affici temperamento: ac maiorem pituitæ copiam aceruaſſe. Quin facultas harũ, imbecillior maxima ex parte, ad reponenda in ſuperficie corporis, hæc humorum retrimenta eſt maximè comparata. Propterea, & has dixit, auditus grauitate*

N fuiſſe

fuisse vitiatas, magis quàm viros: cùm austri nimirum, auditum hebetantes, caliginosi, caput grauantes, pigri, dissoluentes, fœminarum magis, quàm virorum corpora affecissent. Cæterum, quibus natura moliebatur, aut ad septimum, aut nonum huiuscemodi humorum ad cutem transpositionem, non erat locus: vt in capite figerentur humores: atque tum cωma, tum auditionis inferrent difficultatem. Proindéque dixit: πρόσθεν δὲ οὐ κάρτα ἦσαν κωματώδεες, οἷσιν ἔμελλε ταῦτα ἔσεσθαι. *id est. Quibus hæ affuturæ erant, antequam adessent, non fuerunt valde cωmatosæ. Porrò autem totam æstatem, autumnumq; cωma durauit. Tantisper nimirum, dum pituita per constitutionem hyemis aceruata, in totum putrere non potuit: vbi enim perfectè putruit, sequente videlicet hyeme, vigiliæ, insomniaq; magis vrgebāt, quàm cωmatosæ affectiones.*

Κοιλίην μὲν οὖν οὐκ ἐνεδέχετο, οὐδὲ τοῖσι γεύμασιν ἱστάναι, ἀλλὰ παρὰ λόγον ὥστε αὖθις ἐπίστασθαι ξυμφέρειν, καὶ τοι ὑπέρπολλα, ἔστιν οἷσιν τὰ δ' ἰόντα ἦν. Τὸ δὲ, ἐν ψύχει κεῖσθαι ὑποβεβλημένον, ὡς ἕλκοι μὲν τὸ ψυχρόν. θάλπει δ' ὑπὸ τοῦτο εἶδος. ἐκ προσαγωγῆς δεῖ μᾶλλον, καὶ τὸ μηδὲν τῇ φύσει πάθος γίγνεσθαι. ἐφ' οἷσι τε, καὶ ὁκοῖα τὰ σημεῖα; καὶ πλείω, ἢ μείω γινόμενα, χάσμη, βὴξ, πταρμὸς, σκορδίνημα, ἐρεύξεις, φῦσαι, πάντα τὰ τοιαῦτα διαφθείρουσιν.

8 Ventrem tamen, neq; his, quæ gustantur, sistere facultas dabatur: quin potius putasset quispiam, præter rationem fuisse, medicamentis opem ferre: quanquam permulta quibusdam prodirēt. Quòd quis, in frigore iaceret prostratus: vt frigus nimirum attraheret. At verò calefacit hæc species. Sensim enim fieri debet, ne quid naturæ affectum inferat. In quibus autem, & qualia signa, aut plura, aut pauciora facta, oscitatio, tussis, sternutatio, pandiculatio, eructatio, flatus, omnia huiuscemodi corrūpunt.

Hic locus, inter alios huius libri, difficilis admodum esse videtur. Qua in parte non possumus, non maximè temporis iniuriam sentire, ac nostram imprimis infœlicitatem accusare, cùm non liceat, in tanta verborū ambage, orationumque tam inconcinna textura, quidpiam certi statuere: sed coniectura tenus, quod magis ab Hippocratis doctrina stare videatur afferre. Quòd scio sanè quantam cauillatoribus, obtrectatoribusque præbere ansam ad calumniam possit. Qui interim non animaduertunt, quanto sudore, quantisque vigilijs, res ipsa constet: sed quàm facilè possit, in calumniam detorqueri. Imò nec quantum veritatis contineat, animaduertunt: sed potius, quàm lubrica sit, quàm etiam citra negotium, possit in prauum pertrahi sensum. Nos verò, in hunc modum, hanc Hippocratis partem conuertimus: longè quidem aliter, quàm aut Cornarius fecerit, aut alius quispiam, quoniam ad Hippocratis mentem, magis accedere ita videremur. Nam antea quidē dicebat: Ventres his

tres his turbulenti, tenuibus, aquosis, non biliosis, spuma plurima refertus: nunc verò, nullis auxilijs, potuisse hoc symptωma coërceri, scribit: quod admodum erat infestum; ob multitudinem nimirum crudorum succorum, qui concoctionem incipisci haudquaquam potuerant. Cùm ergo per vehementes æstatis squalores, ac æstus, homines in cubilibus degere non possent, frigidæ auræ occasionem captantes, sese in pauimētis iactabant: quo facilè possent, laterum frigiditatem, quacunq; corporis parte allicere. Id autem, summam cutim vehementer constipabat: atque per omnem carnem diffusos humores, in altum corporis vi ferri cogebat: qui ad affectam sedem se facilè con uertebant: quam per intestina diximus expurgari. Hinc erat, quod ex hac summa cutis densatione, magis aluus proritaretur: neque medicamentis adhibitis sisti, aliquo ingenio posset. Ac proinde Hippocrates dicebat: Καίτοι ὑπέρπολλα, ἔστιν οἷσιν τὰδ' ἰόντα ἦν, ὅτε ἐν ψύχει κεῖσθαι ἀποβεβλημένον. ὡς ἕλκοι μὲν τὸ ψυχρόν. *id est. Quanquam permulta quibusdam prodirent. Quòd quis in frigore iaceret prostratus, vt frigus nimirum attraheret. Nam ex hac in pauimētis prostratione, refrigerata summa cute, voluit Hippocrates, aluum multò cōcitatiorem euasisse. Qua in parte, non legimus nos, vt Cornarius legisse videtur,* ἑλκοῖ, *vlcerat, sed* ἕλκοι *potius, accentu in priorem syllabam retracto. Nam illa dictio,* ὡς, *non rectè videtur, cum illo verbo circumflexo,* ἑλκοῖ, *coherere posse. Scribitur enim,* ὡς ἕλκοι μὲν ψυχρόν. *id est. vt attraheret frigus, caussam scilicet reddente Hippocrate, propter quam se in pauimentis iactarent. Cæterum non solum, id incommodi afferebat, hæc summa cutis refrigeratio, quòd aluum multò redderet concitatiorem, sed quòd introrsum calorem vehementiorem accendebat. Nam calefacit (inquit) Hippocrates hæc species: quòd nimirum summa cute densata, obstructisque meatibus, per quos difflabatur humor, interius remanentibus halitibus acribus, vehemens incendium concitaretur. Ita sanè videmus, ex sola cutis stipatione febrem sæpenumero accendi: ob summæ cutis meatus obstructos. Eandem sanè ob causam, Hippocrates in lib. de pueri natura, aiebat: penetralia terræ hyeme calida, per æstatem verò frigida esse. Siquidem hyeme, imbribus è cœlo ruentibus, terra madet: illisque (quòd grauiores sint) comprimitur. Proinde dum densior efficitur: tum impeditam prorsus habet transpiratione͂, neq; amplius in ea consistit, maxima illa raritas: atq; idcirco infernè calida est. Quare (vt ad propositum reuertamur) cū repentè, subitoq́; fieret, hæc cutis constipatio, maximi proculdubiò fuit autor incōmodi. Nam huiuscemodi in cōtraria mutationes, ne quid molestiæ inferant, sensim fieri sanè debēt: quod Hippocrates dixit,* ἐκ προσαγωγῆς. *Quare non est addendum illud,* ἐκ προσαγωγῆς, *præcedenti orationi: quod Cornarius fecisse videtur, in hunc modum legens.*

Quare penetralia terræ hyeme calida sint.

ἐκ προσαγωγῆς *qd Hippocrati significet.*

θάλπει δὲ τὸ εἶδος τοῦτο ἐκ προσαγωγῆς ἔτι μᾶλλον. id est. Calefacit autem hæc species ſenſim adhuc magis. Nam hoc modo, non admodum verax eſſet ſententia: præſertim cùm Græcè non habeatur ἔτι, ſed δεῖ. In hunc igitur potius modum, Hippocratis ſententia diſtingui debet: θάλπει δὲ τὸ τοιοῦτον εἶδος. ἐκ προσαγωγῆς δεῖ μᾶλλον, καὶ τὸ μηδὲν τῇ φύσει πάθος γίνεσθαι. Porrò autem, ad calcem orationis percenſet Hippocrates, quibus ſymptomatis afficeretur, maior ægrotantium pars; quibus etiam magis periclitarentur: aut paucioribus, aut pluribus factis. Erant autem, oſcitatio, tuſsis, ſternutatio, pandiculatio, eructatio, flatus. Quatenus, aut in muſculis aliqua continebatur humiditas flatuoſa, aut ſpiritus vaporoſus: tunc enim, aut oſcitare, aut pandiculari coguntur: quouſque illam expulerint noxiam cauſam. At verò, tuſsis & ſternutatio, tum propter cerebri affectum, vtrunq; euenire poterat: tum verò alterum, tuſsis nimirum, affectis pulmonibus, aut aſpera arteria: ructus verò, ob ventriculi, aut inteſtinorum imbecillitatem: flatus, ob naturalis caloris extinctionem, aut materiam vehementer flatuoſam. Hæc omnia per hanc tempeſtatem in morbis fuiſſe vulgata non eſt mirum.

ἦσιν ἐν πυρετοῖσιν ἀσώδεσι, φρικώδεσιν, ἐρεύθοντα πρόσωπα, κοπιώδεες, ὀμμάτων ὀδυνώδεες, καρηβαρίαι, παραπληγίαι. καὶ γυναικεῖα ἢν ἐπιφαίνηται, μάλιστα δὲ ἦσι πρῶτον, ἀτὰρ καὶ παρθένοισι, καὶ γυναιξίν, ἦσι διὰ χρόνου, ἀτὰρ καὶ ἦσι μὴ ἐν τῷ ἐθισμένῳ χρόνῳ, ἢ ὡς δεῖ ἐπιφαίνονται, ἔπειτα ἔξωχροι γίνονται.

9\. Quibus in febribus anxioſis, horridis, rubeſcunt facies, laborioſè degunt, oculos dolent, capite grauantur, paraplegiæ adſunt: Et menſes ſi apparuerint, potiſsimum quibus primum, ſed & virginibus, & mulieribus, quibus non ſubinde, ſed longum poſt tempus, quin & quibus non in quo conſueuerunt tempore, aut nõ vt oportet apparent. Deinde pallidæ fiunt.

Iam videtur Hippocrates totam abſoluiſſe tempeſtatem: aliudq; in præſentia docere, quod nimirum, ad fœminas potiſſimum pertinet: cùm aut menſes primum erumpunt, aut non poſſunt liberè fluere, aut non ſubinde, ſed poſt longum temporis interuallum apparent, aut vſitatam temporis circuitionem non ſeruant. His enim ſolent febres anxioſæ contingere, quas Hippocrates ἀσώδεας nominat. Sunt autem huiuſmodi febres, per quas ægroti vehementer conflictantur: grauiterque afficiuntur: atq; implacidè moleſteq; habent. Quæ omnia, ſequuntur interdũ febrem immobilem, & æſtuoſam, ſæpius quoq; & oris ventriculi ſæuam aliquam affectionẽ. Nam & Gale. libro de acutorum morborũ victu. 4. in hunc modum ſcriptũ reliquit. ἀσώδεις ὀνομάζει πυρετοὺς, ἐν οἷς οἱ κάμνοντες ἀσῶνται, καὶ ἀηδῶς ἔχουσιν. id eſt. ἀσώδεας, anxioſaſque nominauit Hippocrates febres, in quibus ægrotantes tumultuantur:

& impla

& implacidè habent. Horrebit etiam insuper, ob prauorum humorum multitudinem, qui per cutem, vltrò citróque deferuntur: quibus liber foras non patet aditus. Ita sanè & Hippocrates, libro de morbis mulierũ, dum noxas percenset, quibus mulieres, menstruis recremẽtis non commodè repurgatæ obnoxiæ sunt, scribit. πνὶξ τέ οἱ ἄλλοτε καὶ ἄλλοτε ξυμπεσεῖται, καὶ πῦρ λήψεται ἄλλοτε καὶ ἄλλοτε, καὶ φρίκη, καὶ ὀσφύος ἄλγημα. ταῦτα πείσεται ἐν τοῖσι τριτοίοισιν ἐπιμηνίοισιν, ἢν μὴ οἱ χωρίη. ἐν δὲ τοῖσι τεταρτοίοισιν, ἢν μὴ οἱ χωρίοντα, τοῖσι προτέροισι ἔξοδον ποιήσῃ, καὶ τότε μὲν τρίτα πονήματα πάντα μᾶλλον πονήσει, καὶ μάλιστα ἐν τῷ χρόνῳ τῶν καταμηνίων, ἔπειτα ἧσσον. πολλάκις δὲ καὶ δοκέει ἄπονος εἶναι. ἔσται δὲ ἐπὶ τοῖσι τεταρτοίοισι, καὶ τάδε τὰ σημεῖα. οὐρήσει πολὺ παχὺ, ἄλλοτε καὶ ἄλλοτε, καὶ ἡ γαστὴρ αὐτῆς σκληρὴ ἔσται, καὶ μέζων, ἢ τὸ πρόσθεν. καὶ βρύξει τοὺς ὀδόντας. καὶ ἀσιτήσει. καὶ ἀγρυπνήσει. τοιαῦτα πείσεται ἐπὶ τοῖς τεταρτοίοισι καταμηνίοισι, μελεδαινομένη δὲ, καὶ ἐν τουτέοισιν ὑγιαίνει. Καὶ ἐν τοῖσι πεμπταίοισιν, ἢν μὴ οἱ πουλλὰ τὰ ἐπιμήνια κατίῃ, καὶ ὁ πόνος ἰσχυρότερος προσπίπτει. ἐν δὲ τοῖσιν ἑκταίοισιν, ἤδη ἀνίητος ἔσται, καὶ κατὰ μὲν πρότερα σημεῖα μᾶλλον πονήσει. ἔπειτα δὲ ἐπ' αὐτοῖσι καὶ τάδε. ἀλύξει τε, καὶ ῥίψει ἑωυτὴν, ἄλλοτε καὶ ἄλλοτε. καὶ λειποθυμήσει, καὶ ἐμέσει φλέγμα, καὶ δίψα ἰσχυρὴ μὲν λήψεται, ἅτε καιομένης τῆς κοιλίης ὑπὸ τῶν μηνῶν ἐουσέων πληρέων αἵματος, καὶ ψαυομένη ἀλγήσει, καὶ μάλιστα τὸ ἦτρον, καὶ πυρέξει ἄλλοτε, καὶ ἄλλοτε ὀξέος. Καὶ βορβορύξουσιν αἱ μῆτραι ἄλλοτε καὶ ἄλλοτε, ἅτε τοῦ αἵματος ἐγκλονεομένου, καὶ διαχωρέοντος ἐν αὐτῇσι. καὶ ἡ κοιλίη οὐ διαχωρήσει κατὰ τρόπον, οὔτε ἡ κύστις διηθήσει τὸ οὖρον. ἐπὴν δὲ αἱ μῆτραι προσπέσωσι πρὸς τὸν στόμαχον νευρώδεα ἐόντα, καὶ ἐς τὴν κοιλίην ἐμβάλλωσιν, ἀλγέει τὴν ῥάχιν καὶ τὸ νῶτον πᾶν, καὶ τὴν γλῶτταν αὐτῆς χαλινοῦται, καὶ ἀναφῆ πάντην ἔχει, καὶ λειποθυμίη, ἔστι δ' ἦσι καὶ ἀφωνίη, καὶ δάκνεται τὸν στόμαχον, καὶ ξανθὴ χολὴ ἔξεισι, καὶ πνεῦμα προσπταίει, καὶ ἀλύει, καὶ ῥίπτει ἑωυτὴν, καὶ ἐμπίπρεται. ἐπὴν δὲ μεταστέωσιν καὶ ἐρύσῃ ἡ κύστις τὸ λεπτὸν τοῦ αἵματος τοῦ ἀπὸ τῶν μηνῶν, τότε τὸ οὖρον διουρέεται ἐρυθρὸν, καὶ πονέει μὲν τὸ ἄλλο σῶμα, μάλιστα δὲ τὸν τράχηλον, καὶ τὴν ῥάχιν, καὶ τὴν ὀσφῦν, τοὺς τε βουβῶνας, καὶ ἐς τοῦτο ἐλθούσῃ αὐτῇ, ἥτε γαστὴρ αἴρεται, καὶ τὰ σκέλεα ὑπὲρ τὸ χρεὼν διοιδίσκεται, καὶ αἱ κνῆμαι, καὶ οἱ πόδες, καὶ ὁ θάνατος ἔπεισι. *id est. Suffocatio aliàs, atq; aliàs, ipsam inuadet: ignisq́; iterum, atque iterum, ipsam corripiet: & horror, & lumborum dolores. Hæc patietur in tertijs mensibus, si quidem ipsi menses non fluant. In quartis autem mensibus, si non egreßi prioribus exitum fecerint, quæ tertio mense passa est, grauius omnia sentiet: potißimum tempore mensiũ. Deinde minus. Multoties autem sibi videtur rectè valere. Erunt tamen, in quartis mensibus hæc signa: vrinam multam, & crassam emittet: aliàs atq; aliàs. Et venter ipsius durus erit: & maior quàm prius, & dentibus frendet: & cibum auersabitur, & vigilabit. Hæc patietur in quartis mensibus: si verò curetur, sana euadet. Quin & in quintis mensibus, nisi multos reddiderit, do-*

lor vehementior ingruet. In sextis verò, iam planè incurabilis erit: & omnia priora signa ingrauescent: sed ad ipsa, hæc etiam accedent: Anxia erit, & aliàs atque aliàs, seipsam iactabit: & animo deficiet, & vomet pituitam, & vehementi siti corripietur: quòd nimirum venter exuratur, ab vteris sanguine plenis. Ad contactum etiam dolebit: & potissimum suminis imam partem: & aliàs atque aliàs acutè febricitabit: & murmurabunt vteri, aliàs atque aliàs, tanquam interius sanguis tumultum moueat, & vndique discurrat. Et venter non secedit modo consueto: neque vesica percolabit vrinam. Quod si vteri ad stomachum, qui neruosus est, fuerint illapsi, & in ventrem irruerint, dolet spinam: & dorsum omne: & lingua ipsius veluti freno cohibetur: & obscura redditur: & animo linquitur. Quibusdam vox aboletur: & stomachus mordetur: & flaua bilis erumpit: & spiritus offendens; & anxia est: & iactat seipsam: & ardet. Postquam repositi fuerint, & trahet iam vesica ab vteris tenuem sanguinis partem, tunc vrina redditur rubra: & dolet reliquum corpus: maximè autem collum, & spinam, & lumbos, & inguina: atque vbi huc peruenerit, & venter attollitur: & crura magis quàm par est, intumescunt: & tibiæ, & pedes, & mors succedit. Hactenus Hippocrates: cuius longam hanc orationem, voluimus adnectere, quæ maximè ad præsens institutum facere est visa. Longè tamen plura symptomata, mensium suppressionem sequi solent: quemadmodum ipse, postmodum scribit. Quatenus, aut ad pulmones, aut ad aliam partem, humor noxius se contulerit: veluti, cùm ad superiores partes delatus, aut oculis, aut capiti noxam inferat. Verùm paraplegiæ, virginibus potissimum, accidere solent: ad crura præsertim sanguine impacto, neruosque ideo sensorios comprimente. Quemadmodum, in libro de virginum morbis, scripsisse videtur, in hunc modum: ὁκόταν οὖν τὸ στόμα τῆς ἐξόδου μὴ ᾖ ἀνεστομωμένον, τὸ δὲ αἷμα πλέον ἐπιῤῥέῃ, διά τε σιτία, καὶ τὴν αὔξησιν τοῦ σώματος, τηνικαῦτα οὐκ ἔχον τὸ αἷμα ἔκροον, ἀναΐσσει ὑπὸ πλήθεος, ἐς τὴν καρδίαν, καὶ ἐς τὴν διάφραξιν. ὁκόταν οὖν ταῦτα πληρωθέωσιν, ἐμωρώθη ἡ καρδίη. εἶτα ἐκ τῆς μωρώσιος, νάρκη. εἶτα ἐκ τῆς νάρκης, παράνοια ἔλαβεν. ὥσπερ ὁκόταν καθημένου πολὺν χρόνον, τὸ ἐκ τῶν ἰσχίων καὶ μηρῶν αἷμα, ἀποπιεχθὲν ἐς τὰς κνήμας καὶ τοὺς πόδας, νάρκην παρέχει. ὑπὸ δὲ τῆς νάρκης, ἀκρατέες οἱ πόδες, ἐς ὁδοιπορίην γίνονται, ἔστ' ἂν ἀναχωρήσῃ τὸ αἷμα ἐς ἑωυτό. *id est. Cùm igitur osculum exitus, non fuerit apertum, sanguis autẽ amplius influxerit, tum ob cibum, tum etiam ob corporis augmentum, tunc sanguis non habens effluxum, præ multitudine resilit ad cor, & septum transuersum. Quum igitur hæc repleta fuerint, cor fatuum fit; deinde, ex fatuitate torpedo: postea, ex torpedine delirium appræhendit. Quemadmodum, cùm aliquo, longo tempore sedente, sanguis ex coxis, ac fœmoribus depressus, tibijs, ac*

bijs, ac pedibus torporem inducit. A torpore autem, pedes ad iter faciendum impotentes fiunt: donec sanguis ad seipsum reuertatur. Virgines igitur, vtpote quæ non habent vteros extensioni consuetos, ex sanguinis ad ipsos influxu, magis multò, his quæ pepererunt, aut viros sunt expertæ, molestantur: vt etiam ob exilem sanguinis copiam, quæ nō liberè fluere possit, graues morbos incurrere videantur. Cæterum, omnes hæ fœminarum affectiones, cùm non dexteram medici manum adipiscantur, aut simul cum vita recedunt, aut pallidas, decoloratasq́ue mulieres reddunt: quas, longo temporis interuallo, symptomata plurima infestant: quousque ipsas de medio tollant. Nam sanguis, qui per corpus tumultuatur, ob meatuum obstructionem, patentem aditum non inueniens, interius putrescit: bilescitque: atq; prauo quodam colore, per summam etiam delatus cutem, fœminarum corpora inficit. Atque proinde Hippocrates dicebat, has omnes tandem pallore corripi, quòd intelligendum sanè est: si non rectè fuerint à medico curatæ, sed adhuc malum interius relinquatur.

Μέγα δ' ἐν ἅπασι, τὸ καὶ ἑξῆς, καὶ ἐν ᾧ χρόνῳ, καὶ ἐφ' οἷσι. τοῖσι πάνυ χολώδεσιν ἐν πυρετοῖσι μάλιστα, ὅλως οἷσιν ἐπὶ σκέλεα ἡ κάθαρσις, φαρμακεύοντες τρόπους ἴσμεν, ἐξ ὧν γίνεται ὁποῖα ἄσσα. οὐ γὰρ πάντες ἀλλ' ἄλλοι ἄλλως εὖ κάρτα. καὶ ἄλλοθι προσίτερον, ἢ ὀψίτερον ληφθέντα. διαχειρισμοῖσιν, οἷον ἢ ξηρῆναι, ἢ κόψαι, ἢ ἑψῆσαι, καὶ τὰ τοιαῦτα. ἐῶ τὰ πλεῖστα, ὁκόσα ἑκάστῳ, καὶ ἐφ' οἷσι νοσήμασι, καὶ ὁπότε τοῦ νοσήματος, ἡλικίην, εἰδέαν, δίαιταν, ὁποίη ὥρη ἔτεος, καὶ πῶς καὶ ὁκοίως ἀγομένη, καὶ τὰ τοιαῦτα.

Magnum autem in omnibus, quid deinceps futurum sit, considerare: & in quo tempore, & in quibus, valde biliosis in febribus potissimum, omnino quibus ad crura purgatio decumbet: medicaminum'que modos sciamus, ex quibus qualia quæ'que fiant. Non enim omnes similiter, sed alij aliter bene habent: & alibi citius, aut serius, quæ sumuntur, ingenijs præparanda, quale est, aut siccare, aut tundere, aut coquere, & alia id genus. Relinquo plurima, quæcunque vnicuique conducunt: & in quibus morbis, & quo morbi tempore, ætatem, speciem, qualis hora anni, & qualiter procedat: & quæ sunt huiusmodi.

In hac oratione Hippocrates, plurima docet: quæ maximum habent ad morborum curationem, momentum: non solum, vt ægrotus morbo vindicetur: sed etiam, vt medicus crimen internetionis effugere possit. Nam dum medicus præcognoscens, quod futurum in morbis est, id palàm ægrotantium ministris, aut familiaribus exponit, creditur, nō ab re, adamussim tenere ægroti conditionem, & morbi naturam: tum audent ægrotantes magis se concredere

medico: & quæcunq; ille præscribit, libentius admittũt: obsequentiores facti. At vero familiares ipsi, qui ægroti curam gerunt, maxima tunc habent medicum in admiratione: vt si quid sinistri ægrotanti contingat, medico nequaq̃ id imputent: sed totũ id, Dei consilio, factum fuisse, potius dicant. Porro vt medicus, tum victus rationẽ commodè instituat, tum auxiliorum lautam materiam subministret, debet prorsus, morbi ipsius successum non ignorare. An videlicet, breui ad iudicationẽ peruenturus sit: an potius longum post tempus. Si quidem ad futurum statum, animum conuertens, debet probam victus rationem præscribere: cõmodaq; morbis auxilia adhibere. Ac proinde in principio huius libri dicebat, πρὸς τὰς ἀρχὰς σκεπτέον τῶν νούσων, ἢ αὐτίκα ἀνθεῖ. δῆλον δὲ τῇ ἐπιδόσει, τὰς δ' ἐπιδόσιας, τῇσι περιόδοισι, καὶ αἱ κρίσιες ἐκ τουτέων δῆλοι. *id est. Ad initia morborum, animum adhibere oportet: num statim floreant, in vigoreq; sint: id autem ex incrementis manifestum euadet: incremẽta vero ex circuitibus, indeq; iudicia manifesta fiunt. Si enim medicus prænouerit, futurũ iudicij genus, poterit vtiq; singula, quæ impedimẽto naturæ esse possunt, amouere: corpusque ad futuram euacuationem reddere paratum: neq; periculum erit, vt minus opportuna medicamenti administratione, aut naturam ipsam præpediat, aut se ingerat facientem, quæ non oportet. Graue nanq; malum est, ac fœda calamitas, vt dum natura, ad sanguinis, è naribus eruptionem facit apparatum, medicus per imperitiam, acceleret ad ventrem subducẽdum: aut sudorem mouendum: aut quidpiam aliud faciendum, quod opus naturæ interrumpere possit. Id vnum enim (inquit Hippocrates) sedulò debet medicus conari, morbis vt prosit, aut ne nihil noceat. Quod sanè, solum is præstare poterit, qui nouerit, quid consequenter sit faciendum: quidque deinceps futurum sit, nam id omne significat, quod* ἑξῆς *est ab Hippocrate dictum. Quid etiam, quo tempore facere oporteat, & in quibus naturis, quòd potissimũ in acutis morbis, in quibus præceps occasio labitur, omnium maximè necessariũ existit. Nam quanquam in omnibus morbis, id nouisse, imprimis sit ex vsu, tamen in acutis potissimum, in quibus, si semel occasionem neglexeris, non poteris vnquam, quod perijt resarcire. Occasio enim (vt dicebat Hippocrates) præceps admodum est: quam libro* παραγγελιῶν. *id est. præceptorum, sic definiuit,* καιρὸς ἐν ᾧ χρόνος, οὐ πολύς. *id est. Occasio est, in qua non multum temporis continetur. Hanc igitur, medicus arripere debet, vbi potest primũ, ne torrentis instar præterlabatur: præcipuè tamen in morbis acutis, in quibus celerius euanescit. Ac proinde id volens significare Hippocrates, dixit: Valde biliosis, in febribus potissimum: vt genus quoddam morborum acutorum proponeret, quod frequentissimum, maximeq; familiare existit: cuius etiam nomine, reliquas acutas affectiones intelligi voluit. Cæterum, in morbis chronicis, diutinisq;*

Quantũ conferat medicũ futurũ iudicij genus prænoscere.

Occasio Græcis καιρὸς *quid.*

diutinisq; quibus per abſceſſum maxima ex parte iudicationes contingũt, id ipſum, quod diximus, etiam nouiſſe conueniet: veluti cùm in pulmonia vehementi, futurũ in cruribus abſceſſum præcognoſcimus: qui vtiliſſimus ſanè eſt; quòd deorſum nimirũ vergat, & quàm longiſſimè ab affecta parte abſiſtat, ſi morbo ipſo iam cocto abſceſſerit. Idcirco medicus nullo negotio, ſi videat id ipſum, quod diximus, futurum: morbo haud cocto, periculum claudicatis, aut multi negotij imminere prædicet his, qui ægroti ipſius curam gerunt: ac facilè crimine vacare videbitur: quòd morbi naturam exactè tenuerit. Ita ſanè, ſi alijs morbis, aut ad ſuperiores, aut inferiores partes, abſceſſuram morbi materiam prænouerit, culpa proculdubiò omni vacabit: ſi non ex votis curatio ſuccedat. Verùm enimverò, non id duntaxat nouiſſe ſat erit: ſed & medicaminũ modos calluiſſe oportet: ex quibus, qualia quæque fiant. Quòd verò modos, ſoleat Hippocrates nominare naturam, iam à nobis dictum antea eſt: non quidem ex noſtra, ſed ex Galeni ſententia. Hæc autem medicamentorũ natura, à temperamento nihil planè differt. Quod diligenter à medico eſt animaduertendum, tum guſtu, tum odore, tum verò alijs omnibus ingenijs, quibus medicamenta in periculum vocanda ſunt. Nec ſegniter in his, ſe medicus exercere debet, vt facere nonnulli ſanè imperiti ſolent, qui nihil turpius, aut ignominioſum magis arbitrãtur, quàm ſemel medicamentũ aliquod deguſtaſſe: cùm hanc prouinciam, ſeplaſiarum penitus eſſe putẽt, nec vel minimũ ad eos pertinere. Quorum deſidia, ſocordiaq; tam profundam hactenus peperit caliginem, vt ſi qui, bonis imbuti diſciplinis, miſeram calamitoſamq; infœlicitatem cognoſcentes, magnis laboribus, totoq; conatu, ad eam medicinæ partem illuſtrandam, ſe vellent conuertere, partim non poſſent: partim verò ludibrio haberentur: atq; apud indoctam plebeculam, contumelioſo nomine, herbarij vocarentur: quod nomen olim maximo ſanè fuit in honore, dum res lippis oculis non cernebatur. Nam apud Romanos, ille maximam laudem adeptus fuiſſe cenſebatur, quem bonum agricolam, bonumq; colonum omnes dicerent. At verò apud nos, eo tandem corruptionis, res omnes ſunt perductæ, vt nihil ametur, quod non ſit ſordidum, nihil quæratur, quod non ſit fugiendum, nihil reſpuatur, quod non ſit amandum, ſummiſq; præcordijs colendum. Id autem ob deprauatas hominũ mentes maximè cõtingit: quæ nihil vnquam præter fraudem meditantur: non ſolum quo ſe extollant, ſed etiam quo alios omnes deprimere poſſint. Atque id in omnibus, tum artibus, tum vitæ exercitijs alijs, vſu venire videmus. Quare, ſtudioſus quiſque, vt ſapientiam ſolam indipiſcatur, reliqua omnia, contemnere debet. Ita ſanè fecerũt, viri ex Gallis, & Germanis nõnulli, ac etiam ex Italis, quibus ſtudioſi per omnem vitam ſummas ſemper habere gratias debent: non minus quàm parentibus, à quibus ſunt educati.

Agricolæ nomen olim maximo in pretio habitum eſt.

Qui maximè rem herbariã restaurarint.

Singulorũ medicamẽtorum naturam callere medicus debet.

cati. Hi nanque oblatrantes in circuitu canes, ac multoties mordentes, nunquam sunt, vel minimũ morati: quo minus obnixè in suo perstarent instituto. Inter hos primus Ruellius Suessionensis, hanc partẽ multò candidiorem reddidisse videtur: quæ suo tempore, omnino labefacta pessum ierat. Hunc Antonius Musa Brassanolus nõ vulgaris eruditionis vir secutus, suum officium præstitit: quoad potuit, in hac medicinæ parte illustranda. Demum Leonardus Fuchsius Germanus, ac alij plures, quos nunc, vt breuitati consulam, nõ nominatim perstringo, doctissimi sanè viri, suorum ingeniorum dotes, in his restaurandis, quæ penitus conciderant, impenderunt. Quod sine maximo labore præstari non potuit: vt & nos facilè testari possumus: qui vt librum, iam pridem de stirpium historia, à nobis inchoatũ, ad vmbilicum perduceremus, summa montium iuga, nõ semel in maximis æstibus, interim verò, & in frigorum densissimo gelu, scrutati sumus, prata etiã, conuallesq; (amœnissima sanè loca) sedulò perquisiuimus: non citra maximum corporis, ac vitæ periculum. Sed omnia hæc, libenter semper admisimus, quò possemus, vel in hac saltem re, in qua non minimum laboris impendimus, studia medicorum augere: illorum (inquam) qui sapientiæ amore capiũtur: nam alios omnes nunquam medicorum nomine intelligi volumus: cùm potius sint ἀλάστορες, ac hominum pernicies. Nos ergo in eo libro, enixè studuimus, vt singularũ plantarum, exactam traderemus historiam: quæcunque apud Dioscoridem, aut Theophrastum, aut Pliniũ, non reperiuntur adnotata, ea omnia ex plantæ aspectu, descriptioni adijcientes: quo facilius, studiosus quisque, vel sola delineatione, quamque stirpem cognoscere possit. Plurima etiã adnotauimus, quæ ad plantarum tum folia, tum flores, tum species, attinẽt: solum nanq; hoc satis ad herbas educandas est comparatum: quanq̃ seplasiarij nostri, longius aducent, quod possent in promptu habere: si tamen idipsum cognoscerent. Quare in his longiores esse nolumus: duntaxat nebulonibus nostri temporis, offerre conten ti, quod Hippocrates in hac parte in medico desiderasse videtur: scilicet, vt singularum medicaminũ naturam probè calleat, quid vnumquodq; ipsorũ in corpore præstare possit, cognoscens: & cuiusmodi medicamẽtum singulis naturis sit accõmodatum. Non enim omnes eodem medicamenti genere tractandi sunt: sed pro corporis temperamento, ac pro ægrotationis differentia, aliud atq; aliud est quærendum. Iam deinde se conuertit ad ministros: vt singula, quæ ægroti sumpturi sunt, opportunè sint parata, medico monente. Non enim solum, seipsum oportet præstare opportuna facientem, sed & ægrotantes, & assistentes, & exteriora. Alibi igitur, quæ sumuntur ingenijs sunt præparanda, veluti aut siccanda, aut tundenda, aut coquenda. Quædam enim eorum, quæ ægrotus sumere debet siccãda sunt: vt cùm brassicam marinam, ad vsum

Hyderici cuiusdam, exsiccari iubemus, tum in vmbra ea siccari debet, tum verò, longo ante vsum tempore: quoniam lenta admodum herba sit, ac glutinosa, quæ longum ad exsiccationem tempus requirat. At verò, tundimus medicamenta, non omnia similiter: sed alia in tenuissimum pollinem, alia crassiusculè, veluti Veratri genera, ne strangulationis noxam inferre possint. Quin & alia omnia pro necessitate oblata, aut tenuius, aut crassius, tundimus. Quod enim tenuissimè in pollinem tunsum est, magis vrinas mouere consueuit: quod verò crassius, aluum potius subducere potest. Denique in coctione, non idem perpetuò seruandus modus est: sed herbæ, aut medicamenti natura consideranda. Alia etiam plurima, adnotari in hac parte possent, sed hæc ad Hippocratis sententiam intelligendam sufficiant. Quare iam nunc ad alia transeundum nobis est.

Ζωΐλῳ παρὰ τὸ τεῖχος, ἐκ βηχὸς πεπείρως, πυρετὸς ὀξὺς, καὶ ἀπὸ προσώπου ἔρευθος, καὶ κοιλίη ἀπολελαμμένη, πλὴν πρὸς ἀνάγκην. πλευροῦ ὀδύνη ἀριστεροῦ. καὶ οὖς κατ' ἴξιν ὀδυνᾶτο πάνυ, καὶ κεφαλῆς οὐ τοσοῦτον. πτύων διὰ παντὸς ὑπόπυον φύσει. ἀλλὰ τὰ ἄλλα ἐκρίθη. καὶ κατὰ οὖς ἐρράγη πύον πολὺ, περὶ ὀγδόην, ἢ ἐνάτην, αἱ δ' ἀρχαὶ τῆς ἐνάτης, ὀδύνης τοῦ ὠτὸς τέλος. οὐκ οἶδ' ὅπως αὐτοῦ ῥῖγος ἡ κρίσις, ἵδρωσε κεφαλὴν κάρτα καὶ οὗτος, ἐμπεδοτήμη ξυνίκαυσις καὶ ἀριστεροῦ πλευροῦ.

11. Zoilo iuxta mœnia habitanti, ex tussi concocta febris contigit acuta: & faciei aderat rubor: & aluus intercepta, nisi ad necessitatem. Lateris sinistri dolor: & auris è directo doluit supra modum: caput verò nõ adeò. Spuens semper suppurulentũ ægrotabat: Sed alia iudicata sunt, & secũdum aurem puris erupit plurimum, circiter octauam, aut nonam diem. Principia autem nonæ diei, doloris auris finis. Nescio quomodo sine rigore iudicium factum sit, sudauit caput valdè & hic. Firma fuit inustio lateris sinistri.

Ἀπολελαμμένην κοιλίην, πλὴν πρὸς ἀνάγκην. *id est, interceptã aluum, præterquã ad necessitatẽ, vocauit Hippocrates, eam scilicet, quæ ita quidẽ fuerit resiccata, & cohibita, vt in spyras conuoluta récremẽta, instar caprarum, ne simpliciter etiã excernantur, sed adhibita medici diligentia, & industria, vel per clysterem: vel glandulã. Talis sanè fuit huius Zoili affectio, quæ non ob aliam causam, quàm ob flagrantem, ardentemq; circa medium corporis, affectionẽ inflammatoriam, contigisse potuit: quod & acuta febris indicauit. Nam interdum in rectè valentibus, ob diuturniorem in intestinis recrementorum moram idipsum euenire videmus: quod in Zoilo contigisse, credere par non est. Ita etiam in prorrheticis dicebat:* κοιλίαι ἀπολελαμμέναι, σμικρὰ δὲ μέλανα πρὸς ἀνάγκην χαλῶσαι, μυκτὴρ ἤδη τουτέοισι ῥηγνύμενος, κακόν. *id est.*

Interceptæ

Interceptæ alui quæ parua, nigra, ad necesſitatē demittunt, his ſi nares rumpant, malum. Hic ergo ægrotus ex tuſſi concocta cœpit ægrotare: quam ex catarrhoſa aliqua affectione ortam fuiſſe, eſt veriſimile. Hanc verò per corpus tumultuantem, tum ad latus, tum etiam ad aurem ſe cōtuliſſe, inibiq; abſceſſus excitaſſe, dixit: quorum alter, is nimirum, qui apud aurem erat, nona die iam ſuppuratus, euanuerit, qui verò, ad latus ſe contuliſſet, vtpote qui ex materia eſſet, magis glutinoſa, ac viſcoſa, magiſq; etiā incocta, non potuerit tam citò expurgari: ſed neceſſum omnino fuerit, inuſtione ex cauterio ſiccatū abſumi. Quod interdum veteres medicos, potiſſimumq; Hippocratem factitaſſe videmus: vt in libro de articulis apertè edocuit: vbi nimirum aliquam ob cauſam caro, quæ laterales muſculos conſtituit, muccoſam, glutinoſamq; aliquā materiam contraxerit: quæ dolorem ipſi inferat. Id autem bifariam contingere poſſe, interpretatur Galenus: aut cùm oſſeæ partes, cartilaginoſæq;, ob imbecillitatem concoctricis facultatis, non probè confecto nutrimento, muccum quendam minus exactè elaboratum edunt, quemadmodum in oculis lippitudo innaſci aſſolet: aut cùm aliunde hic humor delatus, carneam muſculorum ſubſtantiam irrigauerit. Cùm ergo id contigerit, inuſtio optimum eſt medicamentum: vt Hippocrates dicebat. Τούτοισι καῦσις ἴησις ἀρίστη, καὶ ἢν μὲν αὐτῇ ἡ σὰρξ μυξώδης ἐῇ ἄχρι τοῦ ὀστέου καίειν χρὴ, μὴ μὴν διαθερμανθῆναι τὸ ὀστέον, ἢν δὲ μεσηγὺ τῶν πλευρέων ἔῃ, ἐπιπολῆς μὲν, οὐ δὲ οὕτως χρὴ καίειν, φυλάσσεσθαι μέντοι μὴ διακαύσῃς πέρην. *hoc eſt. His vſtio medicamentum eximiū: & ſi quidem ipſa caro muccoſa euaſerit, vſq; ad os comburere oportet: ita quidem, vt os nō incaleſcat. Si autem inter coſtas fuerit, ſuperficie tenus vrendum eſt: non vti dictum antea eſt, ſed ſedulò obſeruabis, ne vras vlterius. Galenus autē in commentatione in hunc modum habet:* Τὸν γλίσχρον χυμὸν ὅταν ἀδυνατήσωμεν ἐκδαπανῆσαι φαρμάκοις, ὑπόλοιπος ἴασις ἐστὶν ἡ διὰ τῶν καύσεων. ὅπως δ᾽ αὐτὴν χρὴ ποιεῖσθαι, σαφῶς ἐδίδαξεν. *id eſt. Glutinoſum ſuccum, cùm non poſſumus abſumere medicamētis, reliqua eſt, quæ vſtione fit medicatio: quam quo pacto fieri debeat apertè edocuit. Id vnum tamen addere ex vſu fuerit, quoniam Hippocrates nuſquam tradidiſſe videtur, neque item Galenus, quo nimirum inſtrumento, aut ingenio, in laterum doloribus, vſtio ſit exercenda: quod apud Arabem Albucraſem facilè comperire poterimus. Id autem Ariſtolochiæ radice præſtari debet, in hunc modum apparata: ea digitali craſſitudine inquiri debet: oleoq; diutius immergenda, quouſque ſatis olei ebiberit: poſtea igne eſt accendenda; ac vrendæ primum eæ ſunt partes, quæ clauiculam cum collo connectunt. Rurſus duæ aliæ paruæ vſtiones ſub ſoporarijs venis adhibendæ: quo fortaſſe impetus deſcendentis à capite fluxionis cohibeatur. Iam verò duas alias adhibebis vſtiones, inter coſtam, quintam & ſextam. Rurſus*

Laterū dolores interdum cauterio curabant antiqui.

aliam in medio pectore. Deniq; aliam super stomachum: quanquam non admodũ facere ad rem videatur, tot vstionibus vrere, nisi vehementem videris fluxionis à capite impetum: Aliòqui enim sat erit, quo diximus modo, dolentem duntaxat partem superficie tenus deurere.

Ἀνω ἅμα ὠτὶ, ἀνωδύνη μάλιστα κατ᾽ ὠμοπλάτην.

12. Sursumq; cum aure, & scapulæ dolore leuatæ sunt.

Iam id vobis præcedente oratione ostendit, cùm diceret: nonæ diei principium, doloris auris finis, in sequentibusq; rursum nobis ostendet: venter vsq; ad nonum & decimum substitit; dolorq; euanuit; nimirum, quòd ex aure puris plurimum effluxerit. Nam & antea, in prima sectione huius libri dicebat: optimi itaq; sunt abscessus, qui deorsum vergunt: qui etiam quàm maximè sub ventre fiunt; quin etiam hi qui quam longissimè à morbo apparent; & qui per effluxum fiunt: vt sanguis ex naribus, pus ex aure. At quòd dolor, pure confecto, euacuatoq; euanuerit, maximè est rationi consentaneum: dum enim pus conficitur, dolores, & febres magis vrgent, quàm pure cõfecto. Iam verò, cùm pus cõfectũ est, dolor abit: quòd si simul exernatur, vtpote quòd doloris nulla causa remaneat, in totum dolor abolebitur. Quod in ægrotãte isto, liquido videmus euenisse.

Ἀτὰρ καὶ ἔμπροσθεν πτύελα πολλὰ, κατ᾽ ἀρχὰς πτύοντα ἀνθηρὰ, καὶ ἀμφὶ ἑβδόμην, ἢ ὀγδόην. ἔπειτα πέπονα. κοιλίη ἔστηκε μέχρις ἀμφὶ ἐνάτην, καὶ δεκάτην. ἡ ὀδύνη ἀπέσβη, οἴδημα ἀνίει, ἱδρῶτα ἐγένετο, οὐ μὴν ἔκρινε.

13: Cæterum prius sputa plurima adfuerunt: per initia quidem cùm spuerentur florida, quin & circa septimam, & octauã diem postea concocta. Vẽter substitit, vsq; ad nonũ, ac decimũ diem, dolor euanuit, tumor remittebat, sudores eruperunt, non tamen iudicarunt.

Præsens sermo, ac etiã sequens, quæ superius obscurè dicta sunt, videntur elucidare. Fortasse quòd cùm breuitate mira, in caput vnũ, quæ ægroto huic acciderunt, complexus esset Hippo. deinde cognouisset, ea supra modũ obscura esse vt vel illi etiam, adferrent dubitandi ansam. Nam per deos obsecro, quis ex hac sermonis serie intelligat quota die factum fuerit iudiciũ, & quomodo? Spuens semper suppurulentũ ægrotabat; sed alia iudicata sunt, & secundũ aurem pus erupit plurimũ, circiter octauã, aut nonam diem: principia autem nonæ diei doloris auri finis. Nescio quomodo sine rigore iudicium factum sit, sudauit caput valde & hic: firma fuit vstio lateris sinistri. Quis non ex his intelligat, eo tempore factum fuisse iudicium, quo ex aure pus effluxit; nempe circa octauum & nonum? Quis præterea non putet vel pus (id quod ex aure defluxerat) vel sudorem decreuisse? Quis existimet, iudiciũ decimo

quarto

quarto die, absq; rigore euenisse, sudorem verò illum, qui circa caput nono die apparuit: non iudicasse, nisi ipsemet Hippocrates, in hac verborum serie rem omnem clarius proposuisset? Madores adfuerunt: non tamen iudicarũt. Item paulò inferius, Et iudicatus morbus est, absque rigore decima quarta die. Quod igitur in initio sputũ subpurulẽtum dixerat, nunc floridũ nominat. Atqui floridũ sputũ, sanguinis significat immixtionẽ aliquam; quẽadmodũ spumosum pituitæ, pallidum verò bilis, nigrũ bilis atræ. Nam & id Galenus libro sexto de morbis popularibus annotauit sectione quarta, dum de Agasio quadam puella dissereret. Sputorum verò ratio in pulmonis ac pectoris vitijs eadẽ sanè est, quæ vrinarũ in febribus subsidẽtiæ, nam quæ nequaq̃ subsidẽt, summam cruditatem significant: sic quibus nihil spuitur morbus summè crudus est: quẽadmodum Galenus scripsit: ἀπεπτότατη νοῦσος ὅπου ἐφ' ἧς ὅλως οὐδὲν πτύεται. id est, crudissimus morbus est in quo nihil omnino spuitur: sic quæ incoctæ pleuritides, in quibus nihil spuitur, aut celeriter hominem rapiunt, aut longo temporis spatio finiuntur. Cùm verò iam ægroti non admodũ arida tussi molestantur, sed quædam spuunt, attamen cruda, tenuiaq́; horum quidem morbus crudus est: verum secundũ in cruditate locum obtinent. Quòd si iam suppurulenta quædam emittãt, florida, hoc est, rubicũda, aliquam iam coctionem portendunt. At verò, cùm sputum subflauum, subspumeum've sit, ac tenue, cruditatem haud dubiè significat. Si verò merum sit, non solum cruditatem, verùm & perniciem ostendit; quomodo & si viride sit, nigrum, spumosum, aut glutinosum, aut rotundum. Siquidem quicunq; aliorum humorũ metus fuerit, præter sanguinem, vitiosam iudicat internam dispositionem, à malo caloris temperamento generatã. Solum ergo, quod leue, albumq́; sit sputũ, ac æquale, concoctionem significat: à quo suppurulentum non valde admodũ distat: quoniam quod purulentum est, exactam significat concoctionem Hip. vti libro præsagiorum secundo scriptum ab eo est, τοῦ πτύελου αὐτίκ ξανθοῦ πυώδεως γινομένου. id est, sputo pro flauo purulento existente, nam & Galenus in ea parte scriptum reliquit: δείκνυται γὰρ τὴν πέψιν ἡ μεταβολὴ τοῦ πτύελου. hoc est. Significat autem concoctionem mutatio sputi quomodo eo apparente sputo, abcessus de quo Hippo. in ea agit parte laudandus est: qui citra concoctionem neutiquam posset. Huiusmodi autẽ sputum, puris concocti, neq; infecti, quod ex inflammata parte transumitur, refert speciem. Pus nanq;, quod concoctum est, leue quidem, æqualiq́; consistentia, ac album apparet. Meritò igitur ægrotus hic, qui laterali morbo laborabat, decimo quarto die liberatus est: cum semper concoctum sputum fuerit; quanquam nona die, iam magis coqueretur sputum. Non enim suppurulentum sputum, summè coctum est putãdum, siquidẽ quod est huiusmodi, πέπονον, aut πυώδες. nominatur. ὑπόπυον verò, id est,

Sputorum ac pectoris sputorũ ratio maximè est habenda.

Purulentũ sputum apud Hippocratem pro concocto.

id est, suppurulentum, ab eo parum abest. Nec mirum sanè est, si ex tussi concocta in lateris deueniens dolorem, perpetuò concoctum spuerit. Nam quanquam ex inflammata parte, per initia sputum coctũ non prodiret, tamẽ quod ex tussi antiqua originẽ ducebat, concoctũ erat: quod planè tunc spuebatur. Cæterum, mirabitur fortè aliquis, si ei, qui ex tussi cõcocta (vt retulit Hipp.) in lateralem morbum incidit, nõ statim per initia quod spuebat, summè coctũ esset. Nam id suppurulentum vocauit Hippocra. non tamen planè coctum. Si nanq; tussis cocta erat, quid causæ fuit, quò minus id quod tussi coctũ antea spuebatur, tunc non coctum esset, sed suppurulentum? Non enim rationi est consentaneum concocta, ita celeriter in suppurulenta transire, nam acuta febris potius iam cocta deflagrasset, ac deussisset q̃ crudiora reddidisset. Frigus enim coctam materiam recrudescere facit: calor haud item. Cæterum, si morbi rationem spectes ac modũ, admirationis non erit locus. Nam cùm sum me crudam eam lateralem affectionem fuisse non sit iudicandum, ex inflammata parte, per insensiles meatus, semper aliquid effluxit: quod per initia crudum erat. Id igitur cum materia, quæ tussi expuebatur immistũ, eam crudiorem reddebat: non quidem crudam, sed qualẽ est sputum suppurulentũ, quod puris non omnino refert effigiem, sed eò tendit. Nam si puris omnimode esset similis, tunc sanè cõcoctum iudicaretur. Materia ergo in coctione retrò acta, argumentum fuit, inflammatam partem, ex se omninò aliquid remisisse, quod morbum ipsum breuiorẽ effecit. Nam ex post apparẽtibus (vt inquit Hipp.) totam licet morbi consistentiam coniectare, quemadmodum in pleuriticis, sputum si confestim ab initio appareat morbum facit breuiorem, sin autem secus prolongat. Non ab ratione igitur Hippocra. nona die concoctum fuisse sputum dicebat: qua in parte πέπονα legendum censemus, id est, concocta, non ἐπίπονα, id est, cum labore, quemadmodum Cornarius. Nam & inferius paulò dicet: ἐπεὶ τὸ οὖς ἐῤῥάγη πεπειρότερον, id est, posteaq̃ verò auris dirupta est, concoctum magis prodijt sputum. At verò auris rupta est, nona die, vt superius est dictum. Quoniam tunc tum id quod ex inflãmata parte prodibat, tum etiam id, quod tussim concitabat (si quid eo tempore esset) planè erat concoctum. Porrò lateralis morbus terminum suæ iudicationis habet quartum decimum. Propterea, & hic morbus quarto decimo die iudicatus est: potissimum cùm statim per initia sputũ apparere cœpisset. Nam in Anaxione, quẽ refert libro de morbis popularibus tertio, non mirum si ad vigesimũ vsq; diẽ morbus productus est; cùm tantum abfuerit vt initio spueret, vt octaua etiã die tusses siccæ subsequeretur. Morbis igitur singulis insunt symptωmata; alia quidem necessario, alia verò secundum plurimum. Quemadmodum in morbo costali, symptωmata necessaria sunt: lateris dolor cum febre, spirãdi difficultas, &

Quare hic ægrotus perpetuò sputum cõcoctum reddiderit.

tas, & tussis, vt plurimum verò contingentia, vt spuere quidpiam cum tussi, vel flauum, vel floridum, vel spumosum. Itaque, cùm Hippocrates hunc nobis laterali morbo correptũ proposuerit, inquirendum sanè est: qua ratione spiritus non meminerit: cùm in alijs semper eum nobis imprimis proponat. Quare animaduertendum est: quòd vbi consuetæ fuerint symptωmatũ formulæ, tũc solo vniuersali nomine contentus est Hippo. quod primũ Galenus in Hippo. adnotauit. Vbi verò quiddam eorum, quæ rarò videntur incidit, id confestim definire aggreditur. Cùm igitur in ægroto proposito, symptωmata plurima vsitatam non seruarent formã, consuetamq́; ipsa sigillatim definiuit. Non enim dixit, ex diutina tussi in febrem incidit, sed in febrem acutam: quasi acuta febris, non continuò laterali morbo succedat. Neque quòd tantum tussiret, sed etiam quale esset sputum, nempe per initia suppurulentum, ac floridum, post octauam verò diem abundè concoctum. Spiritus verò nequaquam meminit: nimirum quòd id symptωma consueto modo ægrotum afficeret, essetq́ue quale in pleuriticis solet exiguus & frequens, qui laborem motorum per respirationem instrumentorum significat.

Maxime notãda hæc sunt ad intelligendum Hippocratem: quæ Galenus primũ animaduertit.

Δῆλα δὲ ἦν καὶ ἄλλοισι, καὶ τῇ διεξόδῳ. περὶ γὰρ ἀρχομένην τὴν τοῦ ὠτὸς ὀδύνην καὶ ἡ γαστὴρ ἐπεταράχθη. ἐῤῥάγη δ' ἐκ τοῦ ὠτὸς ἐνάτῃ, καὶ ἐκρίθη τεσσαρεσκαιδεκάτῃ ἄνευ ῥίγεος ἡ νοῦσος τῇ αὐτῇ ἡμέρῃ. Ἀτὰρ τὸ πτύελον λαμπρότερον ἦν, ἐπεὶ τὸ οὖς ἐῤῥάγη καὶ πεπειρότερον.

14. Manifesta fuerunt, tum ex alijs, tum ex secessu. Nam cum auris dolor inciperet, & venter insuper turbatus est. Erupit autẽ ex aure nona die: & iudicatus morbus est decima quarta, citra rigorem eadem die. Cæterum, sputum postquam auris dirupta est, largius effluxit, & magis concoctum.

Quòd madores illi, quos copiose circa caput antea dixerat erupisse, nõ iudicauerint, manifestũ euasit: tum ex alijs, tum ex secessu: qui morbi materiã indicabat: quæ fortasse vt sudore vacuaretur nõ erat apta, vtpote quæ catarrhosa, ac pituitosa extiterit. Sed cùm dixisset, aluum fuisse interceptam, mirum sanè est, quòd ex secessu nũc dicat iudiciũ fuisse desumptũ. Verùm enimvero, quanquam aluus fuisset intercepta, tamẽ cùm auris dolor inciperet, tumultuante nimirũ materia, per vniuersum corpus, venter etiã turbatus apparuit. Quod sanè coniecturam potuit confirmare. At verò madores illi, quos in initio ostẽdit, nona die, circa caput duntaxat fuisse, pessimi proculdubiò extitissent, si nõ copiosè effluxissent, adiutiq́; essent purgatiõe, quæ per aurem fiebat. Si igitur decretorio die cõparuissent, & non vt oportebat, proculdubiò in discrimen ægrotũ adduxissent: nam minimũ, quod minabantur syncope erat. Hi in acuta febre mortem portendunt: si quidem tentantem noxios humores expellere

Multæ particulares euacuationes sibi mutuo sunt auxilio.

expellere naturam significant, attamen præ imbecillitate, quod proposuerat perficere nequeuntem. Cæterum in præsenti ægroto, hi sudores decretorio die non eruperunt, verum copiosè fluxerunt, adiuuabanturq; purgatione, quæ ex aure fiebat, qua de re non in discrimen ægrotum adduxerunt: quanquam ex toto non iudicarint morbũ. Nam quòd copiosè fluxissent, aliamq; vacuationem patronam habuissent, nihil mali portendebant. Quoniam autem ex capite tantũmodo fluxissent, in totum morbũ abolere non potuerũt. Quapropter in his, maximam Hippo. prudẽtiam, demiror: qui ne verbũ vnum ociosè protulerit, nec in his etiam quæ nõ scribebantur vt in lucem prodirẽt. Quis enim tantam vim in ea dictione κάρτα, quæ valdè significat latere credidisset: in hac oratione, sudauit valdè caput & hic: vt non id iudicium de sudore, quod duntaxat circa caput apparet, ducẽdum esset, quod ipse in præsagijs scripsit. Verum, quoniam is copiosus esset, non solum pessimus non erat, sed etiam ali qua ex parte contulit: siquidem ægrotum scapularum dolore, ac auris liberauit, prohibuitq; ne lateris inflãmatio prorsum iret, nimirũ plurimo per sudorẽ vacuato humore. Nam lib. præsag. 1. qua parte sudorem, qui circa caput, collumq; ac ceruicem tantũ fit: damnauit: in hunc modũ scribit: ἀδὲ κατὰ σταλαγμὸν καὶ ἀτμίζοντα. i. Si verò guttatim, ac per stillas fluant, boni sunt: quanquã circa caput duntaxat appareant. Non igitur sermones Hippoc. oscitanter, aut obiter legendi sunt: sed iterum atq; iterũ excutiendi, ac concoquẽdi. Propterea cùm in præsagijs dixerit, pessimũ esse sudorem frigidum, ac eum etiã, qui circa caput, duntaxat fit, aut vultum, aut ceruicem, & in hac parte copiosum addiderit, non ab ratione id adiectum fuisse putandũ est. Si nanq; circa caput duntaxat fiat, naturam significat admodũ exolutam, quæ id quod tentauit præstare non possit. Quod si tunc copiosè fluat, quomodo naturam institutum, munusq; suum non exequentem significabit: quin potius quod instituit præstabit: aut saltem ab eo præstando parũ aberit. Ergo, tum ex alijs nempe ex his, quæ de sudore colliguntur notis, manifestũ euasit, madores nõ decreuisse in totum, tum etiam ex secessu, qui morbificam materiã luculenter ostendebat. Ex notis quidem (vt in vniuersum cõplectar) quoniam si per totum corpus sudasset, proculdubiò morbo fuisset liberatus. Si verò per caput duntaxat, neque id copiosè, neq; aliæ simul extitissent purgationes in perniciem egisset. Mediũ igitur adfuit: vt neq; in perniciẽ ageret: neq; perfectè liberaretur: quod per madores, qui ex capite fluxerant adeptus est: ijsdemq; copiosis. Porrò autem iudicium, quartadecima die factum fuisse, ait: nec iudicauit quomodo, miratur autem, quare absque rigore contigerit. Fortasse quòd in deurente illa febre, expectasset materiam in iudicio agitandam, extra venas prodituram, rigoremque illaturam: quod in ardentibus febribus

Mira Hippocratis laus qui nullum verbũ protulit κάρτα.

sæpenumero cõtingit, ipsomet in aphorismis scribente, ὑπὸ καύσου ἐχομένῳ, ῥίγεος ἐπιγενομένου, λύσις. *ab ardenti febre correpto si rigor superuenerit morbi solutio fit. cùm verò, in hac ægritudine, materia aliò repsisset, aut ad aluum, aut ad sanguinis profluuiũ, aut etiam ad sudorem, qui ex capite multo deinceps tempore profluxit: admirationis causa Hippo. data est.*

ἱδρῶτες δὲ ἑρπηστικὰ, ὑπὸ πολλοῦ χρόνου ἐκ κεφαλῆς ἐγγινόμενα. ἐξηραίνετο ὡς τρίτη.

15. Sudores verò, ac serpẽtia vlcera in capite longo deinceps tempore facta sunt, quæ tertio quoq; die arescerent.

Satis apertè ex hac Hippo. sententia constat, sentinam totius affectionis caput fuisse: ac proinde non absq; ratione in eo, hæc producta fuisse serpentia vlcera, sudoremq́; plurimo perdurasse postea tempore nõ est mirum. Sed hæc ipsa, vtpote ex materia potissimum biliosa, tertio quoque die arescebant: rursusq́; repullulabant: id nanque dictum ab Hippocrate est, ὡς τρίτη, *quasi* διὰ τρίτης *dixisset.*

Ὁπόσα ἀσήμως ἀφανίζεται δύσκριτα, οἷον τῇ τοῦ Πολεμάρχου παιδίσκῃ ἐρυσίπελας.

16. Quæcunq; nullo relicto signo euanescunt, malè iudicantur, quemadmodum Polimarchi pedissequæ sacer ignis.

Erisipelas ab exterioribus, verti ad interiora, malum esse dicebat in aphorismis: quoniã expurgatam, explosamq́; semel materiã à viscere aliquo præcipuo, nõ est bonũ, rursus affectam sedem repetere: summam enim virtutis imbecillitatem significat: meliusq́; est (vt scribit Galenus) si huiusmodi signorũ genus, nunq̃ appareat, quàm si vbi apparuerit cesset, quemadmodũ & Hipp. in primo de morbis popularibus aiebat. ἐξανθήματα μικρὰ καὶ οὐκ ἀξίως τῆς περιβολῆς τῶν νοσημάτων, καὶ ταχὺ πάλιν ἀφανιζόμενα. *id est. Exanthemata parua erumpebant: quæ non meritò morbum ipsum cõplecti poterant, statimq́; euanescebant. Huiusmodi sunt parotides: quæ vbi primũ eruperũt, e uestigio abierunt: aut sudores, qui duntaxat se ostentarunt, non tamen perstiterunt diutius: Talium autem signorum genus deterrimum est.*

Melius est, nõ apparere vacuationem, q̃ euanescere cõfestim.

Οἱ ἐπὶ βουβῶσι πυρετοὶ, κακὸν, πλὴν τῶν ἐφημέρων. καὶ οἱ ἐπὶ πυρετοῖσι βουβῶνες, κακίονες ἐν τοῖσιν ὀξέσιν ἐξ ἀρχῆς παρακμάζοντες.

17. In bubonibus febres malæ sunt, exceptis diarijs. Et q in febribus apparent bubones, nequiores in acutis per initia decrescẽtes.

Primam huius orationis partẽ, scripsit etiam Hippo. in aphorismis: in quibus omnes febres in bubonibus malas esse dixit, præter diarias. Atqui bubonas solet nominare, omnem in glandulis simplicem inflammationẽ: siue in inguine, siue in collo, siue in axillis constiterint. Quæ si in scirrũ aliquando fuerint induratæ, χοιράδες *id est. strumæ nominãtur. Diarias verò omnes febres quæ diem nõ transcẽdunt appellat ex sui ratione: in quibus nondum humor*

aliquis

aliquis computruit: sed sola est in spiritibus corporis feruefactio. At verò bubones, interim ex euidenti causa originem ducunt: quam προκαταρκτικὴν appellant, quemadmodum ex ictu, aut casu, aut vlcere aliquo magno in pede, aut manu: quod per venam aliquam insignem, glandulas in consortium ducere solet. Hic si febrem accendat, diaria sanè erit: omni periculo vacans, quam ex vrina non multum à naturali desciscente, & caloris suauitate, & madoribus circa faciem, atque pulsuum æqualitate cognoscemus. Interim verò, ex causa abdita, internaque, quam προηγουμένον αἴτιον appellant oriuntur: quales sunt, tum viscerum inflammationes, tum abscessus, humorumq; prauorum multitudo: in quibus si febres accendantur, malignæ erunt: periculoque haud quaquam vacabunt. Sæpe etiam ex pestilente materia oriuntur: quæ dum ad viscus aliquod se contulit, tanquam inquieta præ furore, eue stigio ad illius visceris amplos meatus conuertitur; per quos expurgari ipsum consueuit. Atque ita, aut in axillis, aut in inguinibus, aut in collo, exilem quendam tumorem exsuscitat; qui non est ad morbum concipiendum idoneus; imò sæpissimè confestim nullo relicto signo recurrit; hominemq; de medio tollit. Cæterum, qui in febribus apparent bubones, nequiores sanè sunt; in qua parte exacta consideratione est opus; multaque prudentia, vt an iudicatorio modo insurgant, assequaris. Nam qui per iudicationis modum erumpunt, morbū sem per demoliuntur: si cum notis concoctionis apparuerint. Ac proinde Hippocrates dixit, per initia in acutis febribus decrescentes, quoniam si per initia eueniant, non possunt quoquam pacto laudari: cùm coctionis indicia eo tempore haudquaquam appareant. Tunc enim per modum symptomatis erumpunt: potissimum decrescentes, hoc est, ad dissolutionem tendentes: quemadmodum per initia febrium pestilentium contingit. Nam & rustici idipsum ab experientia sunt edocti: vt minus illi timeant, cui abscessus maior eruperit, illum rursus citius moriturum sciant, cui exilis admodum abscessus visus fuerit: potissimum si euanescere, aut decrescere videatur.

Bubones pestilentes quomodo recurrant, celeriter.

Τὰ πνεύματα ὑποχονδρίοισιν ἔπαρσις μαλθακὴ, καὶ σύντασις οὐδετέρη, ἐπ' αὐτῶν ἄνω στρογγύλον, ἐν τοῖσι δεξιοῖσι, οἷον περιφερεία ἀποπυητική. ἄλλο μακρότερον ἢ πλέον. ἄλλο κεχυμένον. ἄλλο κάτω ῥέπον, καὶ ἔνθεν καὶ ἔνθεν ξύντασις μέχρι τοῦ ὀμφαλοῦ. ἐν πάσῃ τῇ ἄνω ἕξει, ἢν ἐπαναστέλληται, καὶ ἐπιλήψηται εἰς τὸ περιφερὲς, ἢν μὲν πνεῦμα ᾖ ἀκρίτως λεπτύνεται θέρμῃ, ἢν δὲ τοῦ διαφύγησιν εἰς ἐμπύησιν ὁρμᾷ.

18 Spiritus, præcordijs elatio mollis, & intensio neutra, in ipsis sursum rotundum, in dextris velut circumferentia suppuratoria, aliud longius magis, aliud diffusum, aliud deorsum vergens, & hinc inde contensio ad vmbilicum vsque. In omni sursum habitus rectitudine, si reuocetur, atq; in rotūditatem abeat, siquidem

spiritus fuerit, sine iudicatione, attenuatur calore, sin autem eum effugiat, in suppurationem tendit.

O Edipo coniectore in hac parte me hercule est opus. Nam ex his orati[o] esse videtur, quas autores data opera obfuscant: ne intelligi vnq̃ à quoquam possint. Quare nisi viderẽ, in communẽ vtilitatem labores nostros cõuerti posse, nõ admodum morarer, hæc obiter percurrisse, quæ plus laboris, quàm vtilitatis videntur polliceri. Verum ne cõiectura nostra hæc caruisse videātur, primum quidẽ τὰ πνεύματα. id est. spiritus intelligi volumus, flatuosam in præcordijs contentam materiā, non speciem aliquā difficilis respirationis, qua creber spiritus efficitur, quanquam frequenter πνεῦμα, in ea significatione sumi ab Hippoc. sciamus. Nam Galenus libro de spirandi difficultate vltimo, ab ea constitutione, quæ in principio huius sectionis scripta est, per quam sublimes non admodum spiritus reddebantur, vsq; ad sequentem orationẽ, in qua scripsit πυκνὰ πνεύματα, nullam difficilis respirationis speciem commemorasse Hippo. scripsit. Quare in hac parte, spiritus φῦσας, hoc est, flatus significabũt quemadmodũ interdum ea affectos passione Hippo. πνευματίας, aut πνευματώδεας. id est, flatulentos, spiritososq; nominat; in quibus præcordiorũ mollis elatio videtur: quæ interim quidẽ sedetur, interim verò, denuò suboriatur, nunc in vna solum parte, dextera (inquam) aut sinistra, nunc verò in vtraq; simul, vt neutra pars magis videatur esse intenta. Sed id multoties non ob flatulentam in præcordijs contentam materiam euenit, sed ob viscerum internorum potius obstructiones, quæ sæpius ad suppurationem procedunt; in quibus pro affectæ partis figura, aut ob affectionis ipsius naturā, alia atq; alia figura succedit, aliquādo rotūda, interim verò oblõga magis, sursum, aut deorsum vergens. Hæc autẽ distingui facilè poterũt, si calidis medicamẽtis euanescũt, aut non: nam flatuosæ omnes affectiones, medicamentis calidis discutiuntur; alioqui nisi discutiantur abscessus erit, qui sensim tendit ad suppurationem.

πνεῦμα apud Hippo. interdum pro flatu.

Πυκνὰ πνεύματα, σμικρά. μεγάλα, ἀραιά. σμικρὰ ἀραιά. ἔξεισιν ἔξω μέγα, ἔσω σμικρόν. Τὸ μὲν ἐκτεῖνον, τὸ δὲ κατεπεῖγον. διπλῆ ἔσω ἐπανάκλησις, οἷον ἐπιπνέουσιν. θερμὸν ψυχρόν.

19. Densi spiritus parui, magni, rari, parui, rari, exit extra magnus, intrò paruus: hic quidẽ tardans, ille festinans, duplex intro reuocatio, veluti super inspirantibus, calidus, frigidus.

Compendiosa quadam absolutaq; methodo, per logicam nimirum diuisionem (vt Galeno placet) comperisse videtur Hippo: ac tradidisse nobis in hac parte, omnes spirandi differentias: nõ simplices solũ, sed compositas etiã, adijciens interim & eas quæ in inæqualitate cõsistunt, simulq; expiratæ materiæ qualitatem. Nam vt Plato aiebat, & recta ratio docet, operæpretiũ sanè est, rei cu

rei cuiusq; naturam considerare; primũ simplex ne sit, an potius cõposita; cuius nobis scientiã cõparare volumus. At si simplex sit, considerãda sedulò illius facultas est; quam ad agendũ habet, aut ad patiendum ab aliquo cõparatam. Quòd si multas formas habeat, his rectè agnitis, quod in vna, hoc in vna quaq; agendũ. Consideremus igitur nos idipsum, diligenter in respiratione, vtrectè'ne, an secus Hippo. ipsius differẽtias tradiderit, agnoscamus. Tum etiã nunquid ab ipso sit, in hac parte quidpiã prætermissum. Primum igitur, simplex quædam res respiratio esse nõ potest; quam simul in se inspirationẽ, atq; expirationẽ cõplecti, omniũ consensu est confirmatũ. Nam & Gale. ipse, tum alibi frequẽter, tum libro de morborũ acutorũ victu, in hunc modum scripsit; κέκληκε δὲ τὴν ὅλην ἀναπνοὴν πνεῦμα κἀν τῷ προγνωστικῷ συγγράμματι, καὶ τοῖς τῶν ἐπιδημιῶν, *vocauit autẽ Hipp. totam respirationẽ spiritum. & in præsagiorũ libris, & etiã in his, quos de popularibus morbis inscripsit. Quin & lib. de spirandi difficultate tertio. Quod igitur (inquit) ex ea quæ tum foras, tum intrò fit spiritus delatione cõponatur totius respirationis operatio, quodq; pars altera inspiratio, pars verò altera expiratio nominetur dictũ quidem circa libri primi initia, sed quanq̃ à nobis dictum non sit nemo ferè ignorat. Hæc ergo primũ, quàm impræsentiarũ spiritũ nominauit, bifariam deducenda erit: tum in inspirationem, qua cordis feruens caliditas attemperatur, spiritibusq; nutrimentũ suggeritur, tum etiam in expirationem, qua fuliginosa cordis recrementa propulsantur. At verò hæ duæ motiones, vtpote contrariæ, ad diuersáq; tendentes, haudquaquam possunt, sine medijs quietibus consistere. Quare dum thorax expiratione cõprimitur, priusquam in altum inspiratione subducatur, media quiete erit opus. Rursus vbi iam sublatum est per inspirationem prius quiescet, quàm submittatur. Cùm igitur moueatur aliquid interim per respirationem, interim verò quiescat, motus, moles, & quies considerãda potissimũ erunt. At motui omni inest sanè velocitas, aut tarditas, secundũ naturam: quam vnam ex respirationis differentijs accepisse erit necessum. Tum moles omnis, quæ per spacium mouetur aliquod, aut parua dubio procul est, aut magna potius. Quare secundam respirationis speciem constituet: in magnitudine, ac paruitate. Demum quies ipsa, quæ motionẽ excipit, aut longa est necessario, aut breuis, ex qua pendebit prorsus, tertia respirationis differentia in densitate, ac raritate. Hæ sunt, simplices omnes differẽtiæ, quæ dum inter se mutuò permisceri conceduntur, aut paruam & densam, aut magnam & raram, aut paruam & raram, aut magnam & densam reddunt respirationem: adiectis etiã his differẽtijs, quæ ex velocitate, ac tarditate desumptæ cum ipsis simul copulari possunt: cum quibus plures sanè differẽtias conficiet. Videamus igitur nunquid Hippo. harum quampiam prætermisisse credatur,*

Tres præcipuæ respirationis differẽtiæ, tum ex motu, tũ ex mole, tũ ex quiete sumuntur.

 an potius

an potius omnes percurrerit. Primum sanè densum, & paruũ spiritum ipsum dixisse videmus: deinde verò magnum & rarum: tertio paruũ & rarum, vt differentiam duntaxat vnam apponere sit oblitus, nempe eam, quæ ex magnitudine & densitate constat: quam haud dubiè à bibliographo quopiam imperito, ipsam prætermissam fuisse potius arbitrari debemus, quàm ab ipso Hippocrate: potissimum cùm eadem oratio in sexto de morbis popularibus libro ad verbum scripta cernatur: in qua apertè addit hanc, quam in hac parte requirimus differẽtiam πυκνὰ μεγάλα. *id est. densi magni. Porrò aliam spiritus differentiam, quæ in motus celeritate, ac tarditate consistit: deinceps apposuit, cùm dicat: hic tardius, ille verò festinam. Nam Gale. in tertio de spirandi difficultate libro in hunc modum scribit:* ἐκτεῖνον μὲν γὰρ πνεῦμα τὸ βραδύ, κατεπεῖγον δὲ τὸ ταχὺ λέγει. *id est. Tendentem tardum vocauit spiritum: festinantem verò celerem. Noluit tamen coniugia omnia Hippo. recensere, quoniam longum erat, ac inutile in his immorari, quæ quisq; potest per se comparare. Sed quoniam hæc, ad totam respirationem pertinere videbat: aliquando tamen posse magnitudinem expirationi contingere, inspirationi verò paruitatem, atq; è contrario, has noluit differentias prætermisisse: sed dixit, exit extra magnus, intrò paruus, qua in parte alius non minor lapsus librarij occurrit: qui neglexit, aut indiligenter prætermisit, quod sexto libro de morbis vulgaribus conticere noluit,* ἔσω μεγάλα, ἔξω σμικρά. *id est. intrò magnus, extra paruus. Cæterum, & naturam, quam ad agendum, aut patiendum, res habet ab aliquo, comparatam, considerandam esse Plato aiebat, ex quo sanè aliud differentiarum genus in respiratione continget: cùm scilicet pars vtraque vel æqualiter, vel inæqualiter absoluatur; quod vtiq; non est ab Hippo. prætermissum: sed luculenter expositum, cùm dicat: duplex intrò reuocatio, velut inspirantibus. Atqui genus hoc, inæqualis inspirationis, pueris frequenter accidere videmus, cùm amarius paulò lugent, quemadmodũ Galenus in aphorismis dicebat:* τὰ παιδία πολλάκις ὁρᾶται κατὰ τὸν τοῦ κλαίειν καιρὸν ἀναπνέοντα διακεκομμένην πνοήν, ἱσταμένης μεταξὺ τοῦ θώρακος, εἶτ' αὖθις τὸ λεῖπον προστιθέντος, ὅπερ αὐτὸς ἐν ἐπιδημίαις ὧδέ πως εἶπε, διπλῆ ἔσω ἐπανάκλησις οἷον ἐπὶ ἀναπνέουσιν. *Pueruli interdum videntur dum lugent interrupto modo respirare, stante interim thorace, rursus quod defuit adijciente. Quod ipse in libris de morbis vulgaribus dixit: duplex intrò reuocatio, velut inspirantibus. At verò multas ob causas huiuscemodi inæqualis spiratio fieri potest: quarum nonnullas secunda sectione nos sumus exequuti: plurimas verò, aut penè omnes loco à nobis citato refert Galenus. Interim enim ex potentia supra modum defatigata, id fieri videmus nonnunquam ex instrumentorum duritie, est etiam cum ambabus his concurrentibus causis, vehementius id symptoma oriatur.*

Interruptare-spiratio quas ob causas reddi soleat.

Virtus

Virtus enim imbecilla quandoque nequit, eatenus attollere thoracem, quatenus necessarium animali existit. Quare medio in motu, aut actione resistit: quousque vires resumens, vehementius instrumentum vibrare possit. Quin & durum instrumentum, agenti facultati non paret: quare impulsum interdum resilit. Sed interim frigus musculos thoracis occupat, vel neruos etiam: vt instrumentis inde durities adueniat, aut motus conuulsorius. Sed de his, nõ est datum nobis impræsentiarũ agere, sed mentem Hippocratis duntaxat interpretari: quòd nimirum duplex intrò reuocatio, ab eo dicta sit, pro ea spirandi difficultate, quæ in inæqualitate consistit. Quapropter cùm de inspiratione interrupta solum egerit, cùm dicat velut inspirantibus, neque ipsius expirationis meminerit, arbitramur sanè, aut prætermissum id ab scriptore negligenti esse, aut voluisse Hippo. legẽtes ab inspiratione expirationẽ etiam intelligere. Cùm nõ minus hæc interceptio in expiratione, quàm in inspiratione cõtingere possit: & alibi sit luculenter idipsum ab eo expositũ: veluti libro de victu acutorum morborũ, dum dicit, πνεῦμα προσπταῖον ἐν τῇ ἄνω φορῇ. id est. Spiritus in ea, quæ sursum est latione intercisus. Postremò adiecit, calidus frigidus: vt materiæ respirationis qualitatẽ cognitam haberemus: quod maximè ad futura in morbis præsagienda conducit. Neque enim legendum est, vt in Hippocratis codicibus habetur: duplex intrò reuocatio, velut inspirãtibus, in calido frigidum: nam hanc ineptam verborũ Hipp. transpositionẽ, aut potius corruptelam explodit Galenus libro de spirandi difficultate tertio. Codex Hippocratis emaculatur.

Ἰητήριον συνεχέων χασμέων μακρόπνους, ὅσιν ἄποτοι. καὶ μόγις πίνουσι βραχύπνους.

20. Medicatoria continuarum oscitationum longa respiratio existit: breuis autem horum, qui nihil, aut vix bibunt.

Longam respirationem dixit Hippocrates μακρόπνουν. quæ dictio, vt Galenus in libro, quem de antiquarum Hippo. vocum interpretatione edidit, interpretatus est: μακρὸν ἀναπνέωντα, ἢ διὰ μακρᾶ, quod est, largè spirantem, & ex longis interuallis significat. Potest tamen interim, & ad respirationem referri, quemadmodum & libro de spirandi difficultate tertio dixit, in hunc modum scribens: ἐν ταῦθ' ἤτοι τὸν ἄνθρωπον μακρόπνουν, ἤτοι τὴν δύσπνοιαν αὐτὴν οὕτως ὠνόμαζεν. ὅτι δὲ διὰ μακροῦ χρόνου γινόμενον, τοῦτ' ἐστι τὸ ἀραιὸν πνεῦμα, καὶ προσέτι τὸ μέγα, δηλοῦται ὑπὸ τῆς προσηγορίας ταύτης, ἐν τῷ δευτέρῳ δέδεικται λόγῳ. *id est. In hac parte, vel hominẽ longè spirantem, vel ipsam difficilem respirationẽ ita nominauit. Quod autẽ ex longis interuallis factum, hoc est, rarũ spiritum, & insuper magnũ, significet ex eo nomine, in secundo libro demonstratũ à nobis est. Magna igitur ex longisq; interuallis respiratio, μακρόπνους erit: quam medicatoriam continuarũ oscitationũ esse inquit: nõ solum notam,* μακρόπνους quid Hippocrati significet.

verum etiam causam, vt Galenus ipse in tertio de spirandi difficultate luculenter ostendit. Nempe nota medicatoria erit, tanquam ad contraria affectu permutato. Nam oscitationes, quas χάσμας Græci vocant, à maximo oris rictu, aut hiatu, atq; insuper pandiculationes, quas nominant σκορδινήματα, ob multitudinem flatuosi spiritus in musculoso genere aceruari, contingunt: qui ob crassitudinem non potest liberè foras protrudi. Hi ergo, quibus id accidit, continuò ac frequenter expirant: quòd huiuscemodi expirationibus, talis flatuosus spiritus expurgetur, euacueturque. Quòd si quis non amplius iam frequenter, continueque, sed ex longis interuallis expiret, manifestum sanè est, aut desijsse iam præcedentem affectionem, aut sensim aboleri. Atque ita longa respiratio, id est, magna, ex longisq; interuallis signum erit continuarum oscitationum medicatoriū. Quòd autem, & simul causa sit medicatoria, aperte ostendi, nulloque negotio potest: cùm contrariorum contraria sint remedia. Quemadmodum enim multo tempore, cohibita respiratio, quam Hippocrates κατάληψιν πνεύματος nominat, singultus sanat, eadem sanè causa, & continuas oscitationes depellere poterit. At verò cohibita respiratio, excandescere cogit internos spiritus: calorisq; naturalis substantiam, cùm non habeant externum, quo temperari possint aëra. Hi ergo in minutissimos corporis meatus ferue facti se insinuant: noxiamq; omnem materiam absumunt, vt iam mirari non liceat, crassum flatuosumque spiritum in musculosa substantia contentum, hoc modo attenuari absumiq;. Nam & athletæ ipsi (quibus omnem corporis grauitatem depellere curæ est) quo se aduersarijs agiliores ostendant, hoc sanè ingenio, vniuersum humorum, aut vaporum, in tenuibus cutis meatibus detentum recrementum, vi quadam expellere conantur. Recte ergo dixit Hippo. medicatoria continuarum oscitationū longa respiratio existit. Cæterum, quòd deinceps adiectum est, breuis autem eorum, qui nihil, aut vix bibunt: non minore sanè eget animaduersione. Primū quidem, quosnam nihil, aut vix bibere dicat: nonnulli nanque, non citra rationem, ipsum phreniticos impræsentiarum intellexisse volunt: quos iam aliubi βραχυπότας nominauit, id est, parum bibentes. Quemadmodum in libro Prorrheticorū in hunc modum scribens: οἱ φρενιτικοὶ βραχυπόται, ψόφου καθαπτόμενοι τρομώδεες. id est. Phrenitici parum bibentes, strepitū tentantes, trepidant. Quin & Galenus ipse, tertio affectorum locorum, de phreniticis in hunc modum scribit: ἀλλὰ καὶ βραχυπόται πάντες εἰσὶν οὗτοι. id est. sed & omnes hi paruo vtuntur potu. De his igitur si sententia intelligatur, vera erit; cùm omnes hi, vtpote qui grauissimo maxima ex parte delirio corripiuntur, magnum edunt, ex longisq; interuallis spiritum: quomodo delirantes omnes solent. Nihil enim eorū, quæ sunt ex vsu sentiunt, quibus mens graui quodam affectu corripitur: vt neq;

Cohibita respiratio tum singultus tū oscitationes sanat: & quare.

Phrenitici βραχυπόται. id est. parū bibentes.

neq; spirandi necessitatem agnoscant: sed planè contemnant, quousq; iam moribundi proximè internecionem adierint. Tunc ergo, cogente summa necessitate, inspirant: ac expirare obliuiscūtur, tantisper dum nō amplius collectam fumosi retrimenti copiam natura sufferre potest. Ad eundem planè modum, non bibunt: quòd nimirum necessitatem non sentiant, mente vehementer laborante: quanquam ingens æstus, incendiumq; maximum, præcordiorum partes corripuerit. Cùm igitur hi magnum ob affectionem, rarumque edant spiritum, breuis respiratio, quæ contraria planè est, signum fuerit medicatorium, quod abijsse iam præcedentem affectionē significabit. Quod verò βραχύπνους, *id est, breuis respiratio contraria sit magnæ ac raræ, quæ ex longis editur interuallis, Galenus ostendit, lib. de spirandi difficultate. 3. hunc in modum scribens:* καθάπερ γε καὶ ὡς τὸ δι' ὀλίγου τοῦτ' ἔστι τὸ πυκνόν, καὶ πρὸς ἔτι τὸ μικρὸν ἐκ τοῦ βραχύπνους δηλοῦται. *id est. Quemadmodum, & quòd per modica interualla, hoc est, frequentem, & adhæc etiam paruum, ex dictione* βραχύπνους. *id est. breuis spirationis significetur. Porrò autem potest, & nihil, aut parum bibentes dixisse eos, quibus pulmo, & cor ita refrigerata sunt, vt & longius respirent, & frigidum etiam exhalent spiritum: in quibus non signum modo, aut nota, sed & causa, medicatoria existet breuis respiratio. Nam vt spiritus detentio superuacanea (vti dictum est) depellere potest: atq; ob id eam adhibemus, in singultibus, oscitationibus, pandiculationibus, & his qui validè corpus exercent, quales sunt athletæ: ita sanè, continua frequensque respiratio, tum ventillare, tum calefacere, quæ perfrigerata sunt, poterit. Atque ob eam causam, in huius libri quarta sectione in hunc modum reliquit scriptum:* ἐπιτηδεύειν ὀξυθομένην ἐμποιέειν καὶ χρώματος ἀναλήψιος εἵνεκα καὶ ἐγχυμώσιος. *id est.* Quādo excandescentia concitanda sit. *Studendum sedulò est, vt excandescentiam inferamus, reuocandi coloris gratia, & effusionis humorum, quam Græci* ἐγχύμωσιν *nominant. Qua in parte apertissimè docuit, animi excandescentiam calorem concitare: quam frequentem prorsus reddere respirationem est conspicuum. Ac proinde, tum refrigeratus, tum decoloribus, atq; extenuatis, ipsa animi vehemens commotio inducenda, non temerè quidem, sed maxima cum consideratione opportunè erit. Nam & exercitia ipsa, vt corporis robur augeant, non citra modum sunt inferenda. Perinde etiam animi excandescentia, aut respiratio crebra, commodè, tempestiueq;, pro vrgente necessitate erit cōmouenda. Verùm vt nominatim perstringam affectiones, in quibus huiuscemodi respirationis egemus vsu, omnes imprimis consideranda sunt, in quibus natiuus calor ob copiam frigidæ materiæ propemodum aggrauatur moribūdus: non secus quàm flamma, in quam multa confertim viridia ligna fuerint iniecta. Talis enim, præ copia humidorum lignorum, planè suffocatur: neq; aliter potest reuiuiscere quàm*

superata materia. Huiuscemodi est affectio in mulieribus, quam vteri strangulationem appellant, atq; prorsus affectiones pleræq; ferè omnes, quas ἀπνοίας Græci dicunt, quòd respirationis priuationem propemodum inducant, mulieribus quidē maxima ex parte, præsertimq; sterilibus contingentes, quæ interdum, & viris ipsis, quanquam rarò, vsu veniunt. Per has ergo affectiones, quanquam interdum frigidus exhaletur spiritus, id non est omnino perniciosum. Nam Hippocrates in acutis affectionibus frigidam respirationem ex naribus, & ore prodeuntem lethalem admodum iam esse in prognostico dicebat: quibus affectionibus nihil planè conduceret frequentem respirationem incitare, quoniam in ipsis, non ex frigidæ materiæ multitudine noxa insurgit, sed potius ob naturalis caloris extinctionē. Quare per hanc frequentem respirationem, nunquam causa, quæ affectionem parit, dissolui depelliq; poterit. Solum igitur in prædictis breuis respiratio nō nota modo, sed causa etiam medicatoria extiterit. Sed postquam expositionem omnem absoluimus, operæpretiū erit: quod in Hippocratico codice deprauatū admodum, mendosumq; est, in præsentiarum adnotare: ne loci corruptela facessere negotium cuiquam possit. Primumq; studiosos commonemus, in secunda huius orationis parte, deesse vocem alteram πίνουσιν. atq; in hunc modum legēdum esse locum: δίσιν ἀπὸ δίσιν, καὶ μόγις πίνουσιν quod & in emaculatis Hippo. codicibus rectè habetur. Quin, & vltima dictio planè est mendosa, cùm habeat, μακρόπνους, atq; legendum pro ea sit βραχύπνους, quod facilè ex sexto libro de morbis vulgaribus, sectione secunda, restitui potest: in qua eadē prorsus oratio legitur. Quare doctam Leonardi Fuchsij expositionē non contemnas, quin potius ad eam te conuertito si quid cōpendiosius à nobis dictū, non planè tibi satisfaciat.

Frigida respiratio ex naribus & ore prodiens, non semper exitialis.

Κατ' ἴξιν, καὶ πλευρέων ἔντασις ὀδυνώδης, καὶ ἔντασις ὑποχονδρίων, καὶ σπληνὸς ἐπάρσιες, ἐκ ῥινῶν ῥήξιες.

21. In rectum & laterū intensio dolorosa, & intensio præcordiorum, & lienis tumores, & ex naribus eruptiones.

Non potest medicus rectè cognouisse, num cōmedè abscessus, humorumque noxiorū transpositio, à natura facta fuerit nisi intellexerit, an secundū rectū materia abscesserit, an secus. Habēt enim, nescio quid colligantiæ, cōsortijq; dextræ corporis partes inter sese, atq; sinistræ similiter: vt facilè si supernæ dextræ sedis corporis partes affectæ sint, cōfestim noxa ad infernas etiam in dextra sede corporis sitas partes transferatur, non autē ad sinistras: nisi idipsum morbi vehemētia contingat, aut materiæ noxiæ multitudine. Haudquaquam enim natura, dum potens est, aliter quàm secundum rectum morbificā materiam reponit: quod Hippocrates κατ' ἴξιν nominat, idem sanè significans quod κατ' εὐθυωρίαν aut κατ' ἰθύ. Id ergo medicus sedulò animaduertere debet; vt

Maximo necessitudinis nexu dextræ corporis partes cum dextris, & sinistræ cum sinistris copulatæ sunt.

bet; vt dum naturæ minus perfectũ opus absoluturus est, aut naturæ munus imitaturus, non conetur temerè ad alienas partes humores transferre: sed per expeditam, ac compẽdiosam potius viam, quæ è directo affectam partem respiciat, noxios humores educat. Nam optima, perinde atq; facillima euacuatio est, quæ per proximas, atq; affectæ sedi è directo positas vias fieri solet. Propterea, & in hac parte dicebat: In rectum & laterum intensio dolorosa, & intẽsiones præcordiorum, & lienis eleuationes, & ex naribus eruptiones. Primum quidem lateris intensio dolorosa, semper fit è directo, tum cùm inde in locum alium transfertur materia, tum etiam cùm ex aliqua alia affectione in lateris dolorem fit transmutatio, quod & apertè in sexto de morbis vulgaribus libro sectione secunda, vbi hanc orationem multò descripsit fusiorẽ aperuit, in hunc modum. καίτοι καὶ τὰ συναγχικὰ ἐρυθήματα καὶ πλευρέων ἀλγήματα κατ' ἴξιν. *id est. Atqui in angina rubores, & costarum dolores secundum rectum fiunt: cum scilicet anginosa affectio, in lateralem morbum transmutatur. Eodem planè modo, & in præcordiorum intensionibus, & lienis tumoribus, res habet. Ex naribus etiã eruptiones, omnes fiunt è directo, liene nimirũ sinistrisq; præcordijs laborãtibus, ex nare sinistra, iecore verò, atq; dextris præcordijs affectis, ex dextra. Quod si res aliter succederet nõ esset abscessus ille boni consulendus; sed potius in laborantis cederet perniciem. Cæterum, quoniam in proposita sententia, quam iterum (vti diximus) scriptam habemus, libro de morbis vulgaribus sexto, non eodem planè modo se Hippocra. gessit, sed in hac compendiosus admodum fuit, in illa verò multò verbosior, atq; interdũ addubitans, num scilicet semper secundũ rectũ abscessus fierent, aut potius ab infernis sursum, semper secũdum rectum, à supernis verò deorsum, non similiter perpetuò contingerẽt abscessus secundum rectitudinẽ: meritò inquirendum videtur vter horum librorum, prius sit ab Hippo. compositus, secundus ne, an sextus potius. Neque enim quoniam hic secundus inscribatur, ille verò sextus, propterea arbitrari oportet, prius fuisse hũc ab ipso cõcinnatum. Nam in his libris, qui ab eo sunt conscripti, vt ederẽtur in lucẽ, ex inscriptione potest absq; dubio sumi argumentum, ad id indicandũ, qui'nam prius, qui'nam posterius sunt cõscripti, in his verò, quos ipse vt sibi essent monumenta seruabat: id commodè non potest. Quoniam neq; ipse secundum, aut sextum, inscripsit, aut quartum: sed eius potius filius Thesalus; qui ex varijs, tum chartis, tum tabellis, hos suffarcinauit cõmentarios: quorum hunc, quem interpretandum suscepimus, secũdum inscribere voluit. Quare si liber hic, ab Hippo. posterius est editus, non ab re quis existimare poterit, ipsum omni dubietate depulsa, simplicibus verbis in hac parte scripsisse, omnẽ abscessum secundum rectum fieri debere, si tamen laudandas quoquo modo sit. Quòd si liber hic,*

Maximi refert cognouisse qui nam libri primum fuerũt ab Hippocrate cõscripti, qui nã posterius.

liber hic, prius editus dicatur, tunc aliud ſanè ferendum erit iudiciũ: vt, quæ primum in ægrotis aduerterat, ea vti vidiſſet ſcriberet, deinde tempore procedēte, ſcrupus animo ſuo ſe ingeſſerit, an qui à ſupernis deorſum fiunt abſceſſus, ſecundum rectitudinem fiant. Nam interdum, num ſecundũ rectum factus fuerit abſceſſus, planè cognouiſſe haud poſſumus: quemadmodum cùm furoris affectum, varices depuliſſe videamus. Cognoſcere enim tunc nō poſſumus, num in dextris, num in ſiniſtris potius cerebri partibus, affectu oborto in furorem acti fuerint. Quemadmodum etiam, cum tuſsim antiquã teſtium tumore euanuiſſe cōtingit, nullus planè certior fieri poteſt, num in dextris, num in ſiniſtris thoracis partibus, affectus, qui tuſsim concitabat extiterit. Rurſus etiam mariſcæ fluētes, plurimos morbos ſanare citra controuerſiã poſsũt: cùm tamē medicus rectè cognoſcere non poſsit, num ex dextris, num ex ſiniſtris ani partibus fluãt. Idem planè de his, quæ per mulierum pudēda expurgãtur, eſt iudicium; que omnia fortaſſe menti Hippo. ſcrupũ ingeſſerunt: num à ſupernis deorſum abſceſſus omnis, ſecundum rectum fieri debeat. Cæterum cum non poſsimus, humano captu, rem melius aſſequi, quo minimè præpoſterum ferremus iudiciũ in abſceſsibus ipſis, cōſideranda eſſe iuſsit, quo, & vnde, & propter quid. Quo nimirum materia feratur: vnde etiam, num à parte præcipua, ad partem minus neceſſariam, an ſecus: & propter quid, num natura robuſta, an potius morbifico cogente affectu, & crudo vexante humore, is abſceſſus factus fuerit. De his lōge plura in prima ſectione ſunt dicta; in qua totam orationē, quam ſexto de morbis popularibus libro ſcripſit, ſumus interpretati. Quare impræſentiarum ſat fuerit, hæc obiter cōmonuiſſe. Poteris etiã ſi quidpiam deſideras maius, Leonardi Fuchſij doctam commentationem inſpicere: & Galeni etiam ſimiliter.

Interdum non poſſumus cognoſcere aperte, an abſceſſus e directo laborãtis partis eruperit.

Quid conſiderandũ ſit, quãdo abſceſſum ſecundũ rectitudinem fuiſſe factum ignoramus.

Τὰ ἐγκατα λιμπανόμενα μετὰ κρίσιν ὑποστροφώδεα.

22. Quæ relinquuntur in morbis poſt iudicationem, mouent recidiuas.

Scripta eſt hæc ſententia, ob maximam vtilitatem etiam in aphoriſmis, eiſdem planè verbis, Scripta etiã & in ſexto de morbis popularibus libro habetur; atq; in hoc ſecũdo, non nudè quidē veluti in aphoriſmis, ſed longè maiore, diffuſioreq; interpretatione: vt vice cōmentationis ipſa haberi poſsit: quã nos membratim diſciſſam, ſigillatim ſumus interpretaturi. Cùm interdum natura, planè euadat morbo ſuperior, ita quidem vt totam ipſius materiã quam lōgiſsime protrudat: interim verò morbus ipſe tantæ ſit vehemētiæ, vt naturã prorſus deuincat, atq; ipſius interitum moliatur, continget ſanè multoties in ipſo conflictu vt illa quidem vincat, non tamen poſsit aduerſarij atrocibus ictibus ſaucia, totam eius claſſem fugare. Sed primum quidē hinc inde diſpergantur

gantur deuicti hostes; atq; ipsorum nonnulli se in latibulis quibusdam abscondant; in quibus sensim se tempore aliquo reficiat, quousq; iam fortiores facti, possint ipsam denuò inuadere. Talis sanè est recidiua, quæ ob humores prauos, post non intregram iudicationem in corporis meatibus relictos, sensim putrescentes contingit. Hos igitur medicus vbi primum potest, medicamẽtis purgantibus debet adoriri; atq; toto conatu ipsos à corpore propulsare. Nam id est, quod in aphorismis Hippocra. dicebat, atq; in hac proposita sententia inferius, quæ iudicata non sunt intregrè, ea medicus explere debet. ὁκόσα δὲ μὴ σφόδρα, ξυμφρᾶν. *id est. quæcunq; non satis vehementer sunt factæ iudicationes, cooperari medicus debet. Sed quomodo cognoscet fortasse dices non satis intregram fuisse à natura factam iudicationem? Sanè si his quæ dicentur, animum aduertas poteris rem omnem probè intelligere: neq; addubitare licebit num quidpiã in corpore, noxij humoris post iudicationem sit relictum. Haudquaquã igitur à proposita similitudine recedendũ nobis est. Dum hostes, qui se in latibula, victorem fugientes inimicum, coniecere, id vnum curæ habent, vt se reficiant, collapsasq; vires recuperent, non possunt non vicinis populis esse infesti: ipsosq; plurimis afficere iniurijs, tum victum, tum vestitum ab ipsis per vim auferentes. In qua cõtentione interdum nonnullos trucidari, alios verò in suam pertrahi sententiam est verisimile: quos suo legitimo domino cogũt prorsus esse infideles. Id tantisper conãtur, dum copijs hinc inde ascitis, iam possint aduersariũ ad pugnã denuò prouocare. Interea tamẽ dum hæc peraguntur, clamores plurimos ad regem deferri ab his qui fuerint grauiter ab hostibus affecti, necessum est. Quid multa? rem ipsam quotidie nos Valentini experimur & alij plures, quibus in Africani litoris recessu quodam (Alger hodie vocant, olim verò Typusam) cõiecti hostes ex belli cuiusdam à nobis superati reliquijs, adeo infesti sunt, vt non sinãt nos vel minimũ per litoris nostri amplitudinẽ expatiari: imò nostrarũ rerũ magis ipsi potiũtur quàm nos. Ita planè res & in morbosa materia cõtingit: cui cùm natura atrox semper irrecõciliabilisq; intercedit pugna, huius si quidpiã per naturæ incuriã in corporis penetralibus relictũ fuerit, non cessat vicinis omnibus partibus negocium facessere, vt interim quasdam vi prorsus corrumpat, in suiq; conuertat naturam, aliæ verò illatam vim æquo non ferentes animo semper clamitent, quo possunt modo, aut dolore pressæ, aut non liberè cibum, nutrimẽtumq; admittẽtes, aut siti squaloreq; vrgenti infestatæ, Hi sanè sunt partiũ clamores, quos aures medici non debent contemnere. Nam & Hippo. in sexto de morbis vulgaribus libro apertis verbis idipsum scripsit.* καὶ ἢν μὲν ξυνεόντων ἐγκαταλείπηται, ἕτοιμον. *id est, quod si eorũ quæ profluunt quidpiam intus relinquatur, tunc prõptum est, quidnam illud est quod dixit prõptum? nimirum recidiuam*

Quomodo cognoscet medicus nõ integre fuisse factam aliquã euacuationem.

diuam futuram, quæ sensim in abscessum finiatur. Signa verò quibus aliquid introrsum fuisse relictũ intelligemus, hæc sanè sunt, quæ ab Hippocrate ipso recensentur. δίψα ἐγκαταληφθεῖσα, καὶ σόματος ἀηξηρασίη, καὶ ἀκεδίη, καὶ ἀσιτίη, τούτων τῶν πόνων. *id est, Sitis intus relicta, oris insuauitas, & inappetẽtia hæc enim ob eam causam vt ipse dixit remanent, nimirum quoniam eorum, quæ fluebant quidpiam interius fuerit relictum.*

Τὸ γοῦν πρῶτον σπλήνων ἐπάρσιες, ἢν μὴ ἐς ἄρθρα τελευτήσῃ, ἢ αἱμοῤῥαγίη γένηται, ὑποχονδρίου δεξιοῦ ξύντασις, ἢν μὴ διεξοδεύσῃ οὖρα, αὕτη γὰρ ἡ κατάληψις ἀμφοῖν, καὶ ὑποστροφαὶ τουτέων εἰκότως.

23. Primum igitur lienis eleuationes contingunt, nisi in articulos decumbat humor, aut sanguis de naribus fluat, aut præcordij dextri intensio, nisi vrinæ profluat copia, hæc enim vtrorunque est interceptio, & recidiuæ horum, meritò fiunt.

Quoniam febres potissimum sunt, quæ iudicationes subeunt (quanquã & reliquis morbis suus cuique sit iudicationis, ac crisis modus) in harum maximè curatione, voluit medicum diligenter exerceri. Cunque hæ rarenter admodum sine noxa iecoris, lienis, aut ventriculi, aut laxarum in præcordijs partiũ contingant, ab venarum in his minutissimarum infinitam propemodũ multitudinem, atque in his potissimum partibus, quæ morbi totius ærarium extiterunt, aut prauos aliquos humores relinqui, aut prauam saltẽ aliquam qualitatem, sit rationi maximè consentaneum: ob eam sanè causam tumorũ lienis, aut iecoris, aut præcordiorum meminit imprimis Hippocra. ex quibus frequenter denuò malum solet pullulare. Cùm pituitosæ omnes febres, ventriculũ ipsum potissimum afficiant, biliosæ verò præ alijs iecori sunt maximè molestæ, atque atrabilares citra lienis noxam diutius persistere haud possint. Meritò ergo dixit Hippocrates primum lienis elationes, aut tumores contingunt: nisi in articulos decumbat humor, sensim, inquam, priusquam possit in ipso consistens recidiuam concitare, aut ex naribus profluuia sanguinis fiant, e directo nimirum laborantis visceris: quod in præcedente oratione significauit: propterea medicum commonefacit, ne ægrotum ipsum inconsideratè relinquat, quin potius diligenter animaduertat, num tumor aliquis in dextra, aut sinistra præcordiorum parte existat, à quo possit iterum morbus concitari. Quod si ipsum videat, medicamentis confestim eum discutiat, vt humor in totũ expurgetur. Præcordia nanque dicebat in præsagijs Hippo. saluberrima sunt, si mollia fuerint, & æquali in dextris, sinistrisque partibus: quæ enim inflãmationẽ præferunt, aut dolorem, aut inæqualitatem in dextris, & sinistris, sunt prorsus suspecta. Sed dubitauerit aliquis, quare cum Hippocra. dextri præcordij tumorem vrina plurima reddita aboleri scribat, prorsus cõticuerit sanguinis è naribus

Quæ non partes potissimum in febribus afficiantur.

Medicus nõ debet ægrotũ relinquere temerè vt multi faciunt.

è naribus profluuium. Nempe id non alia ratione factum est, quàm quòd voluerit, idipsum ex præcedētibus intelligi. Per vrinā verò potissimū tumor ille expurgatur, cùm in gibbis ipsius partibus tumor constiterit, per aluum verò cùm in cauis potius affectus extiterit. Cæterum quoniam maxima est harum partiū inter sese, mutua sympathia, propterea dixit: hæc enim est vtrorunq; interceptio, quam κατάληψιν nominauit: ob vasa nimirū quæ ab vno horum viscerum in aliud propagantur, atq; hæc est causa, ob quam recidiuæ meritò contingant. Qua in parte, legendus in hunc modū locus est: καὶ ὑποστροφαὶ τετέων ἀκότως. quod facilè ex sexto de morbis popularibus libro restitui potest.

Ἀποστάσιας οὖν ποιέεσθαι αὐτῶν μὴ γινομένας, τὰς δὲ ἐκκλίνειν γινομένας, τὰς δ' ἀποδέχεσθαι ἣν ἴωσιν οἵας δεῖ, ὁκόσαι δὲ μὴ σφόδρα ξυνδρᾶν, τὰς δὲ ἀποτρέπειν ἣν πάντη ἀξύμφοροι ἔωσι, μάλιστα δὲ ταύτας μελλούσας, εἰ δὲ μὴ ἄρτι ἀρχομένας.

24. Abscessus igitur horū facere oportet, si nondum fiant, eos verò qui fiunt iam, declinare, excipere autem si prodierint iam, & quales oportet. Qui verò non valdè, cooperari decet: eos autem auertere qui penitus inutiles fuerint, potissimū si adhuc sint affuturi, sin autem, nuper dum inchoant.

Tota hæc sententia transcribenda fuit ex sexto de morbis popularibus libro, quoniam in hoc secundo penitus est deprauata, ac mutilata. Primū quidem habet in secundo libro in hunc modum, prior pars sententiæ: ἀποστάσιας οὖν ποιέεσθαι αὐτῶν ἠγόμενον, *cùm tamen illum* ἠγόμενον *mendosum planè sit, per* μὴ γινομένων, *aut* μὴ γινομένας: *id est. qui nōdum fiunt. Mouere nanq; medicus abscessus materiam debet, si viderit iam expulsioni paratam: siquidē omnem Hippo. euacuationē abscessum vocat: vt primo libro adnotatum à nobis est. Quod si iam fiant abscessus, declinandi sunt, si videris non cōmodè cessuros: sed in ægrotantis potius perniciem. Cùm nimirum ad maximè necessariam aliquam se conferunt partem, aut plus nocumēti sunt allaturi, quàm commodi, ob partis præstantiam. At si vt oportet abscedant, morbo iam cocto, nō crudo vexāte humore, atq; quàm longissimè ab affecta parte deorsum potissimum, excipiendi sunt; neq; medicamentis, aut alijs irritamentis exacerbādi. In sexto de morbis vulgaribus, hæc pars etiam melius habet:* τὰς δ' ἀποδέχεσθαι ἣν ἴωσιν οἵας δεῖ, καὶ ᾗ δεῖ. *id est, excipiēdi sunt, si procedant quales oportet: & qua oportet. Quoniam quæ ducenda sunt, quo natura vergit, sunt ducenda per loca maximè idonea. At verò si natura vniuersum suum munus absoluere non potest: tūc medici auxilio opus sanè erit: vt tota morbifica materia depellatur. Atq; id est, quod dixit; qui verò nō valdè, cooperari decet; quod est, si non cōmodè fluant, perfecteq;, ac integrè, eos adiuuare oportet: quod neq; in hoc secundo libro citra mendā legitur. Quare instaurandus locus est, ex sexto libro in hunc*

Quando morbifica materia vt oportet abscedit.

in hunc modum: ὁκόσαι δὲ μὴ σφόδρα, ξυνδρομῶν. *id est. Deniq; si omnibus modis, sint inutiles materiæ morbosæ transpositiones, in totum sunt impediendæ ne fiant, aut si id præstare non poßis, vbi primum apparuerũt sunt depellendæ, priusquam noxam parti in quam ingruũt impartire poßint. Hæc omnia quæ ad abscessus pertinent fusißimè sunt à nobis priore sectione huius libri pertractata, quare satis officio functi erimus nostro in præsentiarũ, si Hipp. nudam mentẽ exposuerimus. Quòd si plura de hac re habere velis ad Fuchsium libro de morbis vulgaribus sexto te conferas, qui non est mehercule sua frustrandus laude, cùm hæc ipsa doctißime exponat.*

Αἱ τεταρταῖαι αἱμοῤῥαγίαι δύσκριτοι.

25 Quarta die facti sanguinis è naribus fluores, difficilè iudicãt.

Scio aliter multò Leonardum Fuchsium legisse hanc sententiam, quam etiam repetijt Hippo. libro de morbis popularibus sexto, sectione secũda, atq; eam cum sequenti oratione copulasse: in hunc modum; sanguinis ex naribus eruptiones quarto die factæ iudicationem malam ostendunt: cùm enim diem vnum intermittunt, altero simul cum iudicatione, de quinto in septimum rigorem habent. Quæ sententia quanquam vera sit, si ita vt ille exponit intelligatur, tamẽ graue admodum videtur: neq; facilè credi potest: Hippocratẽ de eo dũtaxat egisse sanguinis profluuio, quod in tertianis febribus, quarto die cõtingat, cùm nunquam ea die, in his febribus natura moueri soleat; neq; morbus adeò sæuus sit, vt eius nequitia, ea die sanguinẽ symptomatis ratione, per corpus cogat tumultuari. Quin potius videmus nos, non semel, in tertianis, quartanisq; febribus, quietis die sanguinem è naribus erupisse: non quidẽ decretorio modo, vt morbum propulsaret, sed quẽadmodum in his, qui rectè valent vsu euenit frequenter: quos deinde minus capite grauatos videbamus, leuiusq; sequẽtes tolerasse acceßiones. Neq; enim in huiuscemodi morbis, qui vehementi motu haudquaquã feruntur, solent hæc naturæ irritamenta contingere; quæ ex morbi sæuitate semper fiunt, neq; enim Hippocra. in eo aphorismo quem Fuchsius refert. (Quibus spes est, in articulis abscessum futurũ, liberat ab abscessu vrina multa, crassa & alba reddita; qualis laboriosis in febribus, quarto die nonnullis incipit fieri: sin autem sanguis è naribus fluat, breui admodum liberat) ait Hippocrates quarto die sanguinem erupturũ: sed quocunq; die eruperit, dum modo in die indicatorio id fiat, idipsum præstabit. At verò fluet pro morbi natura, aut vndecimo, aut quartodecimo die; quo tẽpore erumpere sanguis in morbis acutis consueuit. Aut si morbus motu velocißimo feratur, maximeq; humor efferuescat, tertio sanè, aut quinto die, aut septimo, aut nono, sanguis erumpet. Quarto autem nunquã; aut si contingat, vi morbi potius, quàm robore naturæ id accidet: quanq̃ sit dies indicatorius, atq; fidelis.

Leonar. Fuchsius nõ videtur hũc locum esse assecutus.

Quarto die in morbis acutis nunquam commode sanguis ex naribus fluet.

atq; fidelis. At dices fortasse, interdum visæ sunt quarta die sanguinis ex naribus eruptiones febres in totum iudicasse, in ægrotantisque conuersas fuisse salutem: quemadmodum in simplicibus illis, mitioribusq; febribus, de quibus Hippocrates in Prognostico scripsit. οἱ γὰρ εὐηθέστατοι τῶν πυρετῶν, καὶ ἐπὶ σημείων ἀσφαλεστάτων βεβῶτες, τεταρταῖοι παύονται ἢ πρόσθεν. *id est. Simplicissimæ enim febres, & signis firmatæ securissimis, quarto die, aut citius, finiuntur. Hæc enim ex simplici quodam sanguinis feruore, citra omnem putredinem nascuntur: quas ad diariarum genus interdum reuocasse Galenum nō est mirum. Nec dubitamus, quin hæ interdum citra aliquam humoris vacuationem desinere possint: interdum verò maiori facto feruore, cum sanguinis eruptione, quam quarto die contigisse nunquam vidi, citius autem citra omnem controuersiam contingere potest. At verò non dubito, quin & quarta die, ea sanguinis eruptio sequi possit: verum non de his agit in præsentia Hippocrates: sed de acutis potius, quæ sæua semper habent accidentia, ac celeri motu iugiter feruntur. Quæ sanè, vti Galenus sæpius inculcauit, potissimum verò libro primo, & tertio de morbis vulgaribus, interim quidem per pares dies, interim verò per impares dies sumunt exacerbationes, atque id est, quod Hippocrates sæpissimè dicebat: Postridie omnia grauiora euadebant: tertio verò ad meridiem vsque visus est febre liber, Quarto cuncta exacerbata sunt. Quemadmodum cùm de Philisco loqueretur: nempe quod per pares dies morbus fuerit vehementior factus: quod & ad calcem scripsit,* οἱ παροξυσμοὶ ἐν ἀρτίῃσι. *id est. Accessiones diebus paribus. Ita planè & cùm Chærionem proponeret, qui ægrotabat apud Dementætum, omnia per impares dies exacerbata fuisse scripsit: atq; ita iudicium septima die contigisse. Sunt & alij plurimi in his libris ægroti descripti, quibus & per pares, & per impares dies exacerbationes contingerent: quos longum esset impræsentiarum recensere. Quòd autem vbi per impares dies fiunt accessiones, celerius morbus moueatur, citiusq; subeat iudicationē, quàm vbi per pares eædem cōtingunt, & rationi consentaneum est, & sæpius à Galeno inculcatū: si tamen morbus sensim tendat in salutē. Nam quibus accessiones in paribus diebus accidunt (vt. 1. lib de morbis vulg. scripsit) si à principio quidē fiant statim, interim ad sextū diem pessimū fore iudiciū prænunciant: quemadmodū Philisco cōtigit: Interim verò in longū producēdum morbū. At si quidē admodum moueatur: quarto die prauā habēte accessionē, ad diem sextū de vita decedunt. Ad hæc etiā, recta ratio docet: quanq̃ nunq̃ esse à Gale. conscriptū, quibus morbis per pares dies fiūt accessiones, per pares etiā & iudicia cōtingere: quibus verò per impares, & iudicia etiam ad impares dies adesse: cùm semper in accessionibus, in sæuiore inquam morbi parte, fiat indicatio. Grauescere nanq; omnia*

Morbi quibus per impares dies fiūt accessiones citius iudicantur.

P necessum

Neq; qui per pares, neq; per impares exacerbantur morbi quarta die, felicem aliquam consequi possunt iudicationem.

necessum est, quibus morbus iudicio appropinquat. Cùm ergo (vt ex his quæ dicta sunt facilè intelligi potest) morbo per pares dies exacerbato, non possit quarto die iudiciũ, aut per sanguinis è naribus eruptionẽ, aut modo aliquo in salutem ægrotantis contingere: cùm tũc necessum esset, admodum veloci motu morbũ moueri, quòd si acciderit, certam esse ad sextam diem mortẽ Galenus pollicebatur. Neq; morbo per impares accessionẽ habẽte, cõmodè quarta die fieri iudiciũ possit, relinquetur sanè, quarta die erũpentes sanguinis fluores, in morbis acutis, difficilè iudicare. Si nanq; morbus per impares dies exacerbetur, aut tertio, aut quinto, aut septimo, aut nono, aut saltẽ in aliqua accessione iudicationem consequetur: cùm grauior morbi pars semper in imparibus adsit. Quarta ergo die, non poterit: quòd si accidat, morbi potius atrocitate, ac vehementia fiet, quàm naturæ impulsu. Sin autẽ per pares dies, contingant accessiones, atq; in salutẽ finiendus sit morbus, cùm necessum sit in longũ tempus iudicationem protrahi: sanè neq; in hoc quarto die erumpentes sanguinis fluores, boni erũt consulendi. Atq; id sanè est Hippo. dignũ, maximamq; continere in se artis partẽ videtur: præsertim cùm in omnibus codicibus, non in secundo hoc libro solũ, sed in sexto etiã diuulsæ hæ duæ sentẽtiæ legantur. Quare nõ erit opus in sequenti oratione, dictionem, γὰρ, *addidisse: quemadmodum Fuchsius fecisse videtur, quo facilius cũ superiore hac, posset cohærere. Quòd autem plures, nõ vnam duntaxat sententiã hæ duæ orationes complectantur nos planũ Galeni testimonio faciemus: qui sexto de morbis vulgaribus libro, dum ad illam peruenisset orationẽ, quam ante hanc sumus interpretati, quæ relinquũtur in morbis post iudicationẽ mouent recidiuas: in cõmentatione ita habet:* ἡ αὐτὴ ῥῆσις ἤδη κατὰ τὸ δεύτερον τῶν ἐπιδημιῶν γέγραπται, καὶ μετὰ ταύτην ἄλλαι, μέχρι τῶν ὅσοι τριταιοφυεῖς, ἃς ὑπερβησόμεθα διὰ τὸ προεξηγήσασθαι. *i. Hæc dictio iam in secundo de morbis vulgaribus scripta est; & post illã aliæ vsq; ad illam orationem. Quicunq; tertio die accessionem habent: quas prætergrediemur: cùm iam sint prius à nobis expositæ. At verò inter illam orationẽ, Quæ relinquuntur in morbis, & illam: Quicunq; tertio die habent accessionẽ, nullæ aliæ interiacẽt, quàm hæ duæ: quas numero multitudinis notauit Gale. nõ vna igitur, sed plures necessariò esse illæ debent, quod mihi iam diu persuasi.*

οἱ διαλείποντες μίαν τῇ ἑτέρῃ ὑπεῤῥιγοῦσιν ἅμα κρίσει ἐς ἑβδόμην.

26. Quæ diem vnum intermittunt febres, altero superrigent cum iudicatione ad septimum vsque circuitum.

Hæc est Hippo. ad verbum sententia: quam duos cõplecti aphorismos est conspicuum: alterũ quidem, in quo scriptũ in hunc modũ est: ὁκόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσι καθ' ἡμέρην ῥίγεα γίνεται, καθ' ἡμέρην οἱ πυρετοὶ λύονται. *i. Quibus quotidie rigores fiunt, quotidie & febres soluuntur: alterum verò, in quo habet,*

τεταῖ

Τριταῖος ἀκριβὴς κρίνεται ἐν ἑπτὰ περιόδοισιν, τὸ μακρότερον. i. *Tertiana exquisita ad summũ septem circuitibus terminatur. Neq; enim oportebit, quo possit cum superiore cõnecti, dictionẽ illam,* γὰρ, *addidisse: in hunc modum:* οἱ γὰρ διαλείποντες μίαν: *nam in omnibus, quos hactenus videre licuit, Hippo. codicibus, simpliciter hunc in modum est hæc oratio scripta:* οἱ διαλείποντες μίαν τὴν ἑτέρην ἐπιῤῥιγέουσιν ἅμα κρίσει ἐς ἑβδόμην *id est. Quæ diem vnum intermittũt febres, altero superrigent cum iudicatione ad septimum. Quæ sentẽtia planè est vtilissima: maximeq; Hippo. digna, qua docere instituit, in quauis intermittentium febrium accessione, particularem quandam esse iudicationem, quoniam naturæ impulsu humor extra vasa propulsus, in accessionibus per euacuatione aliquam, aut sensilem, aut insensilẽ, vacuetur. Ita sanè videmus in fine tertianarũ febrium sudorem euocari: in alijs verò febribus aliquam superuenire euacuationẽ, non quidem sensilem adeò, quoniam in quotidianis febribus, ob lentorem, glutinositatemq;, nõ facilè humor potest expurgari: quo fit vt reliquiæ plurimæ, ampluműq; seminariũ in corpore relictũ, citissimè aliã aduocent accessionẽ. In quartanis verò idipsum cõtingit: cæterum ob humoris potius paucitatẽ, terrestremq; ipsius cõsistentiã. Dixit autẽ ad septimũ. quod Græcè habet,* ἐς ἑβδόμην, *in quibus verbis nos subintelleximus* περίοδον *i. ad septimũ vsq; circuitũ: vt indicaret, longissimã tertianam febrem, eousq; duntaxat protendi: dummodo, fuerit exquisita, nihilq; pituitosi humoris habuerit immixtũ. In. 6. autẽ lib. paulò aliter habet ad calcem orationis, in hunc modũ* ἐκ τῶν πέντε ἐς τὰ ἑπτά. *i. de quinto in septimũ, quoniam ad quintum & septimum circuitum potissimum descendunt: raro autẽ ad tertiũ nisi materiæ fuerit exilis copia. Nam quod in cõtinuis præstat vna dies, idipsum, autore Galeno, in intermittentibus vna periodus. Quòd autẽ separatim hæ duæ sententiæ sint legendæ patet ex sequẽti, quæ lib. 6. scripta habetur. Quicunq; tertiana laborãt, his nox grauis est ante accessionẽ: quoniam tunc natura ad futuram iudicationem facit apparatum. Crisim ergo Hippocrates suo more accepit, pro morbi cum euacuatione materiæ solutione.*

In omnium accessionum fine aliquam superuenire vacuationem maxime est consentaneum.

Quòd vna dies in continuis morbis idem præstat vna periodus in intermittentibus.

Σκοπῷ ἐκ κορυζωδέων, καὶ φάρυγγος φλεγμονῆς, φλαύρως διαιτηθέντι, ἡ κοιλίη ἀπελήφθη, καὶ πυρετὸς ξυνεχὴς ἐγένετο, καὶ γλῶσσα αὐανθὴς, καὶ ἄγρυπνος.

27. Scopo ex muccosis, biliosis, & faucium inflammatione, cum praua vsus esset victus ratione, aluus intercepta est, & febris successit continua, & lingua arida, vigilq; erat.

Κορυζώδεα. *id est. muccosa solet Hippo. nominare pituitæ ad nares destillationem, quẽadmodum* βραγχώδεα *cùm ad guttur, asperamq; arteriam se fluxio conuertit: vti in aphorismo illo,* βράγχοι καὶ κόρυζαι τοῖσι σφόδρα πρεσβύτῃσιν οὐ πεπαίνονται. *i. Rancedines, & grauedines in valdè senibus haudquaquã concoquuntur. Ita etiam & sexto de morbis popularibus libro, sectione tertia*

ſcriptum habetur: ἧσσον τοῖσιν ἀπὸ κεφαλῆς κορυζώδεσιν καὶ βραγχώδεσιν ἀπὸ πυρετήνασι, ὡς οἶμαι ὑποστροφαί. *i. minus his, qui deſtillatione à capite in fauces, & nares corripiũtur, ſi ſuperfebricitent, fiunt recidiuæ. Hic ergo ægrotus primũ biliosa deſtillatione afficiebatur nõ in nares ſolum, ſed etiam in fauces decumbente materia, ex qua & in ipſis inflãmatio eſt ſuborta. Quo fit, vt nomen illud* κορυζώδεα *non exquiſitè pro defluxu, deſtillationeq́; in nares impræſentia ſit deſumendum, ſed pro omni à ſupernis partibus defluxu: quem Græci* κατάῤῥουν *vocant. Qui cùm praua vſus fuiſſet victus ratione, neq; parere voluiſſet medicis, fortè ex auſterorũ, aut adſtringentium vſu, qualia pyra ſunt, cydoniaq́;, meſpila etiam, & alia huiuſmodi, nõ ſolum prauorũ humorũ copiam collegit vberiorem, ſed venter etiam ſuppreſſus ipſi eſt: quod in cauſa fuit, vt detentis per vim interius prauis ſuccis, neq; vt oportebat cõmodè expurgatis, calorem ex putredine contraxerint, ac febrem concitauerint continuam, quam in alijs exemplaribus acutam legimus, magiſque lectio arridet, propter ea quæ mox ſequũtur. Nam & lingua ſiccitate, arida eſt effecta, & vigiliæ, inſomniæq́; ipſum vehementer vrgebant, quæ acutarũ febrium ſymptomata exiſtunt. Adde etiam quòd vndecima die febris fuerit ſequuta iudicatio, larga per vrinam facta vacuatiõe. Quod fuit argumentũ febrem fuiſſe acutam. Quin etiã vigiliæ, & linguæ ariditas idipſum luculenter oſtendebãt. Vigiliæ quidem, quòd febris vehementia cerebrum inflammatum fuiſſet, calidiusque ac ſiccius plus iuſtò effectum: lingua verò quòd bilis æſtuoſo feruore fuligines, halitusq́; ad ipſam ex inflammata aliqua parte mitterẽtur. Quare non* εὐανθὴς *legẽdum cenſemus: quæ dictio floridam ſignificat: ſed* αὐανθὴς *potius, quæ dictio vehementem ſignificat ariditatẽ: quemadmodũ Galenus interpretatur:* αὔανσις *(inquit)* γῆρας ἐστὶ φυτοῦ δι᾽ ὑπερβάλλουσαν ξηρότητα γινόμενον. *i. Ariditas ſeniũ eſt plantæ ob excedentem ſiccitatem contingens, indeq́;* αὐανtικὴ νόσος *morbus exſiccans corpus: vt tabes, aut phthiſis.*

Αὔανσις quid ſignificet.

Ἡ τρὸς ξύντασις ἰσχυρῶς ὁμαλῶς κατὰ σμικρὸν ἐς τὸ κάτω ἐν τοῖσι δεξιοῖσι, πνεῦμα ὑπόπυκνον ὑποχόνδρια ἤλγει, καὶ ἀναπνέων, καὶ στρεφόμενος.

28. Abdominis intenſio, vehemens, æqualis, ſenſim ad infernam partem vergens, in dextris, ſpiritus ſubcreber, pręcordia dolebat: & cùm ſpirabat, & cùm vertebatur.

Luculenter id oſtendit, eo confluxiſſe materiã, ad dextram nimirũ præcordiorũ partem, atq; inibi inflammationẽ concitaſſe circa iecur: ex qua lingua arida vehemẽter redderetur. Quo in loco adnotandum cenſui, quod nos vertimus, vehemẽs, æqualis, ab Hippo. dictũ eſt, per aduerbia duo ἰσχυρῶς, ὁμαλῶς. *id eſt, fortiter, aut robuſtè, & æquabiliter, quod parũ facere ad rem ſumus arbitrati, ſi per nomina duo vehemẽs & æqualis transferatur. Quòd autẽ dictũ*

de ſpiritu

de spiritu est, nõ videtur fuisse ab re in eo homine, ob præcordij dextri inflammatorium affectũ, atq; ob dolorem, qui facilè ex ea parte ad respirationis instrumenta noxam transfert: talem spirandi difficultatẽ fuisse subortam. Non quidem frequentem simpliciter, quoniam respirationis instrumenta primario affectu laborasse significasset: sed subfrequẽtem, quoniam dolor præcordiorũ partes occupabat, quod ipse etiã haudquaq̃ prætermisit, dum respirabat eas partes doluisse scribens, atq; cùm se vertere vellet. Non scripsit autẽ quidpiã de spiritus paruitate, quoniã id ex frequentia satis notũ euadere poterat, his potissimũ qui causam ob quam frequentiã aliquam contraheret spiritus animaduertet: quæ alia sanè nõ erat, q̃ dolorifica in præcordijs affectio, quæ cùm frequẽtiam hac ratione cõciliet, quòd liberè non possit vsus, magnitudine absolui, dubio procul quantũ ad frequentiam accedet, tantũ aberit à magnitudine. Porrò autem illud silentio prætereundum haudquaq̃ est, quanquam iam sit in præcedentibus adnotatum, ἦτρον scilicet sumi interdum ab Hippocrate pro toto abdomine, quem Græci ὑπογάστριον nominant, tametsi pro ima ipsius parte à Græcis accipiatur.

Dolorifica affectio partiũ respirationis quam spirationis differentiã moueat.

Ἄνευ δὲ βηχὸς ἀνεχρέμπτετο ὑποπάχεα, πέπλος δοθεῖσα, ἀπὸ τῶν ὑποχονδρίων μὲν ἀπῶσεν, ἐπεραιώθη δὲ οὐδέν. Τῇ δὲ ὑστεραίῃ βάλανοι δύο προστεθεῖσαι οὐκ ἐφάνησαν.

29 Absq; tussi excreabat subcrassa: peplos ipsi data à præcordijs quidem depulit, prodijt autem nihil, postridie glandes duæ adhibitæ non apparuerunt.

Satis apertè hac in parte innuit Hipp. nil noxæ in hoc ægroto sensisse, aut pulmones, aut asperam arteriã: neq; ex fluxione inæqualitatẽ aliquã ipsam contraxisse: quæ necessariò ad tussim impetũ cõmouisset: nam excreabat (inquit) absq; tussi, quod ostẽdit ad fauces duntaxat humorem decubuisse, qui crassior febris ardore euaserit, atq; ita screatione fuerit reiectus. Cæterũ quoniam humor ille, qui præcordijs noxam inferebat expurgandus erat, cùm aluus nõ liberè deijceret, adhibuit certe Hippo. peplum, quo bilis illa pituitaq; collectæ, deorsum secederẽt. Hanc plantam Hippo. interim quidẽ μήκωνα λευκὴν i. papauer albũ, interim verò μήκωνα ἀφρώδη i. spumeũ: aliquãdo μηκώνιον interdũ χαμαισύκην nominat: quemadmodũ Gale. in lib. antiquarũ dictionũ Hipp. inquit. Herbarij eam rotundam esculam vocãt: quoniã lacteo succo, vt illa, turgeat, atq; ad purgãdam aluũ, nõ minus quàm illa faciat. Apud nos nõ nascitur, quòd viderim Valentiæ, quanquam recessus omnes propemodum, circumiacentiaq; loca perlustrarim sedulò, inquirendarum stirpium gratia, licuit tamen aliunde asportatum semen terræ mandare in fictili vase, atq; ita largam eius, vberemq; copiam aceruasse. Apud Monspessulanũ autẽ agrum in vineis frequens cernitur, in hortisq;: quam, nobis G. Rondoletius (vir sa-

Peplos planta quænam sit.

 ne erudi

nè eruditionis quàm raræ, atq; eius loci clarissimus medicus, quem vnicum præceptorem in hac re habuisse gloriamur) ostendit: tota facie Dioscoridis picturæ respondentem. Vidimus tamen apud nos frequẽter in maritimis pepliũ herbam, quam pauci admodum (pace tamen eruditorum dixerim) nouerunt. Hæc vbique temerè erumpit, in squalida litoris arena: vbi & marina brassica simul nascitur, nihil planè à Dioscoride euariãs pictura. Dixeris portulacæ planè similem, imò posset interim pro ea fallere, ni esset rubicundior: in pepli modum comam per terram spargit: folia non adeò rotunda vt peplo, sed longiora, ac veluti ad alterum latus obscuræ corrosa, vt lunatam ferè faciem ostendat subter impensè rubentia, vt caules etiam eo colore infecti videatur: qua parte potissimũ ad arenam spectant: fructus vt in peplo ad supinã plantæ faciem contorquetur, vt sub folijs penitus abscondatur, vnica candida radice firmatur. Verum id in hac planta adnotauimus, duplicis generis discerniculo esse insignem. Nam altera subter (quod Dioscorides in ea requirit) impendio rubet: alia verò nihil penitus discrepans, tota candida est. Quod adnotauisse maximè fuit operæpretium: ne quis in candidam incidens, nõ legitimũ esse peplium arbitretur. Apud Monspessulanũ agrũ alia longè diuersa pro peplio herba ostendebatur; ex tithymalorũ generibus, quæ nunq̃ à doctis libẽter fuit vsurpata. Est autẽ, quam Fuchsius in suo herbario rectè quidẽ helioscopium appellat: verũ hæc omnia nos fusissimè in libro quem de stirpiũ historia sumus edituri adnotabimus. Quanq̃ ergo peplus apud nos nõ nascatur, tamẽ eius loco possumus rectè, ac cõmodo successu peplio vti, ad eadem planè vtili, ad quæ peplus. Porrò vsus harũ plantarũ (vti diximus) est ad bilem, pituitamq; educẽdam: præparationis autẽ modus est, vt semen per messes collectũ in vmbra versatu assiduo desiccatũ, tundatur: feruidaq; aqua cõspersum detur acetabuli mensura, cum mulsæ cyatho. Quòd si folijs, & caulibus vti volueris, muria seruabis: & sic ad aluũ ciendam inuenies cõmodum medicamẽtum. Cibis etiã inspargitur semen ad ventrẽ emolliẽndum. At verò haudquaq̃ te latere velim, his cum offerũtur, priuatim sylphij succũ esse miscendũ, quod vt Hippo. aiebat, ipsorũ potest obtundere acrimoniam, stomachumq; à noxa vindicare. Quemadmodũ veratro quidpiã boni odoris immisceri iubet: quod eius actionẽ non impediat, extenuãdi, incidẽdiq; præditũ facultate; quale cyminum est, daucus etiã, seseliq; tum Masiliense, tum Æthiopicũ, quod apud nos & copiosum nascitur, & maximè odoratũ. Id vnũ ad Hippo. sententiam probè intelligendã restat adnotandũ: quod dictũ ab eo est, ἐπεραιώθη δ᾽ οὐδέν. id est. prodijt autẽ nihil: posse significare, ἐτελειώθη δ᾽ οὐδέν. id est, absolutũ perfectumque nil est: tanquam sic dixisset, nõ euasimus voti compotes. nam verbum illud vtrunque significat.

Quomodo sint propinanda robusta medicamenta, qualia veratrũ & peplium sunt.

ἔρω

οὖρον δὲ παχὺ καὶ θολερὸν, ὑπόστασις λεία, καὶ ὁμαλὴ, καὶ ἔστη κοιλίη ἐν θολερότητι, ἥ τε γαστὴρ μαλακωτέρη ἦν, καὶ σπλὴν ἐπηρμένος, καὶ κατάῤῥοπος ἐγένετο. ποτῷ ἐχρῆτο ὀξυγλύκει. ἑνδεκάτῃ, αἷμα δὲ ἐξ ἀριστεροῦ ὑδαρὲς ὀλίγον ἦλθεν, οὐ πάνυ δέ τι ἀῤῥώστως ἔχοντι αὐτὸ τοῦτο. Καὶ οὖρον ὑπόστασιν ἔχον, ἐν δὲ τῇ ὑποστάσει, ὑπόλευκόν τι προσεχόμενον πρὸς τῷ ἀγγείῳ λεπτὸν, οὔτε οἷον γονοειδὲς, οὔτε ἀνόμοιον, ἐῤῥύη τοῦτο βραχύ.

30. Vrina autẽ crassa, & turbulẽta: hypostasis leuis et æqualis: & restitit aluus in turbulentia, venterq́ mollior erat, & lien allatus est, deorsumq́ vergebat. Potu vtebatur fauorũ cremore, decima die ex sinistra nare sanguis aquosus, paucusq́ effluxit: Nõ valdè autẽ hoc ipso infirmus erat. Et vrina subsidentiã habebat: in subsidentia autẽ subalbũ quidpiam, quod vasi adhærescebat exile, neq; semen referens, neq; dissimile. fluebat autem hoc sensim.

Humorum noxiorũ abundantiam tentauit natura statim per vrinam expurgare: absoluitq́; munus suum vndecima die. Eam nanq; ob causam vrina crassa erat, ac turbulenta: quòd nimirum noxios humores, cum serosa vrinæ consistentia immistos, expulerit natura. Propterea si reponeres subsidentiam habebat, leuem, æqualemque, qualis esse debet, vt humorũ significet concoctionem. At verò turbatam vrinam (quemadmodum Galenus adnotauit in Prorrheticis) satis agnoscimus: qui turbatam interdũ aquam vidimus: quòd sordes, retrimentaque cum ipsa sint permixta, quæ suapte natura pessum ire debebant. Ita planè & vrina perturbatur, vbi sedimentum cum ipsius substantia vehementius permiscetur: potissimum si fuerit crassius. Nam & hoc ipsum dicebat Hippoc. οἷον ἂν τὴν ὑπόστασιν ἀνατεράξειας. *tanquam si subsidentiam perturbaueris. Similis ita efficitur vrinæ iumentorũ, quæ si non in suam redierit consistentiam, subsidentia deorsum considente, maximam in corpore significat perturbationem, humorumq́; crudorum ac flatuum multitudinem. Sin autem reposita se componat, subsidentiamq́; ostendat, naturam per vim noxios humores propulsare significat: quẽadmodũ huic Scopo accidit. Quòd verò aluus restiterit, cohibitaq́; sit in vrinæ turbulentia, non est mirum, quoniam humor ad vrinam se conuerteret, atque ita dictum ab Hippocrate in aphorismis est, vrina multa noctu reddita paucam significat deiectionem, & econtrario. Hæc igitur fuit causa quòd venter, hoc est, epigastrium mollius per materiæ noxiæ vacuationem factum fuerit. Sed quoniam in eo tumultu humorum portio aliqua, ad lienem, vtpote imbecillum, prauiq́; humoris ærarium, se conuertisset in tumorem fuit ille sublatus. Atque ideo ex nare sinistra sanguis aquosus paucus effluxit: quòd quia die non satis fideli contigisset, dixit Hippo. neque ob hanc effluxionem valdè fuit infirmus, quoniam tametsi morbus vim quam poterat inferret, multò tamen erat potior natura:*

quæ ugi vacuatione, humorem morbificum depellebat. Nam semper addidit: vrina subsidentiam habebat, quoniam coctiones & celeritatem iudicationis, & sanitatis securitatē pollicentur. Porrò quòd vasi adhærescebat, pars fuit pituitosi, glutinosi, inquam, ac crassi, humoris, qui calore fuerat superassatus, id sæpe nos ex vesica calculosa defluere vidimus. Verū quoniam victus rationem tenere, qua ægrotus vtitur, maximè cōducit, dixit, vsum esse fauorum cremore, Græce habet ὀξυγλυκὰ, *nos autem conuertimus, fauorū cremorem quoniam Galenus secūdo de facturis cōmentario* τὸ δ' ὀξυγλυκὲς, *inquit,* γλυκυτάτων κηρίων ἐστὶν ἀπόβρεγμα τε καὶ ἀφέψημα, καθάπερ ἔτι καὶ νῦν γίνεται κατὰ τὴν Ἑλλάδα τρόπῳ τῷδε. κηρίων ἐκθλίψαντες τὸ μέλι, βάλλουσιν εἰς λέβητα, καθαρὸν ὕδωρ ἔχοντα, κᾆπειτα, ἑψήσαντες ἄχρις ἂν ἱκανῶς αὐτοῖς δόξῃ τὰ κηρία τὴν ἐν αὐτοῖς ὑγρότητα πᾶσαν ἐναποθέσθαι, τὸ ὕδωρ, κατατίθενται, καὶ φυλάττουσι καὶ χρῶνται τοῦ θέρους, ὡς ἂν ἀδίψῳ πόματι, κεραννύντες ὕδατι ψυχρῷ. τούτῳ τοίνυν τῷ ὀξυγλυκεῖ χρῆσθαι καὶ ὁ Ἱπποκράτης κελεύει. *i.* ὀξυγλυκὲς, *autem dilutum est aut cremor fauorum suauissimorū, quod etiam nunc in Græcia fieri in hunc modum solet, fauos expresso melle conijciunt in lebetem aqua mūda plenum, postea coquētes tantisper dum ipsis faui videantur liquorem omnē deposuisse in aqua, atq; ita recondunt seruantq; in vsum æstatis, quòd potus nimirum sitim arceat, permiscentes etiam ipsi frigidam aquam: hoc igitur fauorum cremore vti & ipse Hippocrates præcipit, potissimum in tenuissimo victu, vt & aquam mulsam acetumq; itidem mulsum quemadmodum idem in citato loco est autor.*

Τῇ δ' ὑστεραίῃ κριθεὶς ἀπύρετος, καὶ ὑπῆλθεν ὑπόγλισχρον τῇ ἐνδεκάτῃ, τὸ δὲ ἦν ποδῶν χολώδης, οὔρου δὲ κάθαρσις πολλὴ, καὶ πλήθει, καὶ ὑποστάσει, καὶ πρὶν μὲν οἰνοποτέειν, ἤρξατο μικροῦ λάπη ὁμοίη, διῆλθε δὲ τῇ ἐνδεκάτῃ, ὡς ὀλίγων ἐόντων, γλίσχρα δὲ καὶ κοπρώδεα θολερά. Τὸ δ' οὕτω κρισίμως ἦν καὶ τὸ Ἀντιγένει ἐν Περίνθῳ.

31. Postridie, iudicatus est, febre liber, & descendit subtenax vndecima die, quod circa defluxum erat biliosum. Vrinæ autē purgatio multa, tum copia, tum subsidentia, & priusquam vinum potare cœpisset, veluti remollitio aderat, descenderunt autem vndecima die, quòd pauca inessent, tenacia autē & stercorosa turbulēta. Id iudicatorio modo est factum, quoniam Antigeni in Perintho tale quidpiam accidit.

Vndecima die perfectam subijt iudicationem hic ægrotus; quòd eousq; vrinæ copiosæ non multitudine tantum, sed sedimento redditæ fuerint, quanquam absoluisse iudicationem videtur, quod per aluum vndecima die subuiscosum descēdit, quoniam præ crassitudine, atq; lentore ad vrinæ vias transsumi non poterat. Nam vrinis in hoc ægroto mouendis maximum adiecit

momentum

momẽtum vinum, quo vsum fuisse scribit Hippocra. fauorumq́; cremor, nunquam enim natura, aut ægrè potuisset, crassam glutinosamq́; adeò in præcordijs contentam materiam per vrinam expurgare, tametsi bilis permixta ad id non mediocrem præstiterit vsum. Antequam enim vino vteretur cœpit veluti remollitio ferè: quod nos alui lentorem fuisse arbitramur, eo contendente natura humores transferre. Scriptum nanq; ab eo est, satis quidem obscurè in hunc modum. καὶ πρὶν μὲν οἰνοποτέειν ἤρξατο, μικροῦ λάπῃ ὁμοίη, *quod ad verbum sonat: & priusquam vinum potare inciperet ferè remollitioni similis, vsusq́; est inusitata quadam dictione* λάπῃ, *quam nos à verbo* λαπάσσειν. *id est, emollire, deflexã arbitramur, à quo herba* λάπαθον *nomine à remolliẽda aluo dicta est. Hanc dictionẽ Cornarius pituitã vertit, sed mihi sanè ad Hippocra. sententiam non facit satis. Nam quæ mox scripta sunt, id quod diximus confirmare videntur, cùm dicat: descenderũt autem vndecima die, quòd pauca inessent, tanq̃ dixisset eam remollitionem non fuisse adeptam successum: quòd vrinæ multitudine fuisset præpedita, sed quæ non potuerunt per vrinam expurgari ob crassitudinem (quæ pauca sanè esse debebant) vndecima die fuisse reiecta per aluum: tenacia autem, ac stercorosa, & turbulenta, decretorio quidem modo, quod & exitus satis indicauit, ægroto in totũ à febre vindicato.*

Τὰ περὶ τὰς γλώσσας αἰρόμενα συστρέμματα, καὶ ταπεινὰ ἐόντα λιθίδια, καὶ τὰ τοῖσι ποδαγρικοῖσι, τὰ ἀσθενέα περὶ ἄρθρα ἐκείνων ἐστί. Καὶ γὰρ ἡ ὀστέων φύσις καὶ τὸ σκληρύνεσθαι τοῦδε αἴτιον, καὶ τὸ συντείνεσθαι.

32 Quæ circa linguas eleuantur durities, & humiles existentes calculi, & quæ podagricis fiunt, iuxta debiles illorum articulos sunt. Nam ossium natura, & quòd id induretur est causa, & contendatur.

Quorsum hæc sententia tendat, prorsus non habeo compertum, imò neque integra esse videtur, sed quidpiã temporis lõgitudine ex ea perijsse putamus; aut quidpiam aliunde in eam temerè irrepsisse, aut planè non esse Hippo. sed inepti cuiuspiam alterius hominis, qui verborum ambage, atq; obscuritate in condita, admirationẽ mouere forsitan voluit, Hippocratis autoritate. Nam plurima spuria ad calcem huius secundi libri inueniri, scriptorum temeritate adiecta, Galenus in præfatione libri de morborum acutorum victus ratione est autor. Quare si hæc sententia ex illis sit, extremæ per Iouem fuerit dementiæ, in ea se diutius velle torquere, sin autẽ inter germanas, legitimasq́; Hippocratis sententias debet cõnumerari, mirum sanè non erit, si quæ temporis diuturnitate penitus propemodum periere, ac decus omne amiserunt, ex toto reparari non possint. Quod poterimus tamen in ea adnotabimus, vt vel saltẽ

P v aliorum

Vinum vrinas mouet.

aliorum ingenia cõmoueamus, qui se ad huiuſcemodi exercitium velint accingere. Scio enim noſtris temporibus eſſe haud paucos; quibus vt de ſe fructum aliquem ædant acuto calcari eſt opus, qui tamen varijs diſciplinis imbuti miſerè, in bibliothecis tabeſcunt. Videtur ergo Hippo. (quantum nos aſſequi poſſumus) indurationis humorum, cõcretionisq́; in corpore cauſam tradidiſſe, oſſium ipſorum naturam, hoc eſt, ſimile oſſibus temperamentum, frigidum nimirum ac ſiccum, vt ſi humor qui abſcedit fuerit huiuſmodi facilè abceſſus in duritiem abeat, quemadmodum in ſcirroſis tumoribus, qui & circa linguam duritias pariunt, & circa lienem, renesq́;, ac etiam pulmones, calculis quibuſdam planè perſimiles. Idipſum igitur bifariã contingit, quod autor huius ſententiæ, haudquaquam animaduertiſſe videtur, interdum enim huiuſcemodi melancholicus humor in partem aliquã corporis abſcedit, duritiamq́; ſcirroſam vehementi ipſius impactione accerſit. Interim verò medici imperitia, aut partis temperamento cõtingit, vt non ſecus atq; in veſica calculus, in parte aliquã durities lapidoſa generetur. Nam medicos interdũ per inſcitiam humorem, inflãmationem, aut ſacrum ignem concitantem digerere in halitum ſtudens, multò calidiora quàm par ſit medicamenta adminiſtrat, quæ tenuem humoris partem diſcutiant, craſsiorem verò torridam, vehemẽterq́; aſſatam relinquant. Idipſum poteſt & partis calidius temperamẽtum præſtare, quod in renibus pulmoneq́; ſæpenumero vſu euenire cõſpicimus. Huius autem cõcretionis, aut vt melius loquamur, aſſationis humorum nõ oſſea natura eſt in cauſa, ſed longè alia, calida nimirũ & ſicca: niſi intelligat, tandem poſt illam vehementem vſtionem redactum iam in cinerem humorem oſſeæ eſſe deinteps naturæ, frigidæ inquã ac ſiccæ perinde vt illa. Non tamen hoc mihi multum arridet, trahi nanq; potius ſententia videtur, quàm liberè ſequi. Verum ſupereſt alia concretionis humorum cauſa quæ non ſatis apertè in ſuperius à nobis expoſitis cõtineri videtur, cùm nimirum pituitoſus humor circa imbecillos podagra laborantiũ articulos in tophum indurari videtur, nulla partis vehementi caliditate aſſatus, ſed ſola ipſius atq; exanguiũ partium frigiditate concreſcens, ad quam ſanè rem, humor quem vitreum praxagoras nominauit, eſt accomodatus, qui leui occaſione in gypſeam duritiem tranſit. Hæc ſunt quæ de hac re dicere habui; inhiãs ſemper meliori iudicio, quod vbi fuerim adeptus & ſententiã mutare, & doctior etiam euadere potero. Id tamen non diſsimulabo, quod συστρέμματα *duritias verterim, quæ vox à verbo* συστρέφω *deflexa eſt: à quo &* συστροφὴ *eodem planè ſignificato. Interpretatur autem Galenus eam vocem in libro antiquarum dictionum Hippo.* φύματα καὶ σκληρίας. *id eſt. tubercula, & durities.*

Scirroſi tumores bifariã contingunt.

Τὸ δ' Ἱπποκράτευ ἐκ τετάρτου γυναικείων ἀπεκορύφου, ὑπόψυχος φανερῶς δοκεῖσα.

κέεσκε. ἔφοδος ἀνὰ πᾶν τὸ σῶμα, καὶ ἱδρὼς ἐκρίθη ταύτῃ. καὶ μετὰ ταῦτα γυναικεῖα πλείω πλήθει, καὶ χρόνῳ, τότε γὰρ ἐπεῖχε. μὴ ἑστάναι ἔδοξεν ἀπόστασις.

33 Hippoſtrati vxori quod ex annua quartana de vertice decurrebat, cum frigida palam eſſe videretur, vniuerſum corpus incurſabat, & ſudor erupit, iudicata eſt hac ratione. poſt hæc mẽſes effluxerunt plurimi tum copia, tum tempore, tunc enim ſupprimebantur. Abſceſſus reſtitiſſe non eſt viſus.

Quod Hippo. ἀπὸ κορυφῆς dixit, nos de vertice decurrebat conuertimus: tanquam in hunc modũ ſcriptum eſſet ἀπὸ κορυφῆς ἐκινεῖτο. id eſt. à vertice mouebatur, quòd nimirum natura inde humoris cõmotionem ſit auſpicata. Quare in humoris commotione non eſt mirum vniuerſum corpus perfrixiſſe, cum vltrò citroq; materia impetuosè diſcurreret, id nanq; eſt, quod ipſe dixit, ἔφοδος ἀνὰ πᾶν τὸ σῶμα. id eſt. Vniuerſum corpus incurſabat. Tandem poſt hanc impetuoſam humoris agitationem ſudor modo decretorio erupit; quod mirum ſanè eſt, adeò fuiſſe atrabilarem ſuccum extenuatum vt ſudore depelli poſſet. Neq; potuiſſet hauddubiè ſudoris eruptio ad annuam quartanam iudicandã fuiſſe ſatis, niſi ipſi menſtrua ſubſequuta purgatio, quæ hactenus fuerat intercepta, auxilio fuiſſet. Nam cùm vacuatio poſt iudiciũ etiam permaneret, quod non potuit in totũ per ſudores expurgari, ſenſim fuit à corpore vacuatum, maximum enim habet ad iudicationes abſoluendas momentum ſi quæ iudicationem ſubſequatur vacuatio, diutius & ipſa perſiſtens. Nam in virgine illa Lariſſæa, cuius hiſtoriã libro de morbis popularibus tertio refert menſtrua etiam ſubſequuta purgatio, iudicio quod ſexta die per ſanguinis eruptionẽ & ſudores cõtigit, tuẽdo, par fuit, vt integrè morſum propulſaret, maximè quòd nulla eſſet pars inflammata ex his, quæ in corpore obtinent principatum; neq; prauorũ ſuccorũ abundantia. Quod ſanè mirũ fuit, cum ſexta dies nõ iudicet vnquam fideliter. Quare nouum hoc rarumq; illi fœminæ acci diſſe indicauit Hippocrates, cùm dicat, hanc non repetierunt, ſed dolores diebus paribus ſunt finiti.

Annua quartana ſudore iudicata.

Ἐν τοῖσι αἱμοῤῥαγέεσι σφίγγουσιν σχῆμα εὐρύ τε ὄν, καὶ τὸ ξύμπαν εἰ ἐκ τῆς τοιαύτης κατάντεος ἀνάντεος ἂν ποιοῖτο. διὸ καὶ αἱ ἀφαιρέσιες αἱ ἐν τῇσι φλεβοτομίῃσι ὁρμῶσι. αἱ δὲ ἰσχυραὶ κωλύουσιν. αἷμα τὸ ὕφαιμον, καὶ τὸ ὑπόχολον ὀξυθυμώδεα. ἴσως δὲ ἐν μέλαιναν τούτοισι τελευτᾷ.

34 In ſanguinis fluoribus figuram quæ laxa fuerit arctant, & in ſumma ſi quod decliue eſt, accliue fiat. Quapropter & deligaturæ impetum faciunt in venarum ſectionibus, quæ ſi fortes ſint remorantur, vt arbitror, ſanguineum ſubbilioſumq́, quod ad iracundiam mouet, forſitan autem ad nigram bilem his finis fiet.

Prima

Prima huius orationis pars menda carere haudquaquam videtur: nam cùm scriptum sit, ἐν τοῖσι σφίζουσιν αἱμοῤῥαγέσι neq; illud σφίζουσι ad pulsationem venarũ referri poßit, cùm per iota scribatur, σφύζω nanq; id est pulso, aut mico, cum ypsilõ potius scribendum est, arbitramur sanè aut σφίζειν Hippo. dixisse pro σφίγγειν, aut nominis vicinitate scriptorẽ delusum. σφίζουσι pro σφίγγουσι scriptitasse, atq; ita orationem hanc esse legendam ἐν τοῖσι αἱμοῤῥαγέσι σφίγγουσιν σχῆμα, & reliqua.i. In sanguinis fluoribus figuram, quæ lata fuerit arctant. Est autem sententia hæc maximè vtilißima: quam non de micãtibus tantum venis (quas arterias vocant) intelligi par est: sed de omni in vniuersum sanguinis profluuio, quod multò frequentius ex venis cõtingit quàm ex arterijs. Qua de re Cornarius doctißimus sanè medicus suũ munus cõmode absoluisse videtur; quanquam ita cõuerterit: In pulsantibus sanguinẽ fundentibus, quoniam aut σφύζουσι legisset: aut lubricum pro eo lapsum fuisset arbitratus, nihil enim aliud in rem suam erat, quam ea cõuertere, quæ in Hippocratis codice occurrebant, in qua re præstitit se fidelem admodum interpretem. Nobis verò longè magis arduum negocium incumbit, quibus non solum quid occurrat, sed quantum id veritatis cõtineat, inquirere est curæ, impium nanq; nefasq; maximum esse videretur, si quod planè mendosum est, aut non graui viro dignam contineat sentẽtiam, ad Hippo. autorem referamus. Quapropter examinanda sedulò proposita sententia est, vt quantũ poßit emolumenti ad curationes morborum afferre in promptu habere poßimus. In sanguinis ergo fluoribus figuram quæ latior fuerit arctandam censet; loci etiam partisq; affectæ positum immutandum, vt ex decliui, accliue fiat: quod sanè quàm verißimũ est: Atq; alibi etiam ab ipso Hipp. traditum sexto nimirũ de morbis popularibus libro, in hunc modum: αἵματος φλεβῶν, στάσιες, λειποθυμίη, σχῆμα ἄλλη, ἀπόληψις, μοτώματος ξυστροφὴ, πρόσθεσις, ἐπίδεσις. id est, sanguinis è venis manantis, suppreßiones sunt, animi deliquium, figura aliò tendens, interceptio, linamentũ tortile, appositio, deligatura. Nam imprimis animi deliquium, vtpote quod vniuersum corporis habitum reddat frigidiorem, & sanguinem etiam ad motionem ineptum efficiet; tum verò figura aliò tendens, idipsum præstabit, cùm deorsum vergẽte partis affectæ positu, facilè ad fluxionem sanguis incitetur, tum missus, attractus'ue, tum etiã suo nutu deorsum præ grauitate decumbens, qua de re maximum feceris ægrotis operæpretium si sursum versus affectam partem conuertas. Hoc sanè est, quod Galenus quinto de curandi ratione libro, scriptum ita reliquit. ἔξωθεν δὲ τῶν ἁγνμένων ἁπάντων αἱμοῤῥαγίας βοηθημ' δεῖ τὸ ἀντιτάδιον σχῆμα τῷ πεπονθότι μορίῳ, ὥστε τὸ ὑψηλὸν γίνεται ἄνω, εἰς τοῦτο ἐχόμενον σκοποῖν, ἀνωδυνίας τε καὶ ἀναῤῥοπίας, εἰ δ' ἤδη κατάῤῥοπον ἢ ὀδυνῶδες γίγνοιτο, καὶ τὰς ἐκ ἄλλας αἱμοῤῥαγίας ἐργάζεται, μὴ

Sistẽdi sanguinis rationes.

τοίγε δὴ τὰς ὕλας ὁ παλαιός. id est. præter alia quæ dicta sunt omnia sanguinis fluori auxilium est, accommodata figura vulneratæ partis, quod vtile sit his duobus scopis, nempe vt minimũ pars affecta doleat, & sursum spectet. Nam si deorsum vergat, aut dolore prærmatur, & nondũ præsentes sanguinis fluores accersit, & præsentes iam neutiquam cessare facit. Hactenus Galenus: iam verò interceptio, quam Hippocrates ἀπόληψιν vocat, de qua in hac parte ne verbum quidẽ, sanguinis fluentis impetum coërcet: neq; eo nomine damnandus est, quòd non perfectam integramq; tradat remediorum materiam, quoniam non in hoc vt in lucem prodiret hic liber est scriptus, vt iam sæpissime à nobis est dictum: sed vt sibi eorum quæ aduerterat in ægrotis esset monumentum. Est igitur interceptio cùm venæ sanguine supra modũ distentæ refrigerari perspiratu non possunt: quod Galenus sæpissime interpretatus est: πληρώσεις τῶν φλεβῶν ὑπὸ πλήθους γινομένας, id est; venarum præ multitudine humorum turgidas distensiones, ob quas in libro de bono corporis habitu non cõmode perspiratione refrigerari dixit. Id ipsum & in arterijs contingit, cùm adeò sanguine fuerint imbutæ, vt nullus vacuus locus in ipsis sit reliquus, in quo per dilatationẽ attractum aëra cõcipere possint, tunc enim suffocari extinguiq; innatum calorem est necessum, vt quàm celerrimè & motu & sensu qui ita sunt affecti, vniuerso corpore destituantur. Cùm ergo aliunde difflari non possint, quacunq; parte pertundantur nihil sanguinis ita affectæ arteriæ aut venæ fundent, quo modo nec vasa quæ vnico foramine peruia, aqua aut liquore alio imbuta fuerint, nisi aliunde tantum aëris concipiant; quàntum liquoris amittunt nihil unquã tametsi vehemẽter coneris remittent. At verò linamenta omnia quæ partim à torquẽdo tortilia, Græce στρεπτά: partim à radendo rasilia Græce ξυστά: partim quòd filatim excerpãtur, Græcis λεπτά: partim à funiculorum in lucernis ardentium similitudine, Græcè ἐλλυχνιωτά: partim à Priapi figura, Græcis πριαπισκωτά dicuntur. Atque appositiones omnes, aut omnino prætermisit impræsentiarum Hippoc. aut verbo illo arctant cõpræhendi voluit. Quòd ea omnia partim oras pertusæ venæ cõmittant: partim verò illarum vulnus obturent. Galenus igitur libro de medendi ratione quinto sistendi sanguinis præcipuas causas esse dicebat, aut propterea quòd non amplius confluat, aut quòd occlusa diuisio fuerit, aut propter vtrunq;, id quod arbitrabatur esse tutissimũ. Cæterum quod adiectum de deligatura est, quam impetum in venarum sectionibus facere indies videmus, non temerè sanè scriptum videtur, nõ enim quæuis deligatura ad id est accõmodata, sed fortis dũtaxat, de qua Galenus eodem libro fusissimè pertractat, quæ quanquam vas ipsum circulo non complectatur veluti vincula solent, tamen cum vehementius superpositas partes comprimat, impellatq; disiuncta vulneratæ venæ

Vasa nisi perspirare possint nihil humoris remittunt.

venæ labra committi cogit. Hæc autem fortis deligatura id duntaxat habet discriminis, quòd remoretur ac vi quadam sanguineum subbiliosumque succum infarciat. Qui tandem putrescens ad atram bilem deficiat. Nam & id in sexto etiam de morbis popularibus dicebat: ὥσπερ τοῦτο τὸ ἐπίχολον, καὶ ὕφαιμον σῶμα μελαγχολικὸν μὴ ἔχων ἐξερρωσίας. *id est: biliosum sanguineumque corpus vbi perspiratione caruerit melancholicum fit, ob prauam quandam pestilentemq; putredinem, quæ in partis exitium perniciemq; feratur. Nam quod in hac parte* μέλαιναν *dixit, id est, nigram simpliciter, de affectione fortasse est intelligendum, tanquam* μέλαιναν διάθεσιν *dixerit. At verbum* μελαίνεσθαι, *vt iam antea à nobis dictum est, in malam partem ab Hippo. desumitur, pro ea nimirum affectione, quam* γαγγραίνειν, *aut* σφάκελον *recentiores medici dixerunt: cùm pars iam demortua est, aut proximè internetionem adierit. Hæc à nobis sectione secũda sunt adnotata, in ea quam de Serapi denarrauit historia. Cæterum video nõ rectè dissimulari posse, quod nos in hunc modũ conuertimus, quæ si fortes sint remorantur (vt arbitror) sanguineũ, subbiliosumq;, quod id iracundiam mouet; quin rationem apponamus nouæ huius, ac nondum receptæ lectionis. Nam Græce habet* ὀξυρεγμιώδεα. *id est. quod acidum ructum mouet, quæ scriptura veritati omni reluctatur: cùm sanguineũ subbiliosumq; nõ acidos ructus moueat, sed id pituitosum tantũmodo corpus præstare possit. Quemadmodum Galenus luculenter ostendit in aphorismus, fit autem retentricis facultas imbecillitas tum ob alias causas, tum ob humorem aliquem ad intestina confluẽtem ex quibus vnus est pituita, vnde & acidos ructus qui tali passione laborant habent. Quin & alibi etiam dum aphorismum interpretatur, qui acidũ ructant non valdè morbo laterali corripuntur. Ob hanc igitur causam quibus pituita natura superabundat rarò morbo laterali laborant. Quid multa? Biliosum nanq; excrementũ nidorosos nõ acidos ructus efficere valet. Cùm ergo id planè sit mendosum quod in sententia habebatur, indignumq; etiam Hippo. qui aliubi nõ semel cõtrarium astruxerit, voluimus pro ea dictione* ὀξυρεγμιώδεα *legere* ὀξυθυμώδεα *potius, quàm apertam mendam in codice relinquere: quanquam tametsi ea reijceretur ab oratione dictio, nihil detrimenti sententia pateretur.*

Ῥίγεα ἄρχεται γυναιξὶ μὲν μᾶλλον ἀπὸ ὀσφύος, διὰ νώτου ἐς κεφαλήν. ἀτὰρ καὶ ἀνδράσιν ὄπισθεν μᾶλλον, ἢ τὰ ἔξωθεν τοῦ σώματος, οἷον πηχέων, μηρῶν, ἀτὰρ καὶ τὸ δέρμα ἀραιὸν δηλοῖ δὲ ἡ θρὶξ τῶν ζώων.

35. Rigores mulieribus incipiunt à lumbis magis, per dorsum in caput vsq; Quin & viris etiam, parte corporis posteriore magis quàm anteriore, veluti cubitis, ac femoribus. Sed & cutis rara, quod capillus animalium ostendit.

Scripta est hæc sententia in aphorismis eisdem ferè verbis, atq; etiam in sexto de morbis popularibus libro; quanquam non satis in ea parte exculta videatur, sed adulterinas secum plurimas sententias admittat: quemadmodum apud Galenum, Fuchsiumq; facilè videre poteris. In aphorismis verò, atque hac in parte, omnibus modis absoluta describitur: nihil adulterationis, aut fraudis recipiens. Breuiter igitur ipsius afferemus Hippocratis mentem, ne lector ad aphorismos hinc reuocari cogatur. Sanè quidem rigores omnes, sensum quendam algoris inuehunt: quem natura frigidiores partes meritò primum concipere debent, huiusmodi autem sunt dorsi partes. Quare non absq; ratione dictum ab eo est: hinc rigores primum inchoare, mulieribusque potissimum, quibus naturale temperamentum multò est, quàm virorum frigidius. ex lumbis autem sumit initium, quoniam circum has sedes maxima ex parte materia agitatur: ob venæ per spinam perreptantis crassitudinem, & partis imbecillitatem, tum etiam vuluæ, vesicæq; iuxta positarum consortium. Ob quas sanè causas non potest primū in thorace sentiri. Verum recurrit sensim per spinalem medullam in caput: ad principium videlicet neruorū, quoniam ipsa tum natura est frigida, tum etiam ob mollitudinem facilè alterationē frigoris suscipit. Minus verò ex partibus anterioribus rigores inchoant: quoniā hæ natura sunt calidiores quod animaliū capillus potissimum indicat, qui in partibus anterioribus magis quàm posterioribus erumpit: vt abundè à Galeno monstratum est, in his quos de temperamentis edidit commentarijs.

lib. 5 aph. sent. 69. lib. 6. epid. part. 3. sent. 19

Rigores quæ magis ex posterioribus incipiunt partibus.

lib. 2 de temper. cap. 7.

Ησιν ὀυδὲν ἔσω τοῦ τεταγμένου χρόνου, ἑκάστοισι τὰ τικτόμενα ἀπόγονα γίνεται.

36. Quibus nihil intra constitutum tempus accidit, singulis partus vitales sunt.

Si nihil mali toto quo vterus gestatur tempore, fœminæ patiantur (cùm non adsit quidpiam quo interturbari naturæ actio possit) meritò in lucem superstites fœtus eduntur. Solent autē partui plurima officere, hoc est, fœtui, ne ad suum præstitum tempus peruenire possit, quorum nonnulla etiam matribus euidentia inuehunt pericula. Cuiusmodi autem ea sint, iamiam dicemus. Nempe quæ ob insignem aëris mutationē corpora fœminarum turbare possunt, aut ob vehemētem aliquam vacuationē nutrimentum fœtui surripiunt. Addendi etiam sunt, ab externis causis accedentes corporibus impetus, veluti ictus, saltatio; id genus est & φθοροποιὸν à Græcis nominatum medicamentum, quod fœtum vi decutere potest. Hæc satis superque sunt ab Hippo. alijs in locis pertractata: potissimum in aphorismorum libris, in quibus de ambientis offensione sic scriptū ab eo tertia sectione est. Si hyems austrina, pluuiaq; fuerit, ver autem siccum, & aquilonium, mulieres quibus partus ad ver futuri sunt, facili ex occasione abortiunt. De his autem quæ nutrimento fœtum destituunt,

destituunt, ita scriptũ alibi est: Mulier vterũ gerens, sanguine ex vena emisso, abortit, & magis si maior est fœtus. Quinetiam si mulieri vtero gerenti menses profluant, impossibile est fœtũ sanũ esse. Ad hæc si mulieris grauidæ in vtero sit erisypilas, lethale est. Plura multò possent ad id institutum confirmandũ adduci, sed ex multis pauca hæc sufficiant, quæ ad rem præsentem non parum facere visa nobis sunt. Vertitur enim potissimum in rem nostram hoc loco de præscripto, statutoq; partionis tempore, nõnihil ex Hippocratis Galeniq; sententia, aliorumq; philosophorum scribere: cunq; in re tam ambigua, citra animi trepidationẽ, qui rectè de rebus sentit, suum ferre iudiciũ nõ possit. Satis arbitror nostro officio functi videbimur, si quæ ab alijs ea de re tradita sunt, philosophicis rationibus aut confirmemus, aut in totum funditusq; subuertamus. Ita enim iureconsultis qui se acerbius in ea re, citra causæ dignotionẽ, torquent, suppetias attulisse videbimur. Hij nanq; quod in confesso omnibus hominibus est, tanquam ratum firmumq; tenentes, in quibus maximi etiamnum philosophi addubitant, ipsi etiam ea in controuersiã vocant: nullam planè adducere rationẽ valentes, quamobrem dissentiãt inuicẽ. Nam ab Aulo Gellio ob id memoriæ proditũ est, fœminam bonis, honestisq; moribus, neque ambigua pudicitia, in vndecimo mense post mariti mortẽ peperisse, factumq; esse negotium propter rationem temporis, quasi marito mortuo postea concepisset, quoniam Decemuiri in decẽ mensibus gigni hominem, non in vndecimo scripsissent. Sed diuum Adrianũ causa cognita decreuisse, in vndecimo quoq; mense partum edi posse. Huic autem decreto aliud longè contrarium, ab imperatore Iustiniano sancitũ lege esse omnes norunt, partum nimirum in vndecimo mẽse non esse legitimum, sed spuriũ potius habendum. Quoniam gestationis vteri interuallũ, non adeò protendi posse existimabat, vt vndecimum attingeret mensem. Sed quoniam horum virorũ decreta nulla prorsus ratione confirmata videmus, quanquam ipsos iudicio fuisse admodũ acri non dubitemus, non est quòd diutius in eorum sententijs interpretandis immorari debeamus, vtpote quibus veritatem ipsam, ex abditissimis naturæ penetralibus extorquere sit curæ. Quare id primũ considerandum sedulò videtur, inter omnes de hac re conuenire septimo primum mense fœtum in vtero vehementiori cõcußione foras exitum affectare: qui si interdum membranas quibus obuolutus in vtero est, abrũpere poßit, ipsum quidem exire in lucem, frequenter quidem moribundum, interim verò vitalem. At octauo mense nullum prorsus fœtum superstitem manere posse: quod si maneat, minimè octauo mense natus existimetur, sed mulierem concœptus diem non probè tenuisse dicant. Nono autem, aut decimo mẽse sospitem in lucem veluti longo postliminio ab vtero fœtum reuocatum nõnulli dicunt, alij verò ad vndecimum, duodecimumq;

Quibus mensibus vitalis edatur fœtus.

decimumq́; ędi superstitem posse. Cæterum quam ob causam singulis his mensibus ea insit seruãdi, aut corrumpendi fœtus abdita vis, inquirẽdũm diligenter à nobis est impræsentiarum. Ea quæ de re varia philosophorum placita se offerunt: quæ vt res penitius scrutinium indipiscatur, non sunt temerè reijcienda: sed potius diligenter admodum expendenda, vt quantum singulis cum veritate conueniat, studiosus quisq; intelligere possit. Imprimis igitur Pythagoræorum sentẽtia de hac re occurrit consideranda, qui tantum numerorum rationibus tribuebant, vt omnia vi ac facultate ipsorum perfici non dubitarent asserere, neq; sanè id leui ab ipsis consilio factũ fuisse cẽseri debet, cùm scriptum etiam in Dei laudibus sit, omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti. Numeri autem ratio, vt Diuus Augustinus scribit, contemnenda neutiq̃ est: quæ in multis sanctarũ scripturarũ locis quanti sit æstimanda elucet, diligenter intuentibus. Atqui idcirco vt scribit Hieronymus contra Iouinianum, haudquaquam benedixit Deus secundæ diei. Neq; enim dictum de ea est: Vidit Deus quæ fecerat, & erant valdè bona. Quippe (inquit) numerus binarius infaustus sit, à quo vnitas primũ discerpatur, quòd causa corruptionis est, quod pulcherrimè explicatur à Platonicis, maximè Damascio, viro in ea familia nobili. Quin & Pythagorici, vnitatis maximam, propemodumq́; diuinam esse astruunt virtutem, siquidem rebus insita omnibus, naturam egregiè fouet, sanitatem tribuens corporibus, animis virtutem, domibus & ciuitatibus pacem, animorum etiam gignit cõspiratum. Dualitas iam omnino degenerans diuersa omnia facit, corporibus tribuens ægritudinem, ciuitatibus seditionem, animis malitiam, domibus dissidia inducit, omne siquidem malum ex dispari oritur voluntate. Nam & Plato ipse totius philosophiæ princeps, cùm videret numeros, vt qui nullo prorsus indigent corporeo fundamento, & mathematicis figuris, & naturalibus speciebus (vt ita dixerim) esse priores, hos verò sequi euestigio figuras, quæ non proprio sed communi duntaxat egent fundamento, in postremum verò locum reijci naturales species, vtpote quæ minus per se stare possint, partim communi, partim verò proprio egentes fundamento, rem ipsam penitissimè scrutatus, ex mathematicis naturalia componere voluit, hunc in modum: vt corpora nimirum cõstarent figuris, rursus figuræ resoluerentur in numeros. Triplicem enim, vt Pythagoras (nunquam satis pro dignitate laudatus) in rebus ordinẽ statuebat, specierum, figurarum, & numerorum: inter quæ numeri primum præcipuumque locum sibi vendicarent. Hæc à nobis obiter dicta, defunctoriéque in hac parte sunt, aliàs accuratissimè pertractata in libello quem de temperaturis rerum naturalium, ex Platonis, veraq́; philosophorum sententia conscripsimus, qui Galeni ad vnguem dogmata exponit, ostenditque de indu-

ſtria voluiſſe Galenum, in ſummis ſenſibus hærere, craſſioreq́; Minerua rerum temperamenta pertractare: ne fortaſſe ab imperitis medicis ludibrio haberetur, quod & ipſe apertè teſtatur libro de vſu partium decimo, ita ſcribens. Teſtis etiam eſt mihi Deus, me non hic modo, verum etiam in multis alijs commentariorum locis ſponte nonnullas demonſtrationes omiſiſſe, aut Aſtronomicas, aut Geometricas, aut Muſicas, aut alterius cuiuſdam logicæ ſpeculationis, ne medici libros meos penitus auerſarentur. Ipſe autem, vtpote qui medicinam potius, quàm philoſophiã docere inſtitueret, conſultiſſimè feciſſe videtur: quoniam medicis, quæ ex ſenſu ſumitur cognitio maximè neceſſaria ſemper eſt habita. Secus autem philoſophis, quibus penitius indagandæ veritatis ſcrutinium incumbit. Qua in re damnandus ſanè Ariſtoteles (ſi tamen audientium aures non offenduntur) eſſe videtur, qui ſemper veluti humi ſerpit, nunquam ad eam rerum intimam veritatem inueſtigandam ſe conferens, cui Plato iugiter ſtuduiſſe ſeduló videtur. Eo itaq; in libello ſingularum ſpecierum vnicum duntaxat eſſe temperamentum aſſerimus, quod nihil aliud eſt, quàm vnicam duntaxat calidarum partium ad frigidas proportionem, humidarum verò ad ſiccas, in omnibus hominibus eluceſcere, neq; bilioſum hominem à pituitoſo, aut atrabilari aliam nactum eſſe partium inter ſeſe mutuam proportionem, quin nec ab illo, quod εὔκρατον, id eſt, temperatiſſimum nominatur. Plurimosq́; (pace tamen eruditorũ dixerim) dum bilioſum calidum, ſiccumq́ue, pituitoſum verò frigidum, & humidũ habere temperamentum pronũtiant, quid dicant, nõ intelligere, apertè nos indicauimus. Quin & medicamentorum purgantium facultatẽ aperta dilucidaq́; demõſtratione tradidimus, qua nimirũ in re ſimilitudo illa totius ſubſtantiæ, adeò à Galeno noſtro decantata, ſit conſtituenda, quodq́; à temperamẽto nihil prorſus euariet, quam Galenus rei ſubſtantiã, optima ſanè ratione eſſe putauit. At verò iſthæc omnia mathematicis demonſtrationibus ſunt ſtabilita, nõ temerè, aut frigidè enũtiata. Quare niſi quis mathematicarũ diſciplinarũ fuerit peritiſſimus, huic ſanè peruius non erit ad eum libellum aditus: ſed recedere cogetur prius quàm rem vel ſummis tenuerit labris. Sed potiſſimũ in Geometria, & Muſica ipſum exercitatum eſſe cõueniet, recteq́; elementorũ Euclidis libros calluiſſe, potiſſimũ verò decimumtertium, ac decimumquartum, in quibus de quinq; illis legitimis corporibus ediſſerit, pyramide, octaëdro, icoſaëdro, cubo; ac dodecaëdro: qui cum nõ poſſint citra decimi libri exactam notitiã, vel mediocriter intelligi, oportebit etiã & decimũ elementorũ librũ accuratè perluſtraſſe, quem doctorũ etiam virorũ iudicia nõ ſecus ob inſignem difficultatem expaueſcunt, quàm fuit Alexander apud Homerũ Menelai conſpectu perterritus, ὡς ὅτε τὶς δράκοντα ἰδὼν, veluti is, qui draconẽ aliquem cominus inſpexerit.

inſpexerit. Nam plurimos nos vidimus eorũ, qui nomen ſibi nõ vulgare ob mathematicarũ ſcientiarum cognitionẽ compararaſſent, quos vbi primũ ad decimi libri theorema aliquod relegarenus, nihil aliud habebant quid dicerẽt, quàm ingenuè fateri, neq; nomina etiã irrationalium linearũ ſe intelligere, nec ſe vidiſſe quenq̃ noſtris tẽporibus, qui eorũ quæ in eo libro ſcripta ſunt, vel leuem aliquam rationẽ reddere poſſet. Quare iam diu mirari deſij, quòd tam multi eorũ etiamnũ qui periti admodũ eſſe cenſentur, Ariſtotelis potius quàm Platonis dogmata inſectentur, cùm nõ poſſint, tametſi velint, enixeq; cõtẽdant vel apicem vnũ in Platone rectè intelligere citra mathematicarũ ſcientiarum exactam cognitionẽ, non illam ſanè vulgarem dico, quæ vt leuis eſt, ita & nõ admodũ emolumẽti affert, niſi quatenus prorſum ire ſine ipſa nõ liceret. Nos igitur vt iuuẽtuti prodeſſe poſſemus, in eorũ gratiam, qui rerum intimam veritatem inquirere cupiũt, iam ſumus abſoluturi libellũ de arithmetica tractatione, in quo nõ vulgaris illa ſupputãdi ratio, ſed ea etiã quæ irrationales lineas inuicẽ addere, ſubſtrahereq;, ac in ſe ducere, partiriq; docet, necnõ & ipſarũ quadratas radices extrahere, cuius generis ſingularum linearũ irrationaliũ quadrata radix eſſe debeat. Quinetiã illam ſupputãdi rationẽ ſumus executi quæ ab vno ignoto procedens per quadratũ, ac cubum, quadratiq; quadratũ ac alia id genus abſolutur, quæ ad occulta omnia inueſtiganda tantũ habere momenti deprǽhenditur, vt ſola ipſa id præſtare, quod diximus poſſit. Vocant autẽ hanc ſupputãdi rationẽ Algebriſticam Arabico nomine. His igitur ducibus poterit ſanè quiſq; per ſe nullo negotio, omnes Euclidis elementorum libros perluſtrare, ac ipſos nõ minus rectè ipſomet autore intelligere. Cùm ſingula quæ remorari in ipſis lectoris ingeniũ poſſent, in noſtro libro ſint accuratiſſimè enucleata. Hæc volui dicere, ne quis vulgi imperiti motus opinione, figmenta arbitretur quæcunq; ſuo marte aſſequi non poteſt. Sed iam redeundum nobis eſt, vnde digreſſi ſumus. Diximus ſanè maximam numerorum vim eſſe cenſendam, quoniam quæ natura priora ſunt, ea tum potiora, tum aliorum cauſa quodammodo ſunt exiſtimanda. Septenarium igitur numerum maxima quæque ingenia ſemper admirationi habuerunt, quoniam totus impar numerus ternarius eſt, totus verò par, quaternarius: ex quibus duobus tanquam ex mare fœminaque coẽuntibus conſurgit ſeptenarius, ideo & pro vniuerſo, ſummaque multitudine in ſacris literis deſumitur, veluti cùm dicitur, Septies cadet iuſtus, & reſurget. quod eſt, Quotieſcunque ceciderit, reſurget. Quin & illud Homeri huc facere non ab ratione videtur, quemadmodum Cælius, doctiſſimus ſanè vir, interpretatur, longè quidem aliter quàm Strabo: τρὶς μάκαρες Δαναοὶ καὶ τετράκις, quod & Vergilius ad verbum eſt mutuatus, ô terque quaterque beati. Tanquam ſummam quandam

Platonis dogmata non poſſunt citra exactam mathematicarũ ſcientiarum cognitionẽ rectè intelligi.

Septenarij numeri vires.


in perpetuumq; duraturam fœlicitatem denotaret, dum ternariū quaternariumq; numerū coniungēs ex his septenariū conficit. Hoc septenario numero Deum mirū in modum delectari sapiētes dicūt, indeq; argumentū aut potius indiciū desumpsere, quòd septē cœlo posuit vagantes stellas, quas planetas nominant. Quare conijciūt hominem nobilißimum animal sibiq; maximè simile ita moderatum fuisse Deum, vt concipi hac ratione posset, & perfici, & adolescere, & confirmari: id quod copiosè approbat in Platonis Timæum Chalcidius. Nam semen quod post viri eiaculationē, intra septem horarum spatiū non fuerit in effusionē relapsum, hæsisse in vitam pronūtiatur. Inde iam septima die folliculo quodam obseptum, in mulieris vulua semen apparet, septimo verò postea mēse absoluitur, absolutumq; in lucem effertur, septimo deinceps postquam fœtus in lucem editus est mense, dentire incipit: anno inde septimo immutare dentes compertū est, annorū verò hebdomada secunda pubescere, tertia in viros euadere, quæ & ipsa finē incremēti faciat in longitudinē, quēadmodum quarta incremēto in latitudinē finem imponit: quinta robur vehementer increscit, quod sexta cōseruat, septima deterit iam, ac proinde ab hac annorū serie, à militiæ laboribus esse feriatis licet. Quinetiā per dierū hebdomadas incremēti infantilis adolescendiq; corporis rationē aduertunt naturales philosophi. Quare cùm tot tantaque septenario absoluantur, æquum sanè Pythagoræi arbitrantur nō aliam ob causam quàm ob natiuam abditamque ipsius ad has actiones facultatē contingere, quòd nimirū ex mare fœminaq; primus coaugmētetur: ex ternario, inquā, & quaternario. Nam pares omnes numeros ipsi vocant fœminas, impares verò potius mares: neq; id citra maximam rationē astruxisse videntur, quod nos nō grauabimur obiter in hac parte adnotare. Pythagoras igitur parem numerum indigum, imperfectumq;, ac deficientē demonstrauit, imparem verò fœcūdum, perfectumq;, ac solidū esse. Ob quam sanè causam illū fœminam, hunc verò marem nō immeritò nominauit. Impar siquidē numerus, quòd robustior sit, atq; validior, pari numero inmixtus vim suam perpetuò seruat, quòd verò sit fœcundus conduplicatus parem numerū gignit, principijq; idcirco obiter rationē, diuisionis, alteritatisq; nescius, vnitate semper in eo redundante: par verò imparem numerū producit nunquam, neq; est vt ille indiuiduus, quo principij rationē subire posit. Hāc igitur Pythagoræorum præcipuā causam tradūt, ob quam septenarius numerus ad fœtus ab vtero egressum imprimis sit accōmodatißimus, post eum verò nouenarius, vt qui & ipse ex mari & fœmina non secus atq; septenarius constet, quinario inquam, & quaternario. Octonarius verò numerus omnino est infœcundus: quod ita ipse fœmina, imbecillisq; sit, vt nullā maris secū mixtionem admittat. Cæterū denarius numerus tametsi fœmina censeri debeat, tamen

Hominis incrementa quomodo procedant.

Qui numeri mares, qui fœminæ.

Denarij numeri excellentia.

tamen cùm sit numerorum omniũ perfectio, ac complementum, & perfectionis numeros in se omnes cõtineat solus ipse ex paribus ad id absoluendum munus erit accõmodatus. Nam quod inter alia denarij numeri excellentiam im primis declarat, illud sanè est, quod Aristoteles Auscultationis physicæ libro tertio scribit, omnes homines tam Barbaros, quàm Græcos priscam seruasse consuetudinẽ ad decem vsque numerandi, excepta tamen vna Thracum gente, quæ in quatuor vsq; numerandi seriem duntaxat protendit: quòd puerorum ritu nequeat meminisse, habeatque non multarum rerum cognitionem, aut vsum. At verò id quod perpetuò apud omnes nationes inualuit nõ leuem huius numeri potestatem ostendit, Quippe quòd fortuitũ censeri nõ debeat, verum ex naturæ fomitibus propagatum, quod semper fiat, atq; item vbique. Porrò & illud diligenter est animaduertendum, quòd contineat hic numerus cuncta numerandi genera, veluti par, impar, quadratum, cubum, longum, planum, primum compositum. Iam verò hic solus ex paribus omnibus mari fœminaque conflatur, item vnitate & binario: nam vnum, duo, tria, quatuor, denarium constituunt, quam ob rem ipsum Pythagoræi quadraturam vocabant primam. Hæc sunt, quæ ab ipsorum placitis (quantum breuitas tulit) haurire ad rem præsentem voluimus, quod quanquam Galeno nostro nõ satis placere haudquaquam ignoramus: voluimus tamen, ne quid in hac difficili admodũ tractatione desideraretur, quæ ab ipsis tradita de hac re sunt, silentio non prætermisisse. Continent enim persuasoriam, probabilemque rationem quanquam non vsquequaq; veram. Quin potius, si res diligenter, vt decet, expendatur, quæ postremò à nobis, tanquam veracior, certiorq; causa huius rei afferenda est, fortasse non aliunde quàm ex hac numerorum ratione eximiam illam robustamque habet facultatem, quòd singula certis numeris rationibusque adeò in vniuerso sint constituta, quorum indipisci scientiam difficile adeò est, vt nisi ab eo qui condidit haberi, haud possit. Quare non dissimulabimus interim quod ad huius Pythagoricæ sententiæ absolutionem, ab ipsius sectatoribus, ab hisque præsertim, qui Geuethdici sunt cognominati, inuentum est, quo possent sui præceptoris placita adiutum ire. Est autem ab Homeri scholiaste diligenter adnotatum ἰλιάδος. τ. ῥαψωδία, *vbi Iunonem Leucippes accelerasse partum scribit Homerus, vt prior Eurystheus prodiret in lucem, Hercules autem posterior, quo posset sub Eurysthei potestate Herculem coërcere. Id nanque ab Ioue tum primum impetrauerat, vt qui prior nasceretur aliorum latè dominari posset. Inquit igitur Homerus in hunc modum,* ἡ δ' ἐκύει φίλον υἱόν, ὁ δ' ἕβδομος ἑστήκει μείς· ἐκ δ' ἄγαγε πρὸ φόως δὲ καὶ ἠλιτόμηνον ἔοντα. *id est. Hæc peperit filium cùm mensis septimus esset. Septimo itaq; mense natum fuisse Eurystheum memorauit,*



qui sanè mensis ni fuisset fœtui propitius, paulò post de vita decessisset: sed fuit superstes, diuq; traxit vitam Eurystheus, quo fit vt ad fœtum in lucem edendum, hic mensis censendus sit accõmodatus. Vt igitur idipsum persuadere posset Scoliastes Pythagoreorũ rationẽ adduxit: quæ sic habet. Constituatur triangulum Scalenũ, hoc est, lineis inuicem inæqualibus omnibus conflatum. A. β. γ. sitq; latus A β vnitatum 5 latus verò β. γ. sit vnitatum 4. manifestum igitur primũ est latus A γ esse vnitatũ trium: neq; aliter contingere posse, quoniam angulus A γ β constituitur rectus, quare per penultimã primi elementorum Euclidis A β recto angulo subtensa tantũ potest, quantum reliqua duo latera rectũ angulum ambientia, atqui A β potest 25 quadratum ergo β γ quod est 16, si à 25 dematur, supersunt nouẽ, quæ quadrati A γ notant amplitudinem, siue spatium, eius autem radix quadrata est ternarius: quare euidentissimum est A γ esse vnitatum trium. At verò totius trianguli spatium, ita planè est habendum. ducantur inuicem latera duo rectum angulum ambientia A γ. γ β insurget duodenarius numerus: qui spatium totius parallelogrammi complet. Huius autẽ dimidium est triangulum constitutũ, quare idipsum erit vnitatũ sex. Volumus tamen id adnotare, ne quis perturbari possit scholiorum Homeri lectione, in quibus planè mendosum legitur. ταῦτα ὧδε τὸ ἥμισυ τοῦ ἐμβαδοῦ τοῦ τριγώνου ἤτοι τὸ. ς. i. hæc ducta in medium spatij trianguli. s. 6. At senarius non est dimidium spatij trianguli: sed tota amplitudo. In hunc igitur modum emendandus locus erit. ταῦτα ὧδε τὸ ἥμισυ τοῦ ἐμβαδοῦ τοῦ παραλληλογράμμου ὃ δὴ τρίγωνόν ἐστι. ς. i. hæc ducta in medium spatium parallelogrãmi, quod est triangulum, nempe 6. Hi igitur iam hunc in modum compingunt rationem, quinarius sanè, ternariusq; ambo sunt masculi: quandoquidẽ impares, quaternarius solus fœmina, quoniã par, ducantur itaq; quinque in quatuor prodibũt 20. ducatur quinarius in se insurgent. 25. hæc addita inuicem constituũt 45. hæc in spatium totius trianguli, nempe 6 dicta, constituunt 270. quæ spatiũ nouem mensium cõplent. Rursus ducatur 4 in 5. & fient 20. Præterea 3 in 5. & prodibunt 15. hæc inuicem addita producunt 35. quæ per spatium trianguli multiplicata 210 producunt, spatium nimirũ mensium septem. Iam verò ducatur quinarius in se, exsurgunt 25. item quaternarius in se, proueniunt 16. ternarius etiam in se proueniunt 9. hæc omnia inuicem mixta addantur, fietque 300. numerus qui mensium decem spatiũ complectitur. In his igitur omnibus quoniam videmus legitimam maris ac fœminæ mixturam, numerus semper prodit, fœcundus, atq; fœtui in lucem edendo peropportunus. Quod si eam non seruaremus quam diximus rationem, sed aliter paulò incrementa sensim fierent, non legitimus sed spurius potius, infaustusq; numerus prodiret. Quemadmodum

admodum si ita componas, ter quinq; 15. quinquies quinq; 25 addita conficiunt 40 per medium spatiũ ducta 240, qui numerus est octo mensium, minimè ad partum in lucem edendũ accommodatus: quoniam nunquam mares simul cum fœminis coiuerunt quo numerus hic tandem prodiret. Nam neque ternarius neque quinarius, fœminã aliquam quemadmodum in superioribus mixturis, admisit iniendam. Cæterum ne quis arbitretur temerè ab ipsis ineptéq; hæc esse conficta, quantũ recõditæ philosophiæ in his intus lateat significabo duntaxat: quoniam non possem tantam rerũ vastitatem breui oratione complecti, quare indicasse tantum eorum sentẽtiam sat fuerit, quam probatum iri arbitror ab his qui rem ipsam penitius cum aliqua animi attẽtione aduertere voluerint. Illudq; imprimis dignum esse consideratione censemus, quare insignes adeò viri rem tam seriã tractaturi triãgulo magis quàm alia mathematica figura suam fulcire demonstrationem voluerunt. Iam verò si triangulum admittamus quare scalenum potius, quàm æquilaterũ aut æquicrurum. Denique vbi iam latus alterum in se trianguli duxissent, quare productum numerum in trianguli ipsius amplitudinem multiplicabant. Hæc itaq; omnia recta quadã ratione ac methodo sunt ab eis animaduersa. Nam quoniam de hominis nobilissimi animalis conceptu ac generatione tractatio fuerat instituta, operæpretium fore ducebant, vt dum mathematicis demonstrationibus eius generationẽ ostendere conabãtur, ad id etiam generationis totius principia desumerentur. Sunt autẽ totius generationis primordia triangula, vt Plato in Timæo monstrabat. Cùm omnia huius mũdi corpora planis potissimum cõstent, planorũ verò elementa sint triangula, prima enim omniũ figurarum triangulum est, quoniam rectæ duæ lineæ nullam prorsus figuram constituant. Sed quoniã ad partionis tempus demonstrãdum hæc omnia instituebãtur, in quo vehemẽti quodã motu fœtũ agitatũ membranas ipsas abrũpere necessum est, leuemq; ipsum caloris ac spirituũ copia factum, cõfestim robore maximo egredi, iure optimo sunt arbitrati nulla magis partioni esse infesta quàm grauitatẽ, soliditatẽ, immobilitatemq;, quæ omnia cũ in terra præcipuè cernãtur quàm cubica constare figura Plato in Timæo demonstrat, nõ poterãt sanè quæ ipsa constituunt elemẽta, ad hanc rem quam parabãt, quoquam pacto congruere. Atqui cubi elementa æquicrura sunt triangula. Non ergo citra maximũ consilium æquicrurũ triangulũ ad demonstrationẽ haudquaquam admittebãt. Æquilaterum verò triangulũ in quo neq; angulus rectus, neq; linea aliqua ad perpendiculum acta est, minus componendis planis aptũ Plato existimabat, potius enim ipsum ex alijs tanq̃ elemẽtis, insurgit conflatũ, veluti ex scaleno in quo longius latus breuiore duplo maius est, quàm alia plana cõponere rectè posit. Quare neq; ipsum ad demõstrationẽ admitte-

bant: nam & Diadochus Proclus, nulli Platonicorum iurè ſecundus, in his quos in primum elementorum Euclidis edidit commentarijs, in hunc modum ſcribit, ἡ μὲν γὰρ ὀρθὴ γωνία, τὴν οὐσίαν αὐτοῖς παρέχεται, καὶ τὸ μέτρον ἀφορίζει τοῦ εἶναι. καὶ ὁ τοῦ ὀρθογωνίου τριγώνου λόγος, ὁ σιωποιός ἐστι τῶν γενητῶν στοιχείων. *Superera igitur ſcalenum triangulum duntaxat, quod elementa omnia leuitatem, acumen, mobilitatemq́; habentia ſolum componit: ignem nimirum, aëra, & aquam, dum eo pyramidalis, oĉtoëdra, dodecaëdraq́; figuræ abſoluũtur. Aëreum nanq; ſemen eſt, igneaq́; virtute compingitur: humore verò tanquã alimento augetur. Quare maxima cum ratione, vbi primum fœminã, maremq́; inuicem multiplicaſſent, aut marem numerum, aut fœminam in ſe ducebant, quæ deinceps omnia copulabant, quo ſignificarent, ſemina quidẽ in vtero primum inuicem maris ac fœminæ egregiè miſceri, poſtmodum verò quodnam eorum ſit validius elucere. Quod ſi maris ſemen ſit validius maſculus prodibit: ſi fœmineum verò euadat ſuperius, fœmina potius generabitur. Id igitur eſt poſt primam maris ac fœminæ egregiam permultiplicationem miſcellam, aut marem in ſe numerum aut fœminam ducere. Rurſus quoniam quod iam conformatum eſt, elementorum ſuperantium virtute abſoluitur, in lucemq́ue editur, ideo quod ex ipſis numerorum multiplicationibus prodierat, per trianguli ſpacium iterũ ducebant, quoniam igneam, aëramque, ac aqueam vim in ipſo ſemine ita inter ſe cõpoſitas debere eſſe cognoſcerent, vti dictum antea à nobis eſt, quo fœtus ſuperſtes in lucem exiret. Hæc ſanè non dubito, quin plurimis videantur eſſe cõmentitia, ac meræ nugæ, neq; ea nos in totũ probamus, ſed admiramur potius. Quanquam nobis id non potuimus vnquam in animũ inducere vt crederemus, viros omni ſcientiarũ genere imbutos, quorum nunq̃ ſatis poſſemus ingenia reuereri, citra maximam rationem tanta numeris tribuiſſe: potiſſimum quum ex ſacris literis habeamus quanti numerorum ratio ſit æſtimanda. Sed iam ad aliam philoſophorum de hac re ſentẽtiam nos cõferamus, quam Aſtronimi omnes tanquã veram ſunt libẽter admodũ amplexati: Proclus etiam inter Platonicos præcipuus, quem honoris cauſa ſemper nomino. Hi igitur inferiorem hanc mundi plagam ſuperiorum corporũ influxibus iugiter immutari aſtruũt, eſſeq́; ſuperioribus corporibus perpetuò ſubiectam, quæ eſt philoſophorum omniũ ſententia. Ita ſanè hominẽ à primo cõceptionis die horum corporum viciſſitudines apertè ſentire non dubitant, ſed potiorum illorum ſyderum influxus præcipuè, quos planetas ab errabunda motione appellant: non confertim promiſcue'ue, ſed ordine quodam ac ſerie maximè decenti. Primum nanq; Saturnum aiunt, confeſtim vbi in vuluam iniectum eſt ſemen excipere, vtpote qui, alijs omnibus planetis ſit ſuperior, quare & ſua frigida ac ſicca facultate confirmatum coagulatumq́; ſemen minus in*

Aſtrologorũ de partus ratione ſententia.

nus in effluxionem relabetur: Ea enim in primis re opus erat semini, fluido alioqui ac fusili, vt arctè in vulua contineretur, pertinaciterq; compactū hæreret. Non potuit igitur ab alio idipsum cōmodius quàm à Saturno nancisci. Ast vbi Saturnus primo peracto mense iam vniuersum suū munus absoluit, quoniam semen virile vehemēti syderis frigiditate ac siccitate nō potuit egregiè cum muliebri semine subigi, ac permisceri, cùm tantum stabilitatem, ac ad motum torporem ab eo fuerit adeptum, accedit secundo mense Iouis viuifica facultas, suum calorem, atq; humorem impartiens semini, ne diutius quiescēs torpesceret, aut vehementer resiccatum emarcesceret. Post Iouem Mars fœtum libenter excipit, sua calida ac sicca facultate quicquid humoris plus iusto à Ioue adeptus est, resiccans: ad motionē solida membra confirmat: quæ nimia humiditate antea flaccescebant. Atq; ita videmus tertio mense iam se in vtero fœtum motitare. Præterea quarto mense Sol fœtum amplexatur, suaque fœcunda virtute singula membra absoluit, spiritaliq; humore vniuersum corpus respergit, vt meatuum singulorum inde amplitudo oriatur. Succedit iam post Solem Venus, & ipsa non secus multis in fœtum benefica modis, nam cùm auctior quinto mense factus, nimio calore flagraret, eius frigida facultate attemperatur, multoq; redditur ab ipsa formosior. Mercurius verò sexto mense ad vmbilicum perducit quæcunq; ad fœtus conformationē pertinebant, ipsumq; ad motionem reddit maximè firmum. Quoniam natura cognouit, septimis mensibus gestientem puerum, interdum cum motu tunicas abrumpere: quare quo robustius esset, si septimo mense de vulua decederet, Mercurium sexto mense accedere voluit. At verò septimo mense ad Lunam circuitus peruenit, tanquam circularis quidam magistratus, quæ cùm benigna admodum sit, benè mereri de fœtu haud cessat: sed ipsi natiuum plurimum tribuit humorē, vuluamq; (qua abscōditus est) nimio humore relaxat, ac distendit, quo facilius si exitum affectarit, in lucem edi possit, omnibus iam numeris vndiquaq; absolutus. Propterea & hoc mense fœtus plurimi vitales edūtur, quòd Luna fœtui semper sit quantū potest propitia. Quod si eo mense fœtus exire non potuerit, sed tantum concussionem in vulua sit molitus, ac plurimum in egressum colluctari cœperit, atq; ad octauū peruenerit mensem, accedit rursus implacidus Saturnus, senili ac tetrico aspectu, qui bonis omnibus fœtum spoliat, ad motumq; iterum reddit ineptum. Quin etiam matrem haud hilari vultu admittit, sed ipsi etiā plurimas impartitur ærumnas. Nam vuluæ osculū sua siccitate constringit: quod & mulieres ipsæ frequenter persentiscunt, quæ nullum mensem magis traducunt octauo laboriosum. Quare si fœtus eo mense se promat in lucem, confestim emoritur, aut sanè si viuat laboris plenam degit vitam. Non potest enim partus eo mense cōtingere quin

extrinseca aliqua vehementi occasione id fiat. Si igitur eum fœtus effugiat mensem, rursus hilari facie nono Iuppiter accedit, qui protinus Saturni singula depellit maleficia. Quin & decimo mense, cùm Iouem sequens planeta nihil cum nostra vita colluctetur, sed planè sit beneficus, suo calore vitam conseruans; vsu euenit multoties vt editus eo mense partus longius vitam seruare possit. Hæc sunt, quæ Astrologi de partus ratione tradiderunt, qui non solum tantisper dum in vtero gestatur fœtus planetarum sentire influxus, sed etiam cùm iam ex vulua eductus est, ætatũ seriem, ac ordinem sequi penitus ordinem vniuersi volunt; nõ simili tamen, sed dispari quodammodo ratione. Nam quæ vires suas postrema in partu exerit Luna, eadem iam natũ infantem nõ prius dimittit quàm primã omnino traduxerit ætatẽ: quæ omniũ maximè vegetatricis, ac nutritoriæ facultatis indicia offert, cuius Luna censetur esse magistra, plurimã rebus omnibus contribuens humiditatẽ. Secundam pueri nati ætatẽ moderatur Mercurius, quo fit vt eo tẽpore literarũ, cytharæque, ac musicæ modulationis nobis studium ingeneretur, & supputandi studium ardentius eo tẽpore sæuiat: inconstans tamẽ, vagaq; penitus ea ætas est: quale & Mercurij sydus, etiã perhibetur. Postmodum verò ordine planè contrario aliarũ ætatũ planetæ alij curam suscipiũt, quousq; ad senectam sit peruentum, quam omnem Saturnus morosus comitatur, immitisque nimis: qui & frigiditatẽ plurimam ac siccitatem corporibus ingerat, donec natiuam omnem caliditatem ac humiditatẽ absumpserit. Sed priusquam ab his discedamus, dignum animaduersione censemus, quòd inter doctos plurimi, elisa penitus astronomica ratione, aliud quod sequantur magis, excogitarũt. Arrepta partim ex astronomicis, partim ex experientia occasione: quam ob rem octauo mense partus nõ sit vitalis maxima ex parte hanc tradunt rationem: quam & Hipp. lib. de septimestri partu attulisse videtur. Siquidẽ fœtũ sæpe mense septimo egressum affectare (aiunt) ab vteri cõceptaculis, ac in id colluctari plurimũ, verũ conatu excidere, atq; interim fatigatũ effici imbecillius: Quòd si necdum refectis viribus, octauo rursum eundem petat conatum, oblæsum frequentius intermori: cùm duas continuas affectiones difficilè admodum perferre possit. Quin & vtero gerentes duplici etiam affectione vexatas, & à fœtu prodeunte, & propria affectione, insigniter imbecillitate vrgeri. Cæterũ quoniam postremã omniũ Galeni, Hipp. q; sententiam sumus tandem, tanq̃ veraciorem, enarraturi, principio ex ipsorũ libris placita lectorẽ latere non debẽt; ex quibus, quæ mox afferẽtur, tanquam à corpore vmbra pendere videbũtur. Partus ergo (vt his viris placuit, ac reliquorum etiam medicorũ multitudini) actio quædã est naturæ, qua se euacuationis instar exonerat, sed ea ipsa partim ad fœtum, partim verò ad vterũ, seu vuluam refertur.

Hippo. ac Galeni sententia de ratione partus

Ad fœtum

At fœtum quidem, quoniam ille auctior, vegetiorq́; factus, nō satis idoneam alimenti copiā à matre possit haurire, quare se præfame ac inedia motitans, nimio conatu ambientia conceptacula abrumpit, ac se præcipitē dat: quò foras egressus non diutius in vuluæ angustiā opprimatur, potissimum cùm neq; satis ambientis aëris idoneam copiam, ad vehementem caliditatem cordis refrigerandam, possit in vulua occlusus attrahere. At verò vterus grauitate, moleq́; iam adaucti fœtus offensus, atq; retrimentorū etiam multitudine turgida distentione tumescens, suo nutu foras exire fœtum cogit: ipsum frequenter extimulans. Cùm ergo hæc accidunt non secus quàm in morbis, crisis, iudiciumq́; contingit: quod die aliquo, aut mense, aut anno iudicatorio contingere necessum est, si tamē frugi esse mutatio debeat. Nam & Hippocrates ipse in libro quem de septimestri partu edidit, in hunc modum scriptum reliquit. Ταῖς δὲ γυναιξὶν αἱ συλλήψιες τῶν ἐμβρύων, καὶ αἱ φθορμοί τε καὶ οἱ τόκοι ἐν τοῖσιν αὐτοῖσι χρόνοισι κρίνονται, ἐν ὧπερ αἵ τε νοῦσοι, καὶ αἱ ὑγιείαι, καὶ οἱ θάνατοι, τοῖς σύμπασιν ἀνθρώποισιν. ταῦτα δὲ πάντα τὰ μὲν κατὰ ἡμέρας, τὰ δὲ κατὰ μῆνα ἀποσημαίνει, τὰ δὲ κατὰ τεσσαρακοντάδας ἡμερῶν, τὰ δὲ κατ' ἐνιαυτόν. *id est. Mulieribus autē fœtum conceptus, & abortus, & partus, eodem tempore iudicantur, quo & morbi, & sanitas, & mors singulis hominibus. Hæc autem omnia partim diebus, partim mensibus, partim dierum quadragenarijs, partim annuo spatio, contingunt. Qua in parte luculenter edocuit, non omnes iudicationes dierum circuitibus fieri, sed interim menstruis, aut annuis potius: quod & Galenus non semel, sed iterum atque iterum in libris de diebus iudicatorijs repetiuit, & Hippocrates etiam quinta huius libri sectione iterum scribet: in quem locum nos Galeni idipsum ostendentia loca relegamus. Quare cùm dierū circuitus Lunæ motum potissimū sequi in libris de diebus iudicatorijs tradidisset, quòd morbi nimirū, qui per dies iudicantur, motum inter alios videantur habere citissimum; huiusmodi autē & Lunæ ipsius motus sit: cumq; ipsa suam omnem vim à superioribus astris, à Soleq; potissimū incipiscatur, cuius nos per se influxum facultatemq; experimur: meritò sanè qui lento quodam modo incedunt morbi, ad ipsum veluti magistrum respicient, nō minimam etiam ex lunæ facultate vicissitudinem sentientes. Id nanq; est, quod Hippo. libro de natura humana scripsit. Cùm igitur hæc in hunc modum se habeant, par sanè est, morbos qui hyeme increscunt, æstate aboleri, & econtrario etiā qui æstate augentur hyeme finiri: nisi intra dictum circuitum discedant: circuitū autem dictum aliàs exponam. Vernorum morborum in autumnū expectanda liberatio est, autumnalium rursus veris tempore. Hæc verò quisquis præscripta tēpora superauerit morbus, hunc fore annuum scito. Hæc sanè Hippocrates: quoniam autem Galeni in eum locum commentatio non parum ad*

Morbi nō solū dierū circuitu iudicantur: sed mensiū, & annorum.

præsentem

præsentē rem facere videtur, quo melius nostram possimus sententiam confirmare adijcienda etiam & ipsa est. Habet autē hunc in modum. Vult Hippo. morbos diuturnos, & qui non per dierũ circuitus absoluuntur, sed mensiũ potius, eo discuti anni tempore quod illius, quo hominem inuaserunt cōtrarium est, hoc est, septimo mense. Quibus sanè eo tempore non solutis, annũ fore morbum dicit. Atqui hæc dictio annus, eum potest denotare, qui ab anno primi sui ortus discedit, potest & eum qui septenum annorum ambitũ amplectitur, vt qui septenũ mensiũ. Siquidem in aphorismis ita scriptum ab eo est: Plurima vitia pueris iudicantur, hæc quaternis denis diebus, illa septenis mēsibus, alia septenis annis, nonnulla ad pubem vsque durant. Hactenus Galen. Nos autem cùm inde annus partus iudicationē non circuitu dierũ absolui, sed mensium potius. (quoniam post quadragesimum diem dierum septenarijs imbecilla ad iudicandum vis, aut nulla prorsus esse ex Galeni sententia censetur. Imò quod magis mireris ne post vigesimum quidem) demonstrare sedulò conabimur, non secus ex solis facultate huiuscemodi iudicia contingere, quàm quæ in acutis morbis ob lunæ facultatem perfici experimur: Neque aliter sanè vniuersum annum accessu ac recessu solis immutari, quàm mensem à luna. Imprimis igitur videamus quænam astrologi de lunæ per mensium spatium mutatione, tradiderint, quænam etiam nos in animalium corporibus ab ipsa fieri luculenter cernamus. Duæ imprimis insignes mutationes lunæ singulis mensibus, quatenus à sole aut superiore aut inferiore facie illustratur, contingunt. Quarũ altera in ipsis cum sole congressu, altera verò cùm ex diametro ab ea distat, est conspicua. Prima sanè ipsius mutatio nihil prorsus luminis in hæc inferiora eiaculatur: quandiu scilicet à solis rutilanti fulgore absorpta delitescit. Vocatur autem hic Lunæ affectus σύνοδος, id est, congressus, coitus'ue, atque interim νουμηνία Nouilunium, durat ferè trium dierum spatio. Iam inde quarta die, veluti ex coitu Solis egressa, liberam faciem suffusa pudore non audet ostentare, sed falcatam potius ostendit effigiem, quo tempore Græcis μηνοειδὴς nuncupatur. Deinde iam ad septimum vsque sensim sumit incrementum, quæ cùm medium tunc iter confecerit, à nouilunio ad plenilunium vsque, scilicet, circuli totius quadrantem, non immeritò dimidiatam faciem nobis illustratam ostendit; atque idcirco διχότομος, aut ἡμίτομος nominatur. Rursus vndecima ferè die, tota propemodum est illustrata, portione tantum exili remanente, quare vtrinque gibbero videtur deformata, ex quo & nomen etiam affectioni haudquaquam dissimile inuenit: cùm ἀμφίκυρτος, id est, vtrinque curua appelletur. Tandem decimo quarto die, ad quem terminum duæ septimanæ perueniunt, modis omnibus vndique absolutum concipit splendorem, remittitque vicissim,

Lunæ facies seu apparitiones quænam sint.

liberali

liberali se nobis facie ostēdens, totum iam prætergressa semicirculi spatium, quo tempore πανσέληνος à Græcis nominatur, in hunc igitur modum se habent lunæ à cōgressu ad pleniluniū vicissitudines, quas Græci propio nomine φάσιας, id est, apparitiones nominant. Cunq; semper hoc tēpore luminis incrementum faciat, sensimque ipsa augescere videatur, perinde etiam & cuncta huius inferioris partis humoris, ac substantiæ habēt incremēta, quod in quibusdam liquidò nos possumus intueri, veluti in animaliū cerebellis, & ossium medullis. At verò rursus vbi post pleniluniū, rutilantemq; illum splendorem, ad solis cōgressum properat, totidē planè φάσιας, id est, apparitiones, aut facies, ostendit: vt quarta primū sequente die ἀμφίκυρτος sit, qualis & vndecima die extiterat: rursusq; tertio septenario διχότομος, iampostea μηνοειδὴς sensimque decrescat quousq; cum sole denuò congrediatur. Vocatur igitur ea mensis parte φθίνουσα, id est, decrescens: cuius sanè abeunte lumine, pariter & inferiorum corporū humores exarescunt, incrementaq; non perinde vt antea manifestà cōtingunt. Iam igitur in morbis acutis insignem lunæ vim quotidie experimur, nam quarto, septimo, vndecimo, ac decimoquarto, valentissima contingunt iudicia: quoniam is si terminus acutorum morborum, vt Hippocr. docuit. Id ipsum etiam & in annuo spatio cōtingere videmus, in quo insignes quatuor potissimū cernimus mutationes: hyemis, veris, æstatis & autumni, proportione sanè respondentes, his quæ in acutis morbis per quaternarios septenariosq; dierū, cōtingunt. Nam quod ab hyeme adusque æstatē positum ist interuallū, quartis denisq; diebus proportione respōdet: cùm & ipsum sit septenum mēsium, vt in citata Galeni cōmentatione est apertè significatum. Vult enim (dicebat) Hippo: diuturnos morbos, & qui non per dierum circuitus iudicantur, sed mensium potius, eo discuti anni tempore, quod illius, quo hominem inuaserunt cōtrarium est, hoc est septimo mense. At verò Hippocr. hyeme factos, iri æstate abolitū dicebat, quod spatiū dimidij anni planè est. Quare in dimidio anno septem voluit Galenus mēses contineri, quod qui fieri possit, nos inferius luculenter ostendemus. Porrò autē perinde vt gemino septenum dierum circuitu quādo luna à cōgressu ad plenilunium tendit, circuli totius demidium absoluit, ita planè & sol ab hyemali ad æstiuum tempus perueniens, dimidium circuli totius peragrauit: vtque septenario circuitu dūtaxat quadrantem, ita & hyemali, aut æstiuo tempore. Hincq; liquido constat, non secus earum quæ mensibus iudicantur affectionum, anni colluctantia inuicem tempora, esse decretoria, quàm acutorum morborū dies decimus quartus. Cæterum quanquam in his qui citam adepturi sunt iudicationem, morbis, maximam vim habēt primi iudicatorij dies, tametsi diuturnior quodāmodo affectio futura sit, quanto longius à primis diebus absunt iudicatorij dies,

Colluctantia anni tempora sunt decretoria.

dies, tantò etiam languescunt magis, ac hebetantur. Id arbitror exemplo erit manifestum: quoniam ad ea quæ mox dicenda sunt, non parū conducit. Quibus septima die iudicandus morbus est (inquit Hippo.) his nubeculam habet quarta dies in vrina rubicundam, & alia iuxta rationem. Si igitur quarta die nubecula hæc in lotio inueniatur, certam fore septima die iudicationē morbi tibi persuadeto. Quoniam quartā diem septimæ diei esse indicatoriā Hipp. ostēdit. Quod si non quarta die sed vndecima potius hæc à te videatur, nunquid decima quarta die discessurum morbum arbitrabere? Quanquā hic non secus decimi quarti sit index? Haudquaquam planè, longè enim aliter res in primis, quàm in vltimis diebus se habet: quandoquidem naturā vt indiciū victoriæ nobis possit ostentare aliquādiu laborasse est operæpretium, quā item in absoluenda humoris concoctione tantundem temporis, si non amplius laboraturam, est verisimile. Si igitur tribus, quatuor've diebus dūtaxat opus habet, quo coctionis indicia ostētaret, non'ne iure optimo totidem diebus ipsam opus inceptum absoluturam credere possis? At verò si vndecim diebus ad ea indicia coctionis promenda eguerit, quid mirū si nō possit, quod restat, tribus aut quatuor diebus absoluere. Ita sanè accidit, vt post vigesimum diem nihil prorsus aut planè exile indicium sit, quod futuræ indicationis indices dies ostēdunt, cùm penitus iam eorum facultas sit hebetata. In his igitur morbis, qui adeò diuturni longæuiq; sunt, vt non amplius dierū, sed mensium duntaxat circuitu discedant, nullam prorsus esse indicis aut mensis, aut diei, facultatem arbitramur, qui in totius circuli sextante absoluto sunt siti. Quin neq; decretoriorum aut dierum, aut mensium maximā esse rationem, eorū (inquā) qui in quadrante circuli consistunt. Cùm neque post vigesimum, nisi planè leuis septenarij ipsius sit ratio. Atque idcirco non dixit Hippo. morbos hyeme genitos, vere dissolui, sed æstate potius, neque autumno ortos hyeme dissolui, sed in ver ipsum potius protendi. Quo fit vt cùm partus ex his & ipse sit, qui menstruo circuitu, absoluūtur: nullā possit tertio mēse insignem indipisci mutationem, qua fœtus in lucem prodire cogatur, idque non quòd trimestris fœtus absolutionē nondum habeat, aut firmitudinem, sed quòd mensis ad id faciendum nō sit cōparatus, cùm planè sit illegitimus. Potest nanque duntaxat septimo mense primum in lucem prodire, quoniam eo tempore sol dimidiū circuli totius spatium peragrauit, septemq; mensium spatium tum primum computetur. Atque ob hanc quidem causam Hippo. libello de septimestri partu in initio statim in hunc modum scripsit: οἱ δὲ ἑπτάμηνοι γίνονται, ἐκ τῶν ἑκατὸν ἡμερέων καὶ ὀγδοήκοντα, καὶ δύο, καὶ προσόντος μορίου. *id est, septimestres nascuntur, centum octaginta & duobus diebus, & ad hæc etiā portione diei aliqua. Qua in parte apertè ostendit, septimestrem partum anni totius dimidio spatio absolui,*

Non est maxima vis in morbis diutinis iudicatoriorum dierū, aut mensium ratio.

absolui, nullasq; mulieres ante hoc spatium deposuisse vterum Galenus confirmat, plurimas verò post ipsum tempus. Est autem centesimus octogesimus secundus cum diei portione aliqua, medij anni spatium integrum, cùm vniuersum annum trecentū sexaginta quinq; dies cum quadrante absoluant. Quare diei illam portionem quindecim esse horarum censemus. Cæterū vt hæc possint & à nobis cōmodius pertractari, & à lectoribus quàm optimè intelligi, huius rei nos fieri certiores oportet, nō esse solares menses ad id negotium accommodandos, sed lunares potius, cùm antiqui olim iuxta motus lunæ potissimum rationem mensem conficerent, atq; ipsum de lunæ nomine μῆνα nominarent, quoniam & Lunam μήνην ipsi vocant: Sed & Hebræi etiam, à quibus fortasse Palestinis omnibus hic mos annum ex lunaribus mensibus conficiendi relictus fuit, mensem ipsum eadem nomenclatura, qua & lunam insigniebant, vt nō facilè intelligas in sacris literis vbinam luna, aut vbi mensis sit legendum, vtraq; enim iareah nominant. Quòd autē res hæc ita vt dicimus habeat, ostendit Hippo. in libro etiam de septimestri partu, in hunc modum scribens, Sexaginta enim diebus vno dempto quàm proximè duo menses constāt, Græcè autē ita. ἢν γὰρ ἑξήκοντα μιῆς δεούσης ἡμέρης δύο μῆνες ἐκτελοῦνται. quod si duo menses sexagenariū dierum numerum non absoluant, haud dubiè mensis præterquam viginti nouem diebus cum portione aliqua, pluribus non constabit. At menses solares comperiuntur interim non triginta tantum, sed triginta duorum dierum constari. Quare mensis ab Hippocrate diffinitus is sanè erit quem Ciuilem nominant: ex lunaribus nempe maximus. Nam multiplices hi lunares menses statuūtur: quemadmodū & tertio de decretorijs diebus Galenus adnotauit. Est autem ciuilis mensis nuncupatus, spatiū dierum quod inter vnum, & alterum lunæ cum sole congressum medium est: completurq; id spatiū dies viginti nouem, ac horas propemodū tredecim, tot enim dies sunt intermedij. Atq; proinde duo huiuscemodi menses copulati. 59. dies ac duas horas propemodum, conficiunt: idq; proculdubiò est, quod Hippo. dicebat in citata oratione, quàm proximè. Quid multa? Galenus nanq; in libro de septimestri partu in hunc modum scripsit: Quatuor autē & viginti horarum interuallū diem appello, ita enim & annū trecentis & sexaginta quinq; diebus cum quadrante constare dicunt, & menstruum tempus viginti nouem cum dimidio. Nam mensem nominari spatiū quod ab vno lunæ coitu cum sole vsq; ad alterum intercedit, nemo est qui nesciat. Huic autem dierum numero adijci etiam quandam particulam, quæ sit totius diei quingentesima septuagesima sexta, demonstrauit Hipparchus: quæ tamē adeò parua est, vt de ea considerare superuacaneum ad præsens propositum esse videatur. Hactenus Galenus, vnica satis cōpendiosa oratione scrupū omnem abijcit, caliginemq; omnem

Mensis Ciuilis qui dicatur.

omnem deterget. Si igitur talem qualem diximus, modo mensem 29 dierum cum dimidio intelligas, videbis sanè in centum octuaginta duobus diebus & quindecim horis, plures quàm sex menses comprahendi, relinquique plures quinq; diebus iam septimi mensis. At verò si rem vt Hippo. tradit, ipse accipias, plures superesse quàm viginti dies. Cùm enim iam dixisset septimestres fœtus in lucem edi centū octoginta diebus, & portione diei aliqua, rem omnē ita ad verbū interpretatus est. Si enim primi mensis (inquit) quindecim dies computaueris, quinq; verò sequentium centū quadraginta septem cum dimidio: sexaginta enim diebus vno dempto, quàm proximè duo menses constant. Si igitur ita hæc se habeant in septimum mensem plures quàm viginti dies supersunt ad dimidium anni quadam diei particulà parti accedente. Vult igitur Hippo. in hac parte quod si supra dimidium lunaris mensis vterum gestauerit mulier, & ipsum etiā huius mensis tempus, debere numerari, tanquam vnicus sit mensis absolutus, atqui idcirco quinq; duntaxat esse integros menses, primū verò ac vltimum nequaq̄ integros esse debere, sed posse quidem esse deficientes: qui tamen nō ita deficiant, vt amplior eis quàm dimidia pars desit, dimidium autē mensis dierum est quatuordecim cum dimidio, & quarta insuper diei parte: quo sanè numero priorem postremumq; mensem necesse est euadere maiorem. Cæterū nō id duntaxat in mensium supputatione animaduertisse oportet: sed tanto quidem dimidio mense, tum primus, tum postremus maiores esse debēt, vt si inuicē dicti illi numeri addantur, cū prædicto quinq; mensium spatio, quod est 147 dierum cum dimidio, spatium semiannū conficiant 182 dierum cum dimidio & besse: quoniam in eo primum dierū interuallo, septimestris fœtus vitalis in lucem edi potest. Nam alioqui quantum etiam ad Græcanicam mensium supputationē, in minori dimidio anno, spatio fœtus in lucem prodire posset: quod hac ratione, si animum aduertas, persuasum habebis. Fingamus sexdecim diebus primi mensis vterum gestasse mulierem: addamusq; quinque mensium præscriptum ab Hippo. interuallum 147 dierum cum dimidio, insurget numerus 163 dierū, post quem si mulier fœtum edat in alijs 16 diebus, erunt sanè dies omnes, in vnum simul numerū coalescentes 179 cum dimidio, quos nō attingere spatiū dimidij anni, planè nosti. Hunc igitur Hippocrates fœtum haudquaquam esse vitalem voluit. Quando tametsi primi, ac postremi mensis spatium mense vno euadat superius, non tamen quantum ad medietatem anni explendam opus erat. Atque idcirco si primi mensis tempus post conceptum viginti dies excesserit, sitq; exempli gratia viginti dierum & bessis, sequentes verò quinq; 147 dierum cum dimidio addaturq; inuicem, exurget numerus 167 cum dimidio & besse. Post quem peractis quindecim, ad minimum, diebus septimestris fœtus vitalis in lucem

edi pote

edi poterit: Sicut igitur neque citius præſcripto hoc termino: ſic neque tardius 204 diebus naſci, qui ita conceptus fœtus eſt, poteſt. Ita enim dies duntaxat vnus cum dimidio deeſſent, ne fœtus in octauũ menſem incideret: atq; idcirco fieri nõ poterat quin iam ſextum quadragenariũ attigerit, in quo vim ad iudicandum maximã in pueris eſſe cenſet Galenus, dum adhuc in vtero geſtãtur, & primũ cùm ſunt in lucem editi. Atqui nõ eſt veriſimile validum fœtus, ac matris robur, ad eum vſq; diem partionis tẽpus diſtuliſſe: ſed vt rem facilius aſſequaris, aures arrigito. Agedum habeat primus, poſtremusque menſis, q̃ longiſſimũ interuallum, ſcilicet dierum 29, ſi ergo hic numerus cum 147 & dimidio iungatur, euadet dierũ numerus 206 cum dimidio: hunc fœtũ haudquaquam eſſe vitalem voluit Hipp. Quoniam ſi ſumas differentiam horũ numerorum 182 & quindecim horarũ, & 204, cõperies certè eam eſſe viginti & vnius dierum, & nouẽ horarum. Quòd ſi igitur poſtremus menſis in anni dimidio fuerit 20 dierum, & beſsis, atq; ex numero qui diſcrimen notat, ad ipſius complementum dies quotquot par eſt deſumantur, relinquẽtur integri duodecim dies: quos ſi priori menſi addideris, inſurget numerus 17 dierũ, à quo ad menſis totius abſolutionẽ duo tantũ dies cũ dimidio deſiderantur, tam proximũ itaq; octauo menſi diem nequaq̃ vitalem Hipp. eſt arbitratus, cùm nunq̃ eouſq; prorogetur fœtus emiſsio, quin ſummã quandam & ipſius et matris ſignificet imbecillitatẽ. Hæc igitur à nobis ſatis apertè tradita eſſe putamus, reſtat tamẽ in hac Hipp. oratione declarandum, quidnam illud ſit quod dixit: in ſeptimũ menſem plures quàm 20 dies ſuperſunt ad dimidium anni, quadã diei parte parti accedente. Nam cùm anni dimidiũ 182 dierũ ſit, cum dimidio & beſſe, ſuperſunt autẽ (vt ipſe dicebat) ad ſeptimũ menſem plus q̃ viginti dies, dimidium autẽ diei exhauſtũ fuerat in quinq; menſiũ ſpatio: relinquitur igitur portiũculam illã triũ horarũ, quæ beſſem cõſtituit, quæ in dimidio anno portioni diei. 1. medietati fuerat adiũcta, ſupereſſe. Id itaq; erit quadã diei parte parti accedẽte, quod eſt, viginti cũ quadam portiũcula, quæ portioni diei alteri in dimidio anno adiecta fuerat. Cæterũ quoniam ſuperius neſcio quid de quadragenarijs dierũ ſcripſimus, per quos etiam iudicia vtero gerentibus contingunt, cùm in his poſt vigeſimum maxima ſit ad morbos iudicandos vis, adnotandũ diligenter id erit: Hippocratẽ (vt facilè ex lib. de ſeptimeſtri & octimeſtri partu intelligi poteſt) hanc fœtus in lucem edendi iuſſe rationẽ, vt dierũ quadragenarijs ad abſoluendum, in lucemq; edendum fœtũ, imprimis eſſet tribuenda facultas, poſtmodum verò menſibus. Atque ita rem ipſam acerrimè compoſuit, aptauitque, vt ſeptimeſtris partus quinq; dierum quadragenarijs naſceretur, octimeſtris verò ſex, nouimeſtris verò ac decimeſtris ſeptem, ac etiam vndecimeſtris. At verò duodecimeſtres, ſi tamen vllo

edi possunt pacto, octo quadragenarijs dierum educi. Atque propterea septimestrem primū esse vitalem, octimestrem verò haudquaquam, nouimestrem verò etiam vitalem esse: cæterum decimestrem imprimis, quoniam hic maximè à sexti quadragenarij laboribus plurimum abesse videatur, nouimestris verò, quòd maximè his laboribus proximè accedat, editur quidem ad vitam, sed inter omnes maximè imbecillus, ac tenuis, nō autem vt septimestris carnosus: quoniam tempus quo in vtero gestabatur sine morbis transegerit. Iam igitur (vt arbitror) facilè notum euadet, extremum terminum septimestris fœtus 204. esse dierum, quoniam quinque dierū quadragenarij 200 conficiunt dies, iam ergo qui 204 die natus est, quatuor dies sexti quadragenarij attigit, quare laborum prorsus expers esse nō potest, neq; robustus perinde gigni potest, atq; is qui 182 & dimidio cum besse diebus est editus. Nam quadragenarius sextus pro conceptionis ratione, aut magis, aut minus, tum septimi, tum noni mensis complectitur, integrumq; ipsum octauū. Quo fit, vt qui octauo mense natus fuerit nulla prorsus ratione vitam longius ducere possit: qui autem septimo morbosus magis sit, quatenus propius ad septimi mensis exitum accessit, nono verò mense in initio nasci admodū imbecillum, ad exitum verò mensis multò robustiorem. Quod & Hippocrates libro de septimestri partu dixit in hunc modum: ὅσα δ' αὖ ἀῤῥωστήσῃ ἐν τῇ μήτρῃ, ὅταν τὸν ἔνατον μῆνα ἔλθῃ, καὶ ἐν τούτῳ τῷ μηνὶ γένηται, περιγίνεται μὲν οὐκ ἔλασσον ἢ ἑπτάμηνα. ὀλίγα δὲ καὶ τούτων ἐκτρέφεται. οὔτε γὰρ τὴν παχύτητα ἴσχει ἥνπερ τὰ τελεώτατα, οὔτε πόνοι δὴ ἐν τῇ μήτρῃ, οὐ πάλαι πεπονημένοι εἰσὶν αὐτοῖς, ὥστε λεπτὸν γενέσθαι. ὅσα δ' αὖ μάλιστα, ἢ τοῦ ἐνάτου μηνὸς γένοιτο ἐν ἐξόδῳ. ἰσχυρότερον δ' ἂν γένοιτο, καὶ πλεῖστον ἀπέχον τῶν νόσων, τῶν τοῖς ὀκταμήνοις γινομένων. καὶ γὰρ τὰ ἐν ἑπτὰ τεσσαρακοντάσι τικτόμενα, τὰ δεκάμηνα καλεόμενα, διὰ ταῦτα μάλιστα ἐκτρέφεται, ὅτι ἰσχυρότερα ἐστὶ καὶ πλεῖστον ἀπέχει τῶν γνωρίμων παιδίων τοῦ χρόνου ἐν ᾧ ἐκκομίσθησε τὰς τεσσαράκοντα ἡμέρας τὰς νοσουμένας περὶ τὸν μῆνα τὸν ὄγδοον. ἐκφεύγει δὲ περὶ τῶν νοσημάτων, καὶ παθημάτων τῶν τοῖς ὀκταμήνοις γινομένων, καὶ τὰ ἐνεάμηνα λεπτὰ τικτόμενα. κατὰ τὸ πλῆθος γὰρ τοῦ χρόνου ἐγγεγόνει κατὰ τὸ μέγεθος τοῦ σώματος, ἐκ νόσων κακοπαθείης ἀφιγμένης, οὐχ ὥσπερ τὰ ἑπτάμηνα τίκτεται σεσαρκωμένα, καὶ τὸ πάχος ἔχοντα εὐτραφέως αὖθις διατετελεκότα, ὃν χρόνον ἐν τῇ μήτρῃ διεφέρετο. *hoc est. Quicunque verò ægrotans in vtero ad nonum mensem peruenerit, & in hoc mense natus fuerit, superstes erit. Et superuiuunt quidem non minus hi, quàm septimestres. Verum pauci etiam ex his educantur. Neque enim crassitudinem habent, quàm perfectissimi & labores in vtero, nō diu ante pertulerunt, vt tenues euaserint. Seruabitur autem vel maximè talis puer, si nouem mensium fuerit in exitu. Fortior autem euadet etiam is, qui plurimū abest à morbis, qui octimestribus accidere*

cidere ſolent. Qui enim in ſeptẽ quadragenarijs naſcũtur, decimeſtres appellati, ob id maximè educãtur, quòd fortiſsimi ſint, & plurimũ à vulgariũ puerorum tẽpore abſint, in quo affliguntur quadraginta ægrotantes diebus circa octauũ menſem. Declarant autẽ de morbis & afflictionibus octimeſtriũ, etiã nouimeſtres tenues naſcẽtes. Iuxta multitudinẽ enim temporis, etiã magnitudo corporis cõtingit, ex morborum afflictione progreſsis, & nõ velut ſeptimeſtres carnoſi gignũtur, et craſsitudinẽ corporis coaltam habẽtes, vt qui tẽpus in quo vtero geſtabãtur ſine morbis tranſegerũt. Hactenus Hipp. Quod autẽ dixit, in quo affligũtur quadraginta ægrotãtes diebus circa octauũ menſem, apertè oſtẽdit, huic ſexto infauſto dierũ quadragenario, dies nõ ſolũ ex octauo accreſcere menſe, cùm nõ ſuppeterẽt, ſed ex ſeptimo nimirũ & nono aceruari ex ſeptimi nimirũ fine, ac noni principio. atq; id planè eſt quod dicebat, Eſt autẽ octauus menſis nõ ſolum hoc tẽpus, ſed & dies accedunt à ſeptimo menſe, & à nono, & ab ipſo anno. Verũ dies nõ ſimiliter, neq; dicũt, neq; cognoſcunt mulieres. Decipiũtur enim ex eo quòd nõ eodem modo fiunt: ſed aliquando à ſeptimo menſe plures dies accedũt ad quadraginta, aliquãdo à nono. Tunc enim fieri neceſſe eſt, prout cõtigerit mulierẽ in ventre cõcipere, tum menſe, tum tẽpore. Age iam rem ipſam penitius perſcrutemur. Contingat ita, mulierẽ prima menſis die, primoq; lunæ cũ ſole congreſſus momẽto, vtero cõcepiſſe, conſtituetur ſanè tunc primus geſtationis vteri menſis q̃ poteſt fieri longiſsimus 29 in quã dierũ cum dimidio, cumq; quinq; menſiũ iam antea præſcriptũ ab Hipp. interuallũ ſit 147 dierũ cum dimidio, idipſum ſi prioris menſis ſpatio addatur, inſurget numerus 177 dierũ, accedat iam ſeptimi menſis integrũ ſpatiũ 29 dierũ cum dimidio, fietq; numerus 206 dierũ cum dimidio. Ergo quoniã quinq; quadragenariorũ limes fuit ducentorũ dierũ, in ſextum ſanè huius ſeptimi menſis ſex dies cũ dimidio relabentur. Iam igitur prorſum tendat oratio, ſex quadragenarij ad 240 diem protẽduntur, poſteriorq; quadragenarius 6 cũ dimidio dies, habet ſeptimi menſis: his ergo ab eo reſecatis ſuperſunt 233 dies cũ dimidio, qui iam in octauũ menſem cadũt. Sed cũ octauus menſis plures q̃ 29 cũ dimidio nõ habet, intelligis planè 4 dies noni eſſe, nõ octaui menſis, in quibus neutiq̃ voluit Hipp. fœtũ vitalem in lucẽ prodire. Accedamus præterea ad ſeptimũ dierũ quadragenariũ, qui 280 diebus abſoluitur, in quo decimeſtres partus robuſti maxima ex parte edi ſolent: quos tamen nos nono mẽſe natos eſſe arbitramur: quoniã nouimeſtres reuera ſeptimo nõ ſecus quadragenario nati circiter 270 diebus edũtur, quẽadmodũ inferius paulò Hipp. dicet, & nos etiã mox confirmabimus. Cùm noni menſis 4 primi dies in ſextũ quadragenariũ referri debeãt, qui ſuperſunt igitur ad totius abſolutionẽ 25 cũ dimidio in ſeptimũ cadẽt dierũ quadragenariũ, remanebũt ad

Lib. de ſeptimeſtri partu.

Nouimestres & decimestres in septimo quadragenario nascuntur.

quadragenarij ipsius complemẽtum 14½, qui medietatem decimi mensis absoluunt. Quo fit vt nouimestres & decimestres in septimo planè citra controuersiam cadant quadragenario, quanquam nouimestres circiter dierum 270 numerum, aut 265½, quod idem sanè est, si tres, quatuor'ue purgationis menstruæ dies (vt iubet Hipp. ad calcem libri de octimestri partu) mulieribus dederis: quos si cum suprascripta numerorũ serie addideris 270, prorsus erũt. Cæterum quod Hipp. in calce libri de octimestri partu scriptũ reliquit, planè est abstrusum, à paucisq; (quod hactenus viderim) rectè intellectum, neque enim oportet alia mensiũ genera afferre quo id, quod ambiguũ est interpretis, nunq̃ enim Hippo. alio quàm Ciuili mense vsus in his est, vel ipso etiam Galeno autore. Scribit autẽ in hunc modum: porrò autẽ decimestres & vndecimestres ex septem quadragenarijs eodẽ modo fiunt, velut ex dimidio anno septimestres. Quod enim decimestres in septẽ quadragenarijs in lucem edantur, scilicet, 280 diebus iam est à nobis antea demonstratũ. Verum quòd vndecimestres eodem planè circuitu edantur, nõ facilè quis sibi persuaderet: potissimũ quòd superesse tantũ decimo mensi dimidiũ in superioribus nõ adeò pridem à nobis sit demonstratũ. Quare ne lectorem diutius pendere animo cogam, cùm iam expositoris officiũ in his fuisse prætergressum cognoscam (quanq̃ aliter cõmodè res habere haudquaq̃ potuisset) dicam quod sentio. Voluit Hipp. vndecimestres partus 280 die edi, septenũ nimirũ quadragenariorũ spatio: non secus quidem q̃ septimestres in 182 diebus & dimidio cũ besse: sed in septimestribus integros esse haudquaq̃ volebat extremos menses. Quare neq; in vndecimestribus integros esse eosdẽ volet. At in decimestribus, quanq̃ prior integer planè sit, posterior tamẽ dimidiatus tantũ est: si memoria nõ exciderunt, quæ nuper antea à nobis fuerũt demonstrata. Finge igitur 10 esse primi mensis, computẽturq; nouẽ mensibus integris congruẽtes dies, erũtq; 265 cũ dimidio quibus addamus primi mensis 10 dies, insurget numerus 275 cum dimidio supererũtq; vsq; ad 250, circiter quinq; in vndecimũ scilicet mensem. Verũ quia ratione minus mensis medietate, in vndecimestribus sumamus, longitudo temporis facit, quo probè in vtero fœtus cõformari possunt. Nam Hipp. post plenilunium huiuscemodi conceptũ in vtero hærere scribit, sumendum inde in nouilunium spatium censens, pro mense vno, tametsi quatuor aut quinq; dun taxat sit dierum. Ante plenilunium autẽ omnes esse decimestres scribit: quod facilè probari poterit, si plus quàm mensis dimidium pro primo mense acceperis, scilicet 15 dies: tunc enim non in vndecimum, sed in decimum potius mensem relabetur ille numerus 280, qui septenum quadragenariorum est limes. Huc facit etiam quod libro de carnibus Hippocrates ad calcem libri scribit: φύεται δὲ μείων καὶ δέκα ἢ μεζέων γόνος γίνεται, καὶ ζῇ καὶ ἔχει τὸν ἀριθμὸν

ἀτρεκέα

ἐπτρικὰ ὢν τὰς ἑβδομάδας. τέσσαρες δ᾽ ἑκάδες ἑβδομάδων ἡ μέραι εἰσὶ διηκόσιαι ὀγδοήκοντα. *id est. Nouem autẽ mensiũ et decem dierũ partus editur in lucem, & viuit, habetq́; solidum hebdomadum numerũ, nanq; quatuor decades hebdomadarũ dies sunt ducenti octoginta. Nam si nouem mensiũ iustum cõputa ueris dierũ numerum 265 cum dimidio, decemq́; insuper addideris, conficies numerum 275 cum dimidio, cui si iuxta Hippo. sententiã dies menstruæ purgationis, quod sanè in decimestribus fieri iubet, habebis 280 dierũ spatiũ. Plura alia tum in libro de alimẽto, tum etiam lib. de genitura, & de natura pueri huc spectãtia loca inuenies, quæ tute ipse facilè, citraq́; negotiũ intelligere poteris, si ea tamẽ quæ tradita à nobis in hac parte sunt, diligenter animaduerteris: neq; oportebit se acerbè torquere impræsentiarũ num duodecimo mense (annuo inquã spatio) gestatus fœtus reddi possit. Hipp. nanq; in lib. de pueri natura, vltra decimũ mensem fœtus gestari nõ posse scribit: quoniã alimentũ, incremẽtumq́; quod à matre puerulus accipit, elapsis iam decẽ mensibus, fœtuq́; aucto sufficere non potest. Quare quod in hac parte nos de vndecimestri diximus haudquaq̃ Hipp. sententiã subuertit, cùm reuera temporis spatio decimestres & vndecimestres haud differant, sed hoc tantũ nomine, quòd vndecimestres peracto lunæ oppositionis aspectu, quem pleniluniuni vocant, concipiantur, decimestres verò ante, quemadmodũ à nobis dictum abũdè est, vtrorunq; enim statutus terminus est 280 dierum. Res igitur vt diximus se habet maxima ex parte. Quod si aliter aliquantulum contingat, rarum sanè id erit, nec dignum de quo anxiè enixeq́;, aut scrupulosius simus soliciti: ac proinde qui iudicant vndecimo anni mense editum fœtum spurium esse, minimeq́; legitimum, maximum sanè videntur fecisse operæpretium, delinquendi quòd ansam mulieribus ademerint.*

Τὰ ὑποφαινόμενα ἐν ὅισι μησὶ γίνεται.

37. Apparentia in quibus mensibus fiunt.

Apertum me hercule est, intelligendam esse in hac Hippo. oratione dictionem vnam σκεπτέον, *id est, considerandum, tanquam in hunc dixisset modum* τὰ ὑποφαινόμενα ἐν ᾗσι μησὶ γίνεται σκεπτέον. *i. Apparẽtia in quibus mensibus fiant considerandũ est. Adiectaq́; in hac parte ab eo hæc sententia est, hoc potissimũ nomine, quòd in præcedenti dixisset, quibus nihil intra statutum tempus accidit, his partus vitales sunt: quod si accidat sinistri quidpiã, in quo gestationis vteri mense id fiat, considerandũ esse iam monet. Quoniã nõ in omnibus perinde est mensibus, sed in alijs fortiori, in alijs verò leuiori eget causa fœtus, quo ab vtero excidat. Nam imprimus, postremisq́; mensibus vt fructus ab arbore dum primũ erũpunt, aut maturi sunt leui ventorũ impulsu decutiũtur, perinde etiã & fœtus ligamẽtis, quæ ipsos inuoluunt tenellis existẽtibus.*

Sed & causæ quæ vim intulit facultas est considerādā an externa, an potius interna fuerit. Præterea etiam an vim fœtui intulerit maximam, an potius ipsum nutrimento priuauerit. Nam quæ vim inferunt causæ primis potißimū mensibus, ac vltimis sunt vitandæ, veluti ictus, concußio, & saltatio. Quæ autem nutrimēti fœtum inopia cogunt laborare, magis sunt declinandæ, quo fœtus auctior fuerit. Ob eam itaq; causam dictum ab Hipp. est. mulier vtero gerens, sanguine ex vena misso abortit, & magis, cuius maior est fœtus. Quin & menstruorum purgamēta primo aut secundo mense plurimas mulieres reddere videmus, quæ tamen postea robustos, validosq; fœtus edunt. At verò si quarto, quinto, aut sexto, id fiat mense, impoßibile est fœtum sanum esse dicebat Hippocrates. Hinc etiam est quod si mammæ gracilescant abortum significent: & reliqua etiam quæ sunt eiusmodi.

Οἱ πόνοι ἐν περιόδοισι, ὅτι ἐν ἑβδομήκοντα κινέεται, ἐν τριπλασίοισι τελεῦται.

38. Labores in circuitibus, quoniam in septuaginta fœtus mouetur, ter tanto perficitur.

Posset egregiè prima huius orationis pars, per se legi in hunc modū, οἱ πόνοι ἐν περιόδοισι. i. labores in circuitibus: vt indicaret labores omnes qui grauidas exercēt, circuitibus quibusdam fieri, quemadmodū & in morbis ipsis acutis, ex dierum nequitia nōnihil immutari etiam ægrotantes videmus. Nam vtero gerentibus fœminis per dierū quadragenarios, & mensium spatiū insignes fiunt mutationes, quemadmodum secundo, quarto, & octauo mensibus: ac primo sextoq; quadragenarijs. Quare si in eum modum proposita oratio diuidatur, secunda ipsius pars ita erit conuertenda, quod septuaginta diebus mouetur, ter tanto perficitur, quoniam dictio illa ὅτι posit relatiuum esse, & nota etiam causalis, cùm anceps sit apud Græcos ipsos. Cæterum dicamus vnicam duntaxat esse sententiam, minimeq́ue separandas ipsius partes, examinemusq́ue iam quantum veritatis contineat. Labores (inquit Hippocrates) in circuitibus, quoniam in septuaginta fœtus mouetur, ter tanto perficitur. Haud dubiè labores nominans, eos potißimum, qui partus tempore accidunt, cùm vterum nimirum deponunt mulieres. Fieri autem ipsos in circuitibus, cuiuis sanè erit conspicuum, qui superius à nobis enarrata mente firmiter continuerit. Nascitur quippe fœtus in quinque dierum quadragenarijs, aut septem, qui numeri sunt quàm maximè ad iudicandum accōmodati. Atq; hæc sanè est vera ipsius Hippo. sententia. Quare digna admiratione res est, quod impræsentiarū, aliò quàm ad quadragenarios respexit, nimirum ad hebdomadarum decadas, in quarum singulis septuaginta dies incurrunt. Ac proinde dixit, in circuitu fieri partus labores, quoniam quòd 70 diebus se in vtero mouit, terna huius temporis multiplicatione absoluitur: tribus nimirum

septenario

septenariorum decadis, qui dies continent 210. Verum enimuerò si rectè memoria teneamus quæ superius paulò antea sunt scripta, hic numerus iam in sextum quadragenariũ incidit; nec solum in sextum quadragenarium, sed in octauum etiam mensem: quo fit vt duobus nominibus, partus in ipso editus nõ sit vitalis. Volebat enim in libro de septimestri partu Galenus extremum terminum ipsius esse dierũ 204. ita vt qui 205 diebus esset in lucem editus, diutius incolumis seruari nõ posset. multò ergo minus seruabitur qui 210 die fuerit genitus. Nam si primo postremoq; mensibus, longissimum dederis dierum spatium in septem mensibus 206 dies cum dimidio continebuntur, qui vltra hos editur, iam in octauũ mensem præceps dilabitur. Quo fit vt credam hanc sententiam non esse Hipp: sed ab aliquo in hunc locum esse insertam, qui rem probè non perpendebat, potissimum cùm ipsa in libro planè notho eisdem ferè verbis habeatur; nempe in libro de alimento, quem Galenus haudquaquam Hippocratis esse voluit. ἐς τύπωσιν λε΄ κύκλοι, ἐς κίνησιν ο΄, ἐς τελειότητα, σι΄. *id est. in formationẽ 35 soles, in motum septuaginta, in absolutionẽ 210. Quanquam in hoc libro non hanc solum, sed aliorum plurimas scripserit sententias. ita enim habet.* ἄλλοι φασὶ ἐς μορφὴν, με΄, ἐς κίνησιν οε΄, ἐς ἔξοδον σι΄. ἄλλοι ν΄, ἐς ἰδέην, ἐς πρῶτον ἅλμα, ρ΄, ἐς τελειότητα, τ΄. ἐς διάκρισιν, μ΄, ἐς μετάβασιν, π΄. ἐς ἔκπτωσιν, σμ΄, οὐκ ἔστι καὶ ἔστι. *id est. Alij dicunt in formam 45. in motum septuaginta, in exitum 210. quæ sententia non secus ac prædicta mendax, adulterinaque est. Præterea scribit: Alij ad formam quinquaginta, in primum insultum 100, in absolutionẽ 300. Hic planè fœtus dierũ etiam longissimum numerum ab Hippocrate præscriptum longo superat interuallo, siquidem ab eo ducentorum & octoginta dierum terminus non decimestrium solum, sed vndecimestriũ statuebatur: quare constat & hanc partem esse minimè Hippocrate dignam, alioqui enim sibi haudquaquam constaret. Iam verò videamus quid deinceps scribat. Ad discriminationem 40, ad transitum 80, ad elapsum 240. non est, & est. Hæc vltima sententia de octimestri partu, scripta esse videtur, quem sex quadragenarijs dierum ab Hippo. absolui scriptũ antea est. Quare subintulit ad calcem nõ est, & est: tanquam sit, quoniam editus in lucem fuerit, non sit verò, quoniam superstes esse non potest, sed citissimè de vita discessurus sit. At verò in libro de carnibus, ad calcem, multò commodius rem pertractasse videtur: non enim dixit, septimestrem fœtum 210 diebus in lucem educi, sed in tribus potius hebdomadarum decadibus, at tres decadas hebdomadarum dies esse 210. Quare si 182 cum diei portione aliqua, fœtus nascatur, in tribus sanè hebdomadarum decadibus ipse nascetur, quanquam non absolutus. Neque enim terminos decretorios, iudicia attingere est necessum, sed sat est intra ipsos contingere. Quo fit vt non possim non*

mirari, tam doctos alioqui viros Fuchsium, atq; etiam Gorreum Pariensem medicum, qui de hac re quàm optimè scripserunt, hæc quæ nos diximus, non animaduertisse. Cùm 210. diebus septimestrem fœtũ educi posse pro certo habeant, qui iam in octauum mensem & sextum quadragenarium incidit. Habetur sententia hæc etiam sexto de morbis vulgaribus libro, paulò tamen aliter, in hunc modum: οἱ πόνοι ἐν περιόδοισιν, ὅτι ἐν ἑπτὰ κινέεται, ἐν τριπλασίῃ τελέεται. id est. Labores in circuitibus, quoniam in septem mouetur fœtus, ter tanto perficitur. Vbi apertè ostenditur, τὰς δεκάδας τῶν ἑβδομάδων intellexisse: in septem scilicet hebdomadarum decadibus.

Fuchsius & Gorreus taxantur.

ὅτι μετὰ γυναικεῖα, τὰ μὲν δεξιὰ, τὰ δὲ ἀριστερὰ χάσκει.

39. Quoniam post menstrua, partim dextra, partim verò sinistra hiant.

Rationem videtur Hippoc. in hac parte tradere fœturæ, aut prægnationis, quomodo semen in vulua libenter hæret, post mensium purgationem, inanitis nimirum venarũ osculis, quæ ad vteri internam partem pertingũt. Atq; idcirco vulua auidius genitale semen attrahẽte, vt interim cucurbitulæ instar penem ipsum ad se pelliciat. Nam dum ora venarũ nimia sanguinis copia turgescunt, perinde vt ventriculus ingestorum copia satur, fame non corripitur, ita & vterus semen à viro iniectum non amplexatur, sed ex templò remittit. Proinde Hippo. in libro de octimestri partu, dicebat, plurimis mulieribus necessum esse in ventre concipere post menstrua purgamenta, vbi ab his fuerint exolutæ. Quin & alibi frequẽter idipsum docet, quoniam vterus nimia sanguinis mole pressus, malè quodammodo affectus sit, ac multitudo sanguinis proiectum semen obruat: non secus ac ligna multa copiosáq; modico igni iniecta. Quare æquum est aridiorem factum vterum firmius continere demissum semen. Plurimæ autem quoniam vbi repurgatæ exactè sunt, vterus vehementer clauditur, ac conniuẽt ora venarũ, arctè quæ ad vuluam pertingunt, non possunt post menstrua purgamẽta cõcipere, sed necessum his est, in menstruorum tempore cum viris congredi. Quod & annotauit Aristoteles, inquiens: nonnullæ etiam dum profluunt menses concipiunt, postea verò concipere nequeunt, quibus post menstrua purgamenta statim vterus clauditur. Hæc sanè sunt, quæ docere Hippocr. in præsentia voluit, latenter etiam subinnuens interim mares, interim verò fœminas potissimum nasci, ob eam quam attulit rationem, quoniã in dextris mares in sinistris verò fœminæ nascãtur. Quanq̃ igitur multis id de causis possit contingere, tamen ea quæ ex loci positu in hac parte adnotatur, non est silentio prætermittenda, sed ipsius diligẽter inuenienda est ratio: quæ ex anatomicis speculationibus sanè pendet. Quoniam seminaria vasa, quæ semen aut seminificam potius materiam ad testes deferũt,

Aristotel. libr. septimo. cap. 2 de natu. Animalium.

vtrinq;

vtrinq; gemina sint. Vena inquam & arteria, atq; vena ipsa in dextris partibus ex caua vena satis longo interstitio sub vena emulgente oriatur, in sinistra verò parte ex eadem ipsa emulgente vena, in qua serosior multò quàm in caua vena sanguis continetur. Hinc igitur est, vt sinistri testis semẽ multò sit & aquosius, & frididius, quàm dextri testis: magisque ad fœminas generandas accommodatum quàm mares.

Ὑγρότης διὰ τῶν ἀπιόντων διαίτης ξηροτάτης.

40. Humiditas per exeuntia, victus ratione siccissima.

Et quod in præsentiarum scriptum est, de vteri humiditate erit intelligendum, qua in oratione duo contineri videntur. Primum qua ratione vteri aut vuluæ nimia humiditas, quæ impedimento est, ne semen contineatur, dignosci possit. Quoniam in aphorismis est scriptum: quæ humidos habent vteros mulieres, non concipiunt. Nam semẽ in ipsis extinguitur. Secundũ verò qua medendi ratione egeat ipse affectus, nimirum dignoscetur apertè per prodeũtia, in pristinumque statum siccissima victus ratione reducetur. Nanq; prodeuntia ipsa, hoc est menses, facilè nobis affectum vteri demonstrabunt: si biliosa fuerint, aut pituitosa, aut atra bile infecta, imò nõ vteri tantũ ipsius affectũ sed vniuersi etiam corporis, quod & Hippo. docuit in libro de morbis mulierum, cuius hæc sunt verba: Si mulierẽ puerperam facere velis, aliâs cõcipere nequeuntem, menses considerare oportet: an pituitosi sint, an biliosi. Cognosces autem hunc in modum. Arenam tenuem ac siccam subijcito, & cùm menses prodeũt, in sole sanguinẽ superinfundito, ac siccare sinito. Et si quidẽ biliosi fuerint, sanguis in arena siccatus pallescit, si verò pituitosi fuerint, velut muccus. Hæc igitur nobis affectum demonstrabunt: cui medendo potissimum inniti debemus: quod medicamentis siccatorijs haud dubiè erit peragendum, & victus ratione siccissima, quam Hippo. tanquam præcipuum in hac parte solam attulit, omnem medicam auxiliorum materiam ipsius nomine intelligi volens. Nam diætæ nomen non solum eam, quæ cibis, potibusq; perficitur, notat curationem, sed omnem quæ commoda medicamentorũ exibitione absoluitur. Diæta quid cõplectatur. *Quare si latam vberemque ipsius supellectilem volueris tibi parare, ad Ætium imprimis libro decimo sexto, capite vigesimo sexto te conferes: necnon & ad Paulum Æginetam, libro tertio capite 74. Qui siccis, aridioribusque medicamentis tractandas has esse censent, quæ ob nimiam humiditatem non concipiunt. Plurimum etiã ipsas exerceri ac perfricari volunt, aridaque etiam fomenta administranda crebrò iubent, vuluamq; ipsam acerbis medicamentis perfundere, veluti malicorij, aut lenthisci decocto, aut balaustiorum, aut rubi, aut id genus alijs.*

ὅτι θᾶσσον κινηθῇ διακριθῇ, αὖθις αὔξεται καὶ ὧδε πλείονα χρόνον.

41. Quod citius, discretum, & motũ est, augetur rursus segnius, & in longius tempus.

Quàm solertem indagatorem Galenum reddiderit, (pronũ alioqui & ad inquirendam veritatem comparatũ hominem) facultas hæc quæ in fœtu opificis rationem sibi vẽdicauit, apertè libri, quos de fœtuum formatione edidit, & libri de semine, id possunt ostendere. Qui cùm primum philosophorum omnium qui de ea re scripsissent, sententias diligenter excussisset, atque quãtum ipsis cum veritate conueniret sedulò perpendisset: nullam prorsus (vt metipse fatetur) inuenit probabilem rationem, nedum demonstratoriam. Quare ingenuè (quæ erat ipsius humanitas) fassus est, nihil habere quod statuere certò posset, aut de animæ ipsius substantia, aut de fœtus formatrice facultate. Interim tamen hac in parte sui ingenij acumen ostentasse potissimum est visus, cùm quod dubitanter asseruit (nam in aliquam partem inclinasse animus debuit) omnium maximè cum veritate ipsa consentiat. Inter omnia nanque hoc sibi visum est, cùm primis laudandũ, quòd Plato de hac re primus astruxisse videtur, ac post ipsum Aristoteles Stagirita. Nempe eam, quæ in fœtu est animam concupiscibilem à Platone nominatam, vegetalem autem ab Aristotele, ab Stoicis verò ne animam quidem sed potius naturam, ipsius fœtus fabricæ aut constructionis curam gerere: quam sententiam tum maximè ample xabatur cùm similitudinẽ liberorũ cum parentibus cernebat: respuebat autẽ cùm summa quadam sapientia, ac prudentia, in ea re opus esse videret, quæ tamen ab ea natura longè abest, quæ non modo sapiens non est, sed omni prorsus ratione carere videtur. Verum confestim sedabatur cùm Platonis dogma esse videbat, animã, quæ per mundum totum diffusa est, singula & alere & viuificare, à qua & gubernari seminis insita facultas posset. Quare longè magis ad veritatem accedens, quod Peripateticorum schola intrepidè astruxit, singulis nimirum rebus formas quasdam, non secus ac nos in domicillis, inesse, haudquaq̃ admisit. Sed id figmentum esse planè ratus aliud quod magis esset probabile excogitauit, quantum fieri potuit semper à Platonis sententia pendens. Quod in libro de naturaliũ facultatum substantia apertè ostendit. At verò ea potissimum in re Platonis modestiam est imitatus, quòd quæ demonstratione carere videbat, aut quorum demõstrationem nõ esset consecutus, haudquaquam sibi, quod alij faciunt temerè persuaderet, sed ad probabilitatem duntaxat ipsa eueheret. Quod non alio sanè quàm Platonis in Timæo consilio factum est. Videbat enim vir ille, citráque dubietatẽ credebat, corruptioni subiectarum rerum omnium structurã, ac compagem, ex mutua elementorum attemperatione absolui: minimeq́; parem esse ipsorum in singulis temperaturis miscellam, sed dispari potius ratione singulas quasque res esse con-

Anima mundi omnia gubernat ac regit secundũ propriã cuiusque facultatem.

esse conflatas. Cùm igitur hanc misturæ analogiam, probabili sanè ratione videret, singulas absoluere posse actiones, superuacaneũ fore duxit, alias quasdam fictitias potius quàm veras entium (vt ita dixerim formas) aliunde accersere. Quo fit vt multis in locis non secus, atque Hippo. temperamentũ, naturam, facultatem, animamque vocauerit, non illam quidem rationalem quæ in hominibus principatum obtinere videtur, sed aut vegetatricẽ aut sensilem animam. Quæ inter se nihil planè, aut maioris tantum minorisque ratione esse distinctas voluit, quod primum Plato ipse astruit, plãtas omnes animalia esse censens, sensúque ipsas, tametsi obscuro moueri. A cuius sententia alienũ fuisse Galenum neutiquam censemus, vt libro eodem de naturalium facultatum substantia ipsemet testatur. Sed doctis loquimur, video enim iam sciolos nonnullos, dum non aduertent suam imperitiam in ea re damnanda prodere, hæc propemodũ ludibrio habituros. Quibus haudquaquam librũ hunc scriptum volumus. Imò sanè si cum ipsis me sermonem habiturum crederem, contraria prorsus in medium proferrem. Quemadmodum & Plato factitasse videtur qui nunquam apertè suam proferre sententiam voluit, donec cum peritissimis totius philosophiæ viris fuit disserendum, nempe in Timæo, cùm antea tanquam cum plebecula verba faciens, ne porcis margaritas offerre videretur, semper dixerit animalia à plantis sensu potissimum distingui, atque ipsas omnes de inanimatorum numero esse. Nos igitur ipsius consilium nobis proponentes, summam intimamque veritatem enuntiamus: his qui in musarũ sinu fuerint diutius enutriti, qui omnes bona indole nati, nunquam mediũ interpellant sermonem, nec verbum proferunt, priusquàm totam disserentis audierint sentẽtiam. Dicimus ergo nullam aliam vegetatricem, aut sensitiuam, aut vt vno dicã verbo, de materiæ potentia emergentem naturam, præter tẽperamentum, mutuam scilicet elementorum proportionem, admisisse, aut admittere cogitasse Galenũ, summũ profectò in philosophia virũ. Quod apertè docent loca plurima, tum alibi, tum in libro de vsu partium primo, quam sententiam quoniam inter alias videmus esse accõmodatissimam, nos impræsentiarum afferemus. Vt nobis sermo methodo procedat, quæcunque corporibus insunt sunt diuidẽda. Sunt autem in primis temperaturæ quæ propriam substantiam particularum complent. Nam quod tali quodammodo calore, frigore, humiditate, ac siccitate corpus sit temperatum, tale quid etiam natura existit. Nam quod caro sit caro, neruus sit neruus, & aliorum singula, hoc ipsum quod sunt, propter dictarum qualitatum talem quampiam miscellam, factum sanè est. Hæc igitur ipsis secundum substãtiæ rationem adsunt. Quid quæso magis aptũ esse potest? nõ profectò si verba à nobis conficta ipse iussus esset scribere. Non lubet igitur plura aliunde testimonia petere quàm ex libris

libris de facultatibus naturalibus plurima suppeteret, audiuimus enim ipsius sententiam. Cæterum quoniam hæc temperaturæ elementorum ratio bifariam intelligi potest; ne rem ipsam nudè tractemus adijciendum & id etiam erit, quanquam iam à nobis sit luculenter, fusissimeque expositum, mathematicaque etiam ratione confirmatum, in libello quem de temperaturis rerũ naturalium scripsimus. Interdum enim natura in prima geniti conformatione, egregiè inter sese partes elementorum inculcat, vt nihil planè sit in ipsa commixtione dissimilare, sed modis omnibus miscella sit absoluta, summaque quadam æquabilitate partes omnes inuicem attemperatæ. Interim verò tam crassa Minerua, rem ipsam componit, vt apertè dissimilaria corpora in commixtione plurima cernantur. Hoc ipsum non semel sed iterum atque iterũ est in libro de simplicium medicamentorum facultatibus à Galeno inculcatum. Cùm ergo in mixtura summa illa visa fuerit subactio, atque exquisitissima, primum temperamenti genus insurgit, in quo partes calidi elementi cum partibus frigidi comparantur, humidi perinde elemẽti partes cum partibus sicci. Huiusmodi ergo temperamentum ad obeundas naturales omnes actiones est maximè accommodatum: quod calefacere, refrigerare, humectare, ac siccare simul poterit: non aliud quidpiam præstare. Neminem autem nubet, quòd simul dixerim cùm ea sana mens sit, veraq; Galeni sententia. Non secus enim illud, quàm medicamentum ex varijs conflatum medicamentis gustui singulas partium offert facultates, quanquam à potiore reliquæ obscurentur. Sed hæc in eo libello abundè etiam sunt exposita: ad quam rem demonstrandam linearum vsi sumus exemplo, quæ ex binis nominibus componuntur: de quibus fusissimè in decimo elemẽtorum Euclidis tractatio est instituta. Nam id ex profunda Platonis philosophia est petitum, cùm elementa ita egregiè vt dximus cõmixta, latera lateribus cõtinua habentia huiuscemodi constituãt ex binis nominibus lineas. Si enim latus ignis, latusq; terræ sub eadem sphæra ambo cõpræhensis inuicem iungantur duplam potentia habebunt rationẽ, quæ duplam autem habent potentia rationem, non sunt in ratione quadratorum: quo fit vt longitudine nullam habeãt inuicem rationem, sed lineam conficiant si directè coniungantur ex binis constantem nominibus, cuius maius nomen, aut maius segmentum sit latus ignis. Pari prorsus ratione, si latus terræ, & latus aëris inuicem aptentur, hemioliam obtinebunt potẽtia rationem, quare lineam etiam constituent ex binis nominibus, cuius maius nomen est latus aëris. Latus verò ignis & aëris epitrita sunt inuicem potentia: quare & lineam ex binis nominibus perinde atque alia conficient, cuius maius nomen erit latus ignis. Quod si cum latere aquæ horum quæ diximus laterum aliquod coaptetur, nullam planè inuicem habebunt rationalem proportionem: quoniam

Laterum elementorum rationes.

quoniā latus aquæ cùm reliqua fuerint rationalia erit apotome. Hæc voluimus obiter duntaxat adnotaſſe, vt ſaltem inuicem elementorum rationes notæ euaderent, quanquam non poſſit res perfectè intelligi, quin rerum mathematicarum fueris peritiſſimus. Sed iam ad temperaturæ aliam rationē properemus explicandam, ne oratio etiam nolētibus nobis in maximā accreſcat longitudinem. Si temperatæ inuicem ita fuerint elementorum partes, vt diſpari quadā ratione cōpoſita eſſe videantur. qualia plurima planè ſunt, ac propemodum omnia ex partium elementorum mutua comparatione haudquaq̄ eliciendam ipſius temperaturam volumus quæ eſſentiam cōſtituat. Sed perinde vt Galenus inſtrumentorū eſſentiam in ſimilarium partium cōmixtione repoſitam eſſe perpetuò voluit, ita ſanè & nos ex partium quæ inæqualitatem illam conſtituūt mutua comparatione prodire rei non egregiè cōmixtæ naturam volumus, quo particeps ipſa ſit ſingulorum quæ in ipſa partium rationem obtinent. Hoc autem, exemplo erit apertiſſimum. Dicamus roſam diuerſarum, vt Galenus, & alij plures ante nos dixerunt, eſſe partiū, neceſſum ſanè eſt quanquam in roſa partium elementorū diſſona quædam diſparilisq; ratio mixturæ ſit, tamen partes ipſas egregiam nactas fuiſſe à natura cōmixtionem, aut ſi huiuſmodi nō fuerit, eadē planè de ipſis quæ nūc de roſa eſt, quæſtio orietur. Sit ergo exempli gratia in alia roſæ parte partiū calidarum ad partes frigidas ſeſquialtera proportio, in altera rurſus parte frigidarum ad calidas ſeſquitertia. Erit ſanè in tota roſa talis calidarum partium ad frigidas proportio, quæ naturam ipſius conſtituat, & ipſi ſecundum eſſentiæ rationem inſit qualem ſeſquialtera, ſub ſeſquitertiáque rationes pariunt. Ea autem eſt, ſeſquioctaua. Quo fit vt caloris ad frigus ſeſquioctaua proportio totius roſæ temperamentum, totamq; ſubſtantiā conſtituat. Nihilo ſecius tamen ipſa frigida eſſe poteſt, quoniam frigidum, calidū, humidumq; ac ſiccum ex partium multitudine nō ex mutua proportione oritur, ac propterea intelligis aliam longè eſſe totius ſubſtantiæ actionem, ab ea quæ calefacere, refrigerare, ſiccare, humectare'ue dicitur. Nam vt res aptius, & dici: & intelligi poſſit, fingamus in altera roſæ parte calidi elemēti partes, eſſe numero 3, frigidi verò tātum 2, vt inſurgat caloris ad frigus ſeſquialtera, quam diximus paulò ante proportio. In altera verò parte conſtituamus frigiditatis octo partes, caloris verò ſex, vt inde ſeſquitertia frigoris ad calorem ſe promat ratio. An nō plures in tota huiuſcemodi miſcella frigoris, q̄ caloris erūt partes? Maximè quidē. Propterea ipſa refrigerare magis quàm calefacere poterit. Ipſius tamen ſubſtātia, quæ in proportione caloris ad frigus ſeſquioctaua conſiſtit, ſimilis interim eſſe poteſt ſeſquioctauæ alteri rationi, caloris ad frigus, in qua elementorum partes egregiè per totum fuerint ſubactæ. Quod ſi ita contigerit

roſa

rosa haud dubiè ipsam in qua huiuscemodi reperta fuerit proportio tota substantia attrahet, ob eam nimirum quam diximus, similitudinē. Quod in purgantibus omnibus medicamentis vsu euenire videmus. Quare huiusmodi tēperamentum, quod multorum proportionum inuicem additarū congeries est, perinde ac vnitatum numerus, eas obire potest actiones quas toti substantiæ Galenus referri acceptas voluit. Atque proinde singula quæ tota substantia attrahunt, his quæ trahūtur hinc esse fortiora liquet, quòd in trahēte variæ proportiones, id est, variæ partium inter sese rationes, in vnum conspirent, cohalescantque, in eo verò quod attrahitur vnica duntaxat sit proportio, quæ ex elementorum partibus inuicem collatis insurgit. Cæterum qua ratione contingat interdum, non mutata totius natura aliquando calidā, aliquando verò frigidam rem eandem esse (quemadmodum in hominum temperamento res se habet, in quibus vnica tantum substantia est statuēda, modo veritati subscribere velis, cùm tamen alter calidus, alter verò frigidus sit, alius rursus temperatus) addendū breuiter huic orationi ne quidpiam desit censemus. Verum ne res ipsa ab initio repetēda sit, quod instituimus in proposito rosæ exēplo expēdamus. Cùm liberum cuique sit, dūmodo rem intelligat, ad hominem idipsum transferre: quanquam iam in libro eo, quem de temperaturis rerum naturalium scripsimus, ad vnguem res sit explicata. Dictum quidem est, sesquioctauam rationem caloris ad frigus, ex sesquialtera caloris ad frigus, & sesquitertia frigoris ad calorem insurgere, quod si exactè velis idipsum percipere ex musicis elemētis, & quinto elementorū Euclidis notissimū euadet. Quod si in altera parte caloris sint partes tres, frigoris verò duæ, in alia verò frigoris octo, caloris verò sex totam ipsius rosæ facultatē refrigerandi magis quàm calefaciendi diximus esse. At verò si seruatis semper ijsdem proportionibus aliter partes constituantur, in hunc nimirum modum Sex ad quatuor, quatuor ad tria, vt dicamus in alia quidē parte caloris esse partes sex, frigoris verò quatuor, seruata quæ prius erat sesquialtera ratione, in alia verò frigoris quatuor, caloris verò tres, manente eadem sesquitertia proportione, potior ipsius rosæ facultas erit calfaciendi tunc, quàm refrigerandi: quoniā plures sint in tota mixtione calidæ quàm frigidæ partes, cùm tamen tota ipsius rosæ substantia non secus sit in sesquioctaua caloris ad frigiditatem ratione. Nam si priores duas rationes simul addas tria ad duo, & octo ad sex, prodibit proportio, qualis est 16 ad 18, sesquioctaua nimirum. Sin autē postremas has velis expēdere 6 ad 4, & 4 ad 3 insurget eadē quæ est 18 ad 16. Quod si rursus in alia rosæ parte constituas caloris partes tres & frigoris duas, & in alia frigoris quatuor caloris verò tres: iam tūc sanè rosa erit exactè tēperata: cùm tot habeat caloris quot frigoris partes, seruata semper eadē

totius

totius substãtiæ sesquioctaua caloris ad frigus ratione. Nam si has duas inuicem cõponas rationes 3 ad 2, & 2 ad 4 ea insurget proportio quæ est, inter nouẽ & octo. Quid multa? ex eisdem rationibus eandẽ semper oriri proportionem est necessum. Id tamen in hac parte diligenter erit aduertendum, vt calorem semper in calorem ducas, & frigus in frigus, quo rectè ex varijs proportionibus totius temperamentum elicias. Sed de his satis, timeo enim ne nimius fuisse in hac re videar, qui tamen ne centesimã totius summæ partem attigerim. Adeò enim nostri temporis ingenia malè sunt assueta, vt plus breuitate capiantur, quàm exacta difficilis alicuius rei enarratione, quæ diffusam orationem nunquam effugere potest. Quare ni huiuscemodi momos perti mescerẽ, qui claris ingenijs magis detrahẽdo possunt officere, quàm ipsosmet longa lectione iuuare, multo fuissem impræsentiarum diffusior. Verũ ad rem redeamus. Voluit sanè Galenus talem esse singularem rerum naturam, qualis hactenus à nobis exposita est, neq; in lapide, aut planta, aut leone, quidpiam aliud quærendum esse quàm temperamentũ cui augmenti, motionis, ac sensus, actio esset referenda accepta. Qua in re maximè cum Platone consentit, qui ad huiuscemodi obeundas actiones nihil aliud, quàm temperamentum proportionemq; apertè in Timæo statuit. Quinetiam tametsi impiã illam animarum μετεμψύχωσιν, quã Pythagoræi inuexerant, penitus hi viri nõ respuerint, imò ab eo crimine vindicari haudquaquã possint, tamen rationalẽ illam animam aliundè accedere semper vno ore confessi sunt, neque vnquã ipsam de materiæ potentia eduxerũt, quo posset huiuscemodi sordida planè munia, quæ ad materiam potius spectant obire. Sed semper existimarunt conformi prorsus sententia, animam ipsam quam ἡγεμονικὸν vocabant tanquam regem quendam corpori inesse, rationales duntaxat actiones planè diuinas exercentem, cui turpe admodum esset in culina noctu diuque versatam, sordidam fumoque obsitã semper esse; quales nimirũ Βάναυσοι à Græcis vocati sunt, quos ob vitæ sordidam, vilemque institutionem veteres olim ab honoribus secludebant. Manifestè itaq; hi viri soli temperamẽto huiuscemodi crassas, vilesque: si ad iudicium, rationemque spectes actiones tribuerunt, quæ tamẽ ab animæ in nobis imperio pendeant. Quod nobis omni ex parte laudandum esse videtur, profectumque, ex summa quadam sapientia iudicijque æquitate. Cui nemo mentis compos vnquam inficias ire posit. Hinc est quod consultissimè diuus Thomas astruendum ait, vnam esse eandemque in homine animam quæ sentit, nutrit, & intelligit: non quòd vir ille summa sanctitate doctrinaq; insignis, eodem modo intelligere animam putaret, ac nutrire sentireq; , cùm intelligat sanè citra instrumentum, sentiat autem ac nutriat temperamẽto corporis ad eas actiones ministro. Non secus ac reges coquis culinæ præfectis, Quam velit Gale. esse rerũ naturam.

vestiarijs

vestiarijsque magistris, ac sutoribus vtuntur ad victum vestitumque suis ministris parandum. Nam ea in parte diuinus ille magister, quorundam Platonicorũ dogma subuertere nititur, qui vt Iamblicus Platonicus refert, ex Mercurialibus depromptum literis id sibi persuaserunt, duas hominẽ animas gubernare: & esse quidem vnam ab intelligibili primo, atque ipsius opificis potentiæ participem, alteram verò ex circuitu cœlestiũ nobis inditam, in quã & anima diuinorum speculatrix irrepat. Hanc sensorias nutritoriasque omnes actiones absoluere volunt, eamque tanquam à mundo descendentem mundorum etiã circuitũ sequi. Quæ verò ab intelligibili veniens intelligibiliter adest, geneficum omnem circuitũ supereminere dicũt, atq; per eam à fato nos solui, & ad intelligibilem Deum ascẽdere, & religionẽ nos habere ad æterna tendentem. Hæc Platonicorum quidam non satis Christianæ religioni consona vt viro diuino placuit, astruxerunt. Nam qui temperamẽtum his præficiunt crassis materialibusque officijs, præter id quod rectè statuunt, tantũ abest vt à duabus corpus animabus gubernari affirment, vt ne duas in eo animas esse dicant, cùm temperamentũ anima neutiquam censeri debeat; sed potius natura, quemadmodum Galenus Hippocratesq; perpetuò sunt arbitrati. Sed iam ad philosophicam considerationem conuertamur, quam eatenus duntaxat verã esse volumus, quatenus cum christiana religione consentit. Quare si rei sublimitate interdum delusi, quidpiã constantius afferamus, quod minus pietatis christianæ contineat, quàm nos arbitremur, prõptè retractamus ac refellimus, dictumque illud ob imperitiam esse volumus. Ad Galenũ igitur iam nostra cõuertatur oratio cui sanè semper placuit, quod Platoni imprimis verum esse est visum, naturalem omnem nimirum actionem, non aliã ob causam quàm ob proportionem fieri, quoniam omnis temperatura sit proportio. Nihil quidem moratus, quòd Aristoteles relationes ab omni prorsus secluserit actione, ob eam nempe causam, quòd non sint in rebus ipsis in quibus esse à nobis putantur, nam illæ ex solo nostri intellectus opere prodire, esseq; videtur. Nam quòd intellectus ita cõponat quatuor ad tria, ideo eam dicimus esse sesquitertiam, quæ ex intellectu nostro prodit comparationẽ. Quod sanè non leue est apud Peripateticos argumentũ, quo demoliri funditus Platonis dogma hac in parte maximè Christianum putant ipsi ab omni prorsus deuiantes veritate. Neq; enim negat Plato eam, quam nuper antea dicebamus comparationem ex intellectu nostro nobis oriri, nihilominus tamẽ in rebus ipsis esse potissimum, quæ meliore multò quàm nostra est, de mente procedat, quæ alit, gubernat, viuificatque singula mũdi huius inferioris superiorisque corpora, quã ipse animam mundi appellauit, eandem prorsus cum diuino à sacra theologia vocato spiritu. Hic enim actionum omnium seminarium, ex quo depromantur

Relationes nõ solum ab actionibus non sunt secludẽdæ sed etiam omnium actionum præcipua causa est ipsis referẽda.

mantur singulæ ad agẽdum facultates: nam & diuinus poëta dicebat, Emitte spiritũ tuum & creabũtur, & renouabis faciem terræ. Id enim beneficium spiritus esse diuini tota vetustas confessa est, & sacræ literæ consentiũt. Quòd si rem testibus egere putas, nõ satis tibi idoneã Platonis sententiã persuadẽs, Mercurius ille ter magnus, quem tota Græcia est admirata, pro omnibus testimoniũ feret: qui in sermone ad Asclepiũ, hæc ait: Spiritu agitatur, & viuificatur omnis in mũdo species. Quid quæso aliud speciem dixit, q̃ id quod nos temperamentũ vocamus? in eo nanq; singularũ rerum species est sita. Iam verò deinde hæc inquit. Spiritu ministrantur omnia, & vegetátur in mundo, & quasi organũ summi Dei voluntati subiectus est. Quin & sermone tertio dixit. Hoc spiritu de quo sæpenumero dixi, eget omnia, omnia portat secũdum dignitatẽ, omnia viuificat, & nutrit: & à sancto fonte dependet, omnibus spiritibus, & viuentibus semper est auxiliator. Quid verbis opus est? An nobis fortasse sermo est, cũ infidis, aut perfidis hominibus? Quin potius cum religiosis, summæq; pietatis viris, qui ijsdem nobiscũ sunt obancillati sacris, quiq; in diuinis literis vbiq; hunc diuinissimũ spiritũ, vita fœcundissimũ vocari sciũt, ab eo cuncta bona proficisci: nec tantũ proficisci bona, ac viuificari, sed etiam portari, ac regi. Quare mirũ sanè videri debet, malè feriatos quosdam homines, ita in magistrorũ verba iurasse, vt mordicus semper hærere ipsis videantur, nec latum vnguem ab ipsis discedere velint: ac semper dicãt ea philosophica naturaliq; ratiõe ita esse astruẽda, vt Aristoteles dixit, tametsi sciant contrariũ ex sacris literis apertè monstrari. Tanquam naturalia esse possint aut physica, quæ non conueniunt cum fide nostra, aut vera ipsa per se videri possint, vel modico vestigio à sacris dissita literis. Sed nos meliori multò iudicio, veritatem ipsam insectemur, quæ nihil aliud naturam, aut de materiæ potentia eductã facultatẽ esse voluit, quàm ipsum temperamentũ. Quo fit vt in brutis animantibus nihil aliud præter temperamentũ anima sit statuenda, quod tamen verò animæ nomine nõ sit dignũ, sed potius naturæ: quod & Galeno imprimis placuisse asserimus. Hincq; etiam esse, vt quoniam in sanguine potissimum ipsius temperamenti ratio existat, frequenter in sacris literis anima pro sanguine desumatur. Quemadmodum Geneseos capite nono, vbi scriptum hunc in modum est. Præterquam quòd carnem in anima sua, quæ est sanguis suus non comedetis: Ita enim ad verbum habet. Diuus autem Hieronymus, quoniam videbat sanguinem cum anima idem prorsus in ea oratione valere, vt Hebraismum vitaret, non apposuit animam, sed ipsam ab oratione penitus explosit. Nam & idipsum Iudæorum magistri dum citatam exponunt sententiam confirmant, potissimumq; Auen Esdra, qui ita ad verbum scribit. Carnem cum anima sua ne comedatis (inquit) anima enim eius

ſanguis eſt, perinde ac ſi præciperet, ne deuores animam cum carne, eo quod quorumlibet animalium anima, ipſorum ſanguis ſit: atq; hæc eſt anima ſenſoria, ac vegetatrix, & quæ mouetur, & hæc corporea. Non ſanè volebat, ſanguinem reuera, eſſe ipſam animam, quoniã certo quodam eget temperamento quo animal vita fruatur: ſed quòd in ſanguine anima potiſsimũ cõtineretur, quod niſi etiã diui Chryſoſtomi teſtimonio confirmaretur, res ſanè haud multum ab incredibilitate abeſſet: ſed vir ipſe omni ex parte laudãdus, qui philoſophorum omniũ placita ad vnguem callebat, ita ad verbum ſcriptũ reliquit. ὁ λόγος αἰνίττεται δὲ τὸ αἷμα τῶν ἄλλων ζώων, ἡ ψυχὴ αὐτῶν ἐστί. id eſt. Oratio autem latenter innuit reliquarum animantiũ ſanguinem, ipſorum eſſe animam. Sed iam locus alius ex Deuteronomij cap. 12. ſuccurrit: qui rem omnem fuſiſsimè (quanquam compendioſis verbis) exponit, cùm nullam dubitandi occaſionem amplius relinquat. Quoniam ſanguis ipſe, eſt anima. Non inquam, quòd corpus ſanguinis ſit anima, cùm effuſus non amplius poſsit ad vitales actiones quidquam: ſed dum certò quodam elementorũ temperamento viuificatur, vitaliſq; ac fœcũdiſsimus redditur. Hic igitur ſanguis qui primũ ſeminis materia ſtatuitur, vitale quoddam prolificumq; ſemini temperamentũ impartitur: quod ſe promat cùm opus eſt, nempe vbi fuerit ad agendũ exſuſcitatum. Quare cùm primũ in vterũ iactum ſemen eſt, tanq̃ futuri fœtus fundamentũ, ſe vterus conatu maximo cõtrahit: quo vndiquaq; ipſum arctè poſsit appræhendere, eodem prorſus modo quo ventriculus auidè voratũ alimẽtum amplectitur. Poſtmodũ verò tam arctè clauditur (vt dixit Gale.) vt ne acus cuſpidem in os ipſius immittere poſsis. Iam verò ita vteri oſculo obturato calor vehemẽs ac feruidus introrſum excitatur, qui ſpumoſum alioqui ſemẽ ita ſubigat, vt ex ambobus, viri inquã fœminæq; (nam & ipſa etiã apertè ſemen excernũt, quicq̃d Ariſtoteles dicat) maſſula vna cõficiatur, in qua formatrix facultas, nempe temperamentũ, hactenus in otio degẽs, ad opus exſuſcitatur: potioriq; ſui ipſius parte, quæ in calidi frigidiq; ſymmetria cõſiſtit, variã multiformemq; partiũ ſtructuram aggreditur, prout ſibi à Deo Opt. Max. natura indita eſt, quare nec minimũ erroris in ea re peragẽda cõmittit, modo materia in quam agit parata ſit. Vt nõ admoaũ ſit admirabile à natura omni prorſus vidua ratione, rem ſumma prudentia, ſapiẽtiaq; egentẽ, perfectè abſolui. Quoniã, vt dicebat Mercurius, & poſtea diuina theologia confirmauit, ſpiritus omnem viuificat in mundo ſpeciem, portans gubernanſq; omnia ſecundũ propriam cuiuſq; dignitatẽ. At verò inferior temperamẽti portio quæ humiditatis, ſiccitatiſq;, debitã quandã cõcinnamq; mixturæ rationẽ poſtulat, cùm nõ ſit ad agendũ tantis donatũ viribus, quod poteſt libẽter exequtur, ad calidi actionẽ ſingulas quæ in ſemine ſunt partes, præparãs; quo incremẽta facilè tũ longitudi

longitudinis, tum aliorum interuallorum suscipere possint, quod sanè naturæ ipsi duntaxat est creditũ. Hic igitur in subiectam seminis materiam suas exerens vires, primũ quidem quod humor facilè admittit, flatus copiam nõ leuem exsuscitat: qui semen distendat, locoq; moueat, cauasq; omnes partes efficiat, quæ vsui postea fœtui, tum alendo, tum attemperando futuræ sunt: per quas attractus aër caloris summã efferuescentiã possit extinguere. Cùm ergo semẽ calido in loco conclusum viscidum admodum sit, ac lentum exterior summaq; ipsius pars confestim in membranam degenerat, quæ vteri internæ parti committitur, in qua sanè mẽbrana, dehiscentes in vtero venæ arteriæq; implantatur, vt totidẽ postea in ipsa membrana cernantur, venæ atq; arteriæ, quot ad internam vteri partem sunt distributæ. Hæ ipsæ per vniuersum chorion, quæ membrana iam dicta est, vario modo implicatæ ac conuolutæ, sensim iam in maiores quosdam ramos abeũt: quousq; in crassissimos coalescentes caudices ex omnibus quatuor tantũ vasa fiant duæ nimirũ venæ & totidem arteriæ; quæ infantis vmbilicũ constituãt, vt Galenus est autor, quanq̃ nos vnam tantum arteriam sæpe viderimus. Sed quoniã χορίον tunica de qua nobis nõ adeò pridẽ sermo fuit, longo satis interuallo à fœtu sit semota, inter ipsam fœtumq; duæ aliæ tunicæ generãtur: quarũ quæ fœtui proprior est ἄμνιος à mollitie dicta, totũ ambit circũcirca fœtũ, excipitq; eius, quæ in mẽbris singulis fit recrementum concoctionis, quod per cutis meatus iugiter expurgatur. Quæ verò media inter ipsas est, ea nõ vniuersum fœtum ambit: sed à mucronata cartilagine ad ima vsq; tantũ ilia infantem cingit: instar zonæ cuiusdã, aut teniæ latæ. Hæc autem ἀλλαντοειδὴς. i. farcimini similis nominatur, in quam serosum vrinæ recrementũ conijcitur, in eam nanq; ex pueri vesica porũ quendam natura, quẽ οὐραχὸν nominãt indidit, quo facilè serosus humor per ipsum expurgaretur intra allantoidis mẽbranæ cauitatem, quem ob eam causam natura aperuit media inter ipsam et amniũ parte. Ergo in his mẽbranis quatuor illa vasa inserũtur, rectàq; ad vmbilici regionẽ pertingũt, cutemq; ipsius subeuntia venæ quidem rectà ad iecoris sedem se conferunt, nõ amplius geminæ, sed iam in vnam maximã venam coalescẽtes: quæ statim rursus bifariam scinditur, atq; ab eius vtraq; parte soboles haud facilè dinumerabiles hinc inde distributæ, partim locũ in quo iecur fieri debet adeunt, partim in mesenteriũ, intestina, lienemq; disseminãtur. Sed quæ iecur ipsum conformatura est vena, vbi ad eius sedem peruentũ est, vbertim circũcirca sanguinem fundit: qui hiatus, aut plexus ipsius penitus obruat, quiq; fibrarũ innata frigiditate coaguletur, concrescatque, in iecur tandem degenerans. Factum autẽ istud optimo naturæ consilio fuit: quoniã fœtus tantisper dum nõ optimam conformationẽ adeptus est, perinde ac plantæ prorsus regatur, dispenseturq;. Itaque nutriri

quidem vt illæ debet, non autem, vitali à corde influxu, aut arteriarũ motu, vtpote qui nondũ sit absolutus eget. Multoq; minus respiratione, aut motu, aut ratiocinatione indigebit. Quam ob rem iecore per conformationis initia potius quàm corde ipsi fuit opus, quod & natura prudenter excogitauit. Non ergo audiendus hac in parte Aristoteles est, qui cor ipsum prius voluit generari: sed nos ad Galenũ potius confugiamus: qui id primus inter anatomicos animaduertisse est visus, quod & libro de Platonis Hippo.q; placitis demonstratione propemodũ mathematica confirmare conatus est. Porrò autem quà ratione in vtero fœtus alimẽtum perliciat, qua etiam parte, apertum arbitror futurum his qui paulò attentius quæ diximus animaduerterint: quod & Hippo. primus agnouisse videtur, qui fœtus formationis, ante alios omnes visus est certam veramq; tradidisse rationem. Nam cùm vbertim per ea vasa sanguis à matre ad fœtum demittatur, iugiterque in ipsius iecur per vmbilicum confluat, primam vetustamque nutricationis hanc esse semitam voluit, vt libro de alimento scriptum habetur. Verum antiquius & primordiale alimentum per abdomen vmbilicus. Vertitur tamen in controuersiam, an postquam validior, viuaciorque fœtus extiterit, ore etiam sugendo nutriatur, quod mihi non admodum à ratione alienum videtur: quod & Hippocrates sensisse videtur in libro de carnibus, si tamen liber ille ad Hippocratem autorem referri debet. Nec simpliciter sensisse, sed multis rationibus voluisse probare. Quin & Galenus etiam idipsum astruit in libello eo, qui an animal sit id quod in vtero continetur disquirit, quem librum quanquam nõnulli ascriptum illi arbitrentur, nescio sanè quo id consilio factum sit. Plutarchus tamen libro de philosophorum placitis quinto, Democriti dogma esse dicebat: atque Epicuri fœtum per os in vtero connutriri: propterea editum in lucem ad mammas ore confestim arrepere. Quod si ex quibus partibus sanguinem sugere possit in vtero delitescens quærere velis, citato libro Galenus id tibi monstrabit, meatus esse quàm plurimos in amnio tunica per quos sanguis facilè transumi posit: potissimum à fœtus suctione illectus, sed sanguiuoros infantes statim in vtero statuere, videto an nimium immane sit, atrocisque crudelitatis indicium, aut potius beluinum, nihil enim certi in his statuimus. Ad institutum igitur redeamus, cùm iam caloris ope diligenter singulæ partes corporis sunt elaboratæ, atq; accuratè perpolitæ tunc à cœli vertiginibus spiritus ad meliori vita gubernandum fœtum demittitur: quod in maribus trigesimo die, aut paulò post contingit, vt Hippocrates voluit, in libro de pueri natura: in fœmina verò, circiter quadragesimum secundum, quoniam temperamentum ipsius, multò quàm maris frigidius, non potest tam cito quod est in rem suã perficere. At verò vbi mares editi in lucem fuerint, quoniã tempera-

An fœtus per os in vtero nutriatur.

mentum multò exactius continent, tardius augentur, longioriq; tempore ad ſingulas egent ætates. Quod enim perfectũ eſt, dum perfectius opus in lucem edere nititur, in longius tempus actionẽ producit, quod verò rude duntaxat nouit, tumultuariumq́; edere opus cito miniſteriũ abſoluit. Quod & pictoribus vſu venire videmus: inter quos alij maximo artificio, modis omnibus quo ad fieri poteſt, picturam abſoluũt aliquã, quod breui ſanè fieri nõ poteſt. Alij verò tam properè penicillum ducere ob imperitiã volunt, vt interim pro naſo, (honos tamẽ præfandus eſt) priapũ delinient. Pari ſanè ratione dum in vtero eſt fœmina tardius ad abſolutionem peruenit, hæc enim abſolutio diſcretio partiũ eſt, vt dixit Ariſtoteles; quæ cõcoctione perficitur: quam multò habẽt fœminæ imbecilliorem. Poſtquam autẽ in lucem ſunt editæ citius ad finẽ perueniunt: ob corporis mollitiem, & facultatis imbecillitatẽ. Nam corporis mollities cito incrementũ perficit in omnibus interuallis. Quòd autẽ citius augmentum ipſis, quàm maribus ceſſet, id ob imbecillitatẽ innatam cõtingit. Quæ omnia Galenus lib. de ſemine multis in locis teſtatus eſt: potiſsimũ autem lib. ſecundo, vbi in hunc modum ſcripſit: ὡς δὲ φαίνεται καὶ λόγῳ καὶ ἀνάγκῃ ἡ διάρθρωσις ἔσται, ἐπὶ μὲν τῇ κόρῃ ἐν τεσσαράκοντα καὶ δύο ἡμέρῃσι, ἐπὶ δὲ κούρῳ ἐν τριήκοντα. ἰσορροῦσιν γὰρ αἱ ἐξαμβλώσιες τῶν παιδίων καὶ τῶν λοχείων αἱ καθάρσιες· αἴτιον δ' ἐστὶν, ὅτι τὸ θῆλυ πήγνυται ὕστερον καὶ διαρθροῦται, ὅτι ἡ γονὴ ἀσθενεστέρα ἐστὶ, καὶ ὑγροτέρη ἡ θηλείης ἢ τοῦ ἄρρενος. καὶ ἀνάγκη ἐστὶ κατὰ τοῦτον τὸν λόγον ὕστερον πήγνυσθαι τὸ θῆλυ ἢ τὸ ἄρρεν. καὶ ἡ κάθαρσις χρονιωτέρη τούτου ἕνεκεν ἐπὶ τῇ θηλείῃ ἢ ἐπ' ἄρρενι. *Ita ſanè videtur & ratione, & neceſsitate, conformatio comperta, in fœminis quidem quadraginta duobus diebus, in viris autem triginta. Nam idipſum fœtuum aborſus, & puerperarum purgamenta teſtantur. Cauſa tamen eſt, quòd fœmina concreſcat tardius, atq; dearticuletur, quia genitura imbecillior, & humidior fœminæ quàm viri eſt. Quare hac de cauſa neceſſum eſt, longiori tempore fœminam concreſcere: quo fit vt purgatio à partu diuturnior in ipſa ſit, quàm in viro. Quin & Hippo. in libro de ſeptimeſtri partu hæc ſcripſit.* τὰ θήλεα κρίνεται βραδύτερον διὰ τὴν συνήθειάν τε καὶ φιλότητα. καὶ τοι τάχιον ἀλλὰ ὅταν χωρισθῶσιν ἐκ μήτρας αἱ θυγατέρες τῶν κούρων θᾶσσον ἡβῶσι καὶ φρονέουσι, καὶ γηράσκουσι διὰ τὴν ἀσθενείην τε τῶν σωμάτων, καὶ τὴν δίαιταν. *id eſt. Fœminæ diſcernuntur tardius, propter conſuetudinem ac amorem, quanquam alióqui ab vtero ſeparatæ hæ quàm viri celerius pubeſcant, ſapiant, atque ſeneſcant, propter imbecillitatem corporum, & inſtitutionem. Ariſtoteles tamen quod reſtat luculenter eſt interpretatus in quarto de generatione animalium: cuius ſententiam ſat fuerit referre, ſcribit enim quam ob cauſam mobiliores multò, feruidioreſque in vtero, mares ſint quàm fœminæ, quod propter innati temperamenti maximam caliditatem contingit.*

Fœminæ quàm viri celerius omnes ætates percurrunt.

Motu autem suo magis frauguntur, quod enim recens, tenellumq; est, facilè diffringitur ob suam imbecillitatē. Hæc eadem causa est, quòd fœminæ perinde atq; mares haudquaq̄ perficiantur: nam fœmina multò longiori quàm vir in vtero dearticulatur tēpore, sed cùm in lucē iam ambo fuerint editi, tum pubes, tū vigor, tum etiā senectus fœminis prius q̄ maribus accidūt. Sunt nanq; fœminæ natura imbecilliores, frigidioresque, quin potius fœmina mutilatio quædam naturæ censenda est. Quare in vtero tardius præ frigiditate, discernuntur: hæc enim secretio coctio quædam est. calor autem id munus perficere potest: frigiditas non item. Sed foris propter imbecillitatem cito ad ætatis vigorem perueniunt, atq; senectutem. Etenim omnia minora, vt in artis operibus, sic etiam in his quæ à natura consistunt, citius ad finem deueniunt.

Οἱ πόνοι περὶ τρίτην ἡμέραν πρὸς τῇσι πεντήκοντα, καὶ ἕκτην πρὸς τῇσιν ἑκατὸν, μηνιαῖοι, δευτεραῖοι, καὶ τεταρταῖοι, ἃ δεῖ εἰδέναι ἐς τὸν ἑπτάμηνον.

42. Labores circiter tertium diem supra quinquaginta, & sextum supra centum, menstruales, secundo, & quarto, quæ nouisse oportet ad septimestrem partum.

Postremam præcedentis orationis partē, quæ ita habet: & in longius tempus, Græcè verò ἀμφὶ πλέονα χρόνον, *Fuchsius nō adiecit, sed eam ad sequētem orationē aptauit, in hūc modum:* ἀμφὶ πλέονα χρόνον, οἱ πόνοι τρίτῳ, πέμπτῳ, ἑβδόμῳ, ἐνάτῳ μηνὶ, δευτέρῳ, τετάρτῳ, ἕκτῳ, ὀγδόῳ. *quod ita conuertit. Dolores grauidis vt plurimū tertio, quinto, septimo, nono, secundo, quarto, sexto, octauo mensibus fiunt. Coactus sanè in alienū sensum trahere illud,* ἀμφὶ πλέονα χρόνον, *quod nō aliud q̄ in longius tempus significat, congruens mirū in modum præcedenti orationi. Veruntamē non est mirū in Hipp. præsertim, ita deludi, aut vt verius dicam, ita perplexo animo interdū esse, vt quo te vertas nō habeas: nam præter illā innatam obscuritatē, tam vitiatis exemplaribus occurrimus, vt nō possimus quidpiam certi ex verbis elicere. Quare doctorū virorū conatus, qui se diu in ipso interpretando vt posteritati prodesse possent macerarūt, boni sunt consulendi. Ad rem igitur veniamus, institutum hac in parte Hipp. est, docere quibus signis septimestris partus prænosci possit: quod sanè assequeris laboribus circiter quinquagesimū tertiū diem, & centesimū sextū, hac quidem de causa, Quoniā vt Aristoteles dixit, & recta ratio confirmat, ob imbecillam formatricem facultatē in fœminus raró admodum septimestris partus fœminei est sexus, sed hæ inter omnes fœtus maximè decimestres nascuntur. Inquit enim lib. de histo. animaliū. 7.* πᾶσαν μὲν οὖν τελείωσιν τῶν μορίων βραδύτερον ἀπολαμβάνει τὸ θῆλυ τοῦ ἄρρενος, καὶ δεκάμηνα γίνεται μᾶλλον τῶν ἀρρένων. *id est. Omnem quidē absolutionē partiū fœmina tardius q̄ masculus admittit, & decimestres hæ potius q̄ mares nascūtur. Quo fit vt cùm masculū trigesimo die, aut*

die, aut paulò ampliore tempore vndiquaq; absolutissimam partiũ, conformationem, dearticulationemq́; incipisci dixerimus: eo tempore anima ex sedibus æthereis, diuinoq; ex solio demittatur, quæ tamen non possit simul & sensorias motoriasq; actiones perficere, quoniam temperamenta ad has obeundas, non sint in neruoso genere adhuc cõcinnè satis elaborata, recrementisq; abundè expurgata. Sed primum quidem apertè fœtus sentiat, quoniam humidioribus eget neruis hæc facultas, postmodũ verò moueatur, cùm iam sicciores, solidioresq; nerui facti robustè possint ac fortiter contẽdi, quod in masculis potissimum qui septimo mense sunt prodituri circiter 53 *diem fieri experientia est obseruatũ: quo tempore labores reptante, cõcussoq; fœtu primũ matres vehementius exercẽt. Tum si* 106 *die eosdem inualescere videas, iam poteris certius futurũ esse partũ septimo mense expectare: quandoquidẽ per dierũ quadragenarios fieri partus indicationẽ volebat Hippoc. in lib. de septime. partu idemq; posse propterea existimare debes* 40 *dierũ numerũ, in ipsis quod dies vna in morbis acutis. Quemadmodũ igitur si per impares dies morbus excandescat, cognoscis iudicium fore citissimũ, ita etiam si per impares quadragenariorum numeros grauidæ vehemẽtius cruciẽtur, citissimũ fore huius fœtus exitũ tibi persuadeto, septimo nimirũ mense. Quòd autem* 106 *dies in tertio compræhendatur quadragenario manifestũ est, quoniam tres dierũ quadragenarij* 120 *dies absoluũt. Quod si rursus, quinto quadragenario id fiat etiã, iam nõ coniectura assequi id ipsum, sed certa potius ratione poteris. At verò si per menses id quod diximus velis indagare, scias* 53 *diem in secundo mense contineri: quoniã duo menses* 59 *dies cũ portione pusilla iam antea dixit contenere. Sextus autẽ supra centesimũ quarto mense; quoniam quatuor menses* 110 *dies absoluũt. Neq; arbitreris positum esse quartũ mensem quoniam sit septimi iudicatorius; nusquã enim illud vidimus adnotatũ, quod si inueneris rationẽ tibi satisfacientem, vt libuerit facere poteris. Cæterum cùm in principio libri de septimestri partu dixerit, non esse debere in septimestri fœtu primum & vltimum menses integros, quomodo nos imprœsentiarum diximus quinquagesimum tertium diem intra duos menses esse. Facilis sanè est huius nodi explicatio, aliter enim supputare menses debes, cùm nouisti iam partus, in lucemque editi fœtus diem, aliter verò cùm non vidisti adhuc, sed inquiris potius. Nam si septimo mense iam sit natus fœtus, quo posses septem ipsos menses supputare, est sanè necessium paulò amplius quàm dimidij mensis spatium primo & septimo tribuere mensibus. Ast si in initio ita feceris, hoc est, à primo gestationis vteri die, longè aberis à scopo, cùm nondum scias an septimestris, an nouimestris, an decimestris, an vndecimestris sit futurus. Nam si decimestris partus est futurus, potest etiam primus mensis integer esse: si*

vndecimestris non solum nō integer, sed ne dimidiatus quidem: sed decem, vndecim, aut duodecim tantum dierum, id (inquam) quod medium est à conceptionis die, ad nouilunium vsque: iam scilicet peracto plenilunio.

Ἢ ἀπὸ τῶν γυναικείων ἀριθμητέοι οἱ ἐννέα μῆνες, ἢ ἀπὸ τῆς ξυλλήψιος, καὶ ἐς ἑβδομήκοντα, καὶ διακοσίῃσι οἱ ἑλληνικοὶ μῆνες γίνονται. ἢ ἔτι προσέῃ τούτοισι, ἤτοι τοῖς ἄρσεσιν, ἢ καὶ τῇσι θηλείῃσι.

43. Aut à menstruis, numerandi sunt nouem menses, aut à conceptione, & in ducentos septuaginta dies, Græcanica supputatione absoluuntur, & si quid amplius ad hæc aut masculis, aut fœminis addendum est.

Aliter multò cōuertit Cornarius hunc locum, & nescio quid præterea addit, decerptum ex sexto morborum vulgarium libro. Primum nanq; superiorem orationem eousq; tantum protendit. Labores (inquiens) circa quinquagesimum tertium diem, & circa centesimū sextum. Deinceps iam hæc addit: quæ prorsus in Græco codice desiderātur, scripta tamē sunt septima sexti de morbis vulgaribus libri sectione, Labores tertio, quinto, septimo, nono mense & secundo, ac quarto. Tum postea, sic aliam inchoauit sentētiam. Quæ nosse oportet ad septimum mensem, aut à mensium fluxu numerandi sunt nouem menses, aut à conceptione, & ad septuaginta ac ducentos dies, Græci menses fiunt. Quæ omnia promiscuè, obscureq; turbata sunt: testanturq; satis aut loci obscuritatem, aut tumultuariam viri huius interpretationem, qui inter nostri temporis viros (sine inuidia dixerim) doctissimus esse videtur. Quotus enim quisq; id vel per somnum aggredi ausus est, quod ipse felicissimè ad publicam vtilitatem præstitit? Verum enimuero tantam loci caliginē haudquaquam habeo quo referam. Id tamē certò scio confusè admodum in Græco codice hæc omnia esse conscripta, nōnullaq; planè cum mēdacio scriptoris, alia rursus esse mutilata, alia verò discerpta varijs in locis, vt Penthei membra sparsim iactata. Sed hæc omnia sequentibus orationibus ostendemus. Nunc verò præsentis interpretationem aggrediamur. Cùm iam de septimestri partu egerit Hippocr. in præcedenti oratione, iam nunc se ad noimestrem confert, cuius longissimum statuit terminum 270 dierū, qui, vt antea à nobis dictum est, intra septimum quadragenariū continetur. Sed horum dierum supputationem fieri interdum iubet à mensium fluxu, interdum autē à die conceptionis. Tam longum autē huius depositionis vteri interuallum, ab eo sumptum eo nomine est, quo fœtus ad exitum noni mensis in lucem prodiret: vt magis posset sine periculo educari, ac magis abesset à laboribus octimestribus, quos perferunt omnes in vtero pueri quadraginta ægrotantes diebus, vt ipsemet Hippo. in libro de septimestri partu dicebat. Quare si quispiam fœtus primo

mensis die concipiatur, statuendumque sit omnium mensium integrum interuallum, nouem sanè menses 265 dierum numerum continebunt cum dimidio; quod si addideris (vt ipse in libro de octimestri partu ad calcem iubet) purgationis menstruæ quatuor, aut quinq; dies, id enim est, frequenter spatiū purgationis, iam fient 270 integri dies. Id igitur est quod dicit, aut à menstruis: quoniam menstruorum dies tametsi non sint reuera in spatio gestationis vteri (semper enim post menstrua purgamenta, aut maxima ex parte, vtero concipiunt mulieres) dinumerãdi tamẽ sunt. Nam in lib. de octime. partu ita scribit, δεῖ προσνέμειν τῇ γυναικὶ χρόνον δοῦναι τοῦ μηνὸς ἐν ᾧ αὐτῇ ἡ κάθαρσις ἐστι, καὶ ὁ χρόνος οὗτος ἔστιν ἐλάχιστος γίνεται, τρεῖς ἡμέραι, ταῖς δὲ πλεῖσταις καὶ πολὺ πλείονων. *id est. Oportet igitur mulieri dare tempus mensis, in quo ipsi purgamentū extiterit, & tempus hoc quibus breuissimum trium dierum est; plurimis autem multò plurium. Supputandi igitur rationes in septimestribus, nouimestribus, decimestribus, & vndecimestribus, hoc modo inuicem differũt: quòd septimestres nascantur anno dimidio: quo fit vt neq; primus, neque postremus mensis integri esse debeat, sed sat fuerit si ita fuerint deficientes vt ipsis non amplius q̃ dimidia pars desit. Nouimestres verò nouem in vtero integros menses absoluerunt, ac nõnullos dies aliunde etiam accersunt, nimirum ex menstruis purgamentis. Decimestres verò si primum habuerint integrum mensem, vltimum plurium quàm quatuordecim dierum cum dimidio habere non possunt, quod spatium exactè dimidij mensis est. Vndecimestres verò neq; priorẽ neq; postremum ita productum habere possunt, vt mẽsis medietatem attingat. De decimestribus hoc esto exemplum, constituamus primi mensis dies fuisse viginti, octomensium integrum spatium erit ducentorum triginta & sex; hi ergò numeri si inuicẽ addantur insurget numerus 256 desuntque ad 280 dierum absolutionem, qui terminus statutus est decimestrium 24 dies. Si igitur fœtus post dies 256, diebus decem & octo peractis nascatur, decimestris qui erit, cui deerunt ad absolutionem 280 dierum sex tantum dies, quos tanquã menstruæ purgationis spatium superiori numero addere poteris: & erit 280 dierum numerus integer.*

Quæ sit supputandi ratio in septimestribus nouimestribus, decimestribus, & vndecimestribus.

Ταῦτα ποιέεται ἢ τ' ἀναντία, τῶν βρωμάτων, καὶ πομάτων.

44 Hæc fiunt aut contraria, cibis, & potibus.

Hæc omnia quæ dicta ab Hippo. sunt, nec fiunt perpetuò, nec in omnibus, sed nonnihil contingit immutari hos circuitus, atque hæc statuta tempora, multas ob causas, quæ humanum corpus, aut nimiū, aut mediocriter possunt alterare. Huiusmodi autem sunt, cibi, & potus: quæ ipse recensuit tanquam potiora, & à quibus abstinere haudquaquam possimus. Cibi enim, & potus iugiter corpus nostrum immutant, quorum neq; facultas vna eademque est,

sed alij quidem cibi plus iustò sunt humidiores, vt quemadmodum sanguinem aquosum gignũt, ita etiã & genituram magis serosam, aptam potius ad fœminas, quàm ad mares procreandos. Alij rursus sunt sicciores, qui & densum sanguinem, & crassum semen, modicum tamen efficiũt. Id genus sunt & vigiliæ, & somni immodici, & aëris nos ambiẽtis cõditio, exercitatioque, & ociũ, & innumera alia, à quibus benè aut malè, pro vsus ratione corpus affici potest. Vocant autẽ nostri medici has res non naturales, quas partim naturales, partim verò non naturales potius vocare debebant. Adnotauit autem id ipsum Hippo. libro de genitura in hunc modum scribens: χωρέει δ' οὐκ ἀεὶ τοῦ ἐκ τοῦ αὐτοῦ ἀνδρὸς, ἰσχυρὴ, ἀλλ' ὁτὲ δὲ ἀσθενὴς ἐς ἀεὶ, ἀλλ' ἄλλοτε ἀλλοίη, *id est, semẽ autem non secedit semper ab eodem robustum, neque perpetuò imbecillũ sed aliàs aliud. Quod tamẽ ob vitæ institutionem non aliã ob causam fieri potest.*

Οἱ ὦμοι καὶ οἱ μασοὶ ἐμφυσῶνται.

45. Humeri ac mammæ inflantur.

Dictum id arbitrabere de his quæ vtero gerunt, aut de his quæ vterum deposuerunt: in quibus ad fœtus nutrimentum sanguis sursum ad mammas defertur, qui non ipsis solum, sed in partibus omnibus superioribus, vt humeris vasorũ implet cauitates. Quo fit vt & intumescant supernæ in his omnes partes, quod & mulieres rectè norunt, quæ vbi aliquã viderint stricto pectore, huic consulũt, vt lactet pueros. Quare ἐμφυσῶντα *in hac parte nihil aliud significabit quàm vasorum ob sanguinis multitudinem distensionem.*

Καὶ τῶν ἐν τῇ κεφαλῇ αἱ ἀκρησίαι, καὶ τὰ ἐμφυσήματα ποιέουσιν αὐξήσιας.

46. Et eorum quæ sunt in capite impotentiæ, & inflationes, faciunt incrementa.

Non dubito quin menda subsit in hoc loco, neque enim oratio admodum videtur esse tersa, ac expolita, imò potius mutilata, atque abrupta. Sed cùm non liceat quidpiam immutare, qua meliori poterimus diligentia ipsam interpretabimur, si prius id nobis datum fuerit quod non audemus, nisi ad coniecturam vsque proferre. Nempe ἀκρησίαν *Hippo. vocare impotentiã, aut imbecillitatem, quæ ob humorum multitudinem vires ipsas deprimentem contingit: quoniam* ἀκρασία *propriè fit intemperantia potissimum quæ in victu consistit, quam in helluonibus, voracibusque quibusdã hominibus, qui se ad nauseam vsque saturant, frequenter accusamus. Ab his igitur fortasse sumpta metaphora, in partibus corporis nimio humore obrutis intemperantiam vocauit Hippo. similem affectionẽ ei quæ voraces homines frequenter ob ingluuiẽ corripit. Quod si ita est, rectè haud dubiè dixit, quibus huiuscemodi sunt in capite humorum abundantiæ, ac inflationes, id est, venarum turgidæ distẽsiones, aut vt vno verbo dicam, quæcũque sunt capite causariæ lactare haud*

quaquam

quaquam debẽt, quoniã sanguis ad supremas in ipsis feratur partes, ac prædictæ affectiones ob eam causam sumunt incrementa, quod est sæuiunt ac exacerbantur. Hæc breuiter voluimus adnotare, peritiores plura affer.ant, quæ magis facere ad rem videantur, nam nos hæc decreto non statuimus, sed tremebundi potius iudicium coactique ferimus.

Ἐς' ἂν τὰ ὀστέα στερεωθῇ, τῶν ἐπιμηνίων περίοδος, τὰ πρὸ τούτων βαρέα, ἀδελφὰ τῶν ὀκταμήνων πόνων.

47. Donec ossa roborentur, mensium circuitus est, quæ ante hæc fiunt, grauia sunt, laboribus octimestribus germana.

Docet Hipp. in hac oratione quousq; possit menstruorum purgatio fœminis durare, terminumq́; statuit, ossium soliditatem, ac robur. Cùm enim, ossa solida exactè facta fuerint; iam tunc totius corporis temperamentum ad frigiditatem, siccitatemq́; planè est immutatũ, quod in ipsa senecta prorsus contingit: in qua quoniam non amplius sanguis tanta generatur copia, quin neq; ob frigiditatem temperaturæ mobilis admodum est, nõ potest suopte nutu ad vuluæ vasa delabi: sed maioribus potius venis se cõtinet in minoribus statim concrescens. Neque enim sanguis ad menstrua purgamẽta destinatus, à vuluæ facultate attrahitur; sed mittitur potius, ad quam sanè rem agilitate, faciliq; motione est opus. Hæc est de hac re Hipp. sentẽtia. Quare qui primam huius orationis partem cum præcedente coniungunt, non admodum Hippo. dignam sententiam constituunt, sed confusam potius, nulloq́ue penitus sensu insignem. Quòd autẽ in secunda parte dixit: quæ ante hos fiunt grauia sunt, bifariã intelligi potest, aut quòd dicat, labores acerbos ac graues esse his quibus imminet tempus menstruorum, maturæq́; iam sunt puellæ, quæ vera sanè est sententia, aut quòd intelligat, graues admodum esse cruciatus, similes planè octimestribus, his quibus iam breui cessatura est huiusmodi purgatio, quòd nimirum sanguis qui iam ob venarum exilitatem non potest ad vuluam descendere, vltro citroq; in corpore tumultuetur, ac maximis premat mulierem angustijs, id autem sæpißimè vsu venire contingit: quare vtrumuis intelligas non erraueris.

Πρωτοτόκων τὰ γάλακτα, τῆς μὲν τροφῆς μεταβαλλούσης, τῆς δὲ ὀκταμήνου ἀπαρτιζούσης.

48. Primipararum lac, nutrimento quidem mutationem accipiente, octimestri verò perficiente.

Vitiatam esse, impenséque labefactatam hanc sententiã quiuis facilè intelliget: qui Græci codicis contextũ intuitus fuerit. Nam interposita oratione quam proximè sumus interpretaturi, alterius prorsus instituti, vt videre cuiuis licet, iam iterũ se confert ad menstrua purgamenta, sententiamq́; in hunc

modum

modum auspicatur. Propterea menses octimestribus similes si fiant tendentibus ad decimum mensem, malum. Neque enim cohæret cum præcedente sententia, neque quorsum apposuerit illud διὸ, id est, propterea, diuinare possumus. Sed inclinat potius animus in eam rem vt arbitremur, loco dimotam esse illam sententiam, atque cum hac, quam modo proponimus esse coniungendam, vt pristinam suam sedem recuperet. Quanquam non satis quid sibi Hippocr. voluerit in his verbis nobis sit compertum. Age igitur primum conuertamus has duas sententias hunc in modum: Primiprararum lac, nutrimento quidem mutationem accipiente, octimestri verò perficiente, propterea menses octimestribus similes, si fiant tendentibus ad decimũ mensem malũ. Deinceps verò nostram de hac re feramus sententiam, aut potius coniecturam: quam si quis non libenter admiserit, proferat meliorem. nulla enim in re de nobis quispiam melius mereri poterit, quàm si nos effecerit doctiores, nihil enim veritatis studio vnquam habuimus antiquius. Sed video planè vasto in gurgite, Delio natare esse opus. Arbitrati igitur semper sumus primam huius orationis dictionem in præcedentem orationem esse reijciendam, vt oratio ita scripta haberetur: Donec ossa roborentur mensium circuitus est, quæ ante hos accidũt acerba sunt laboribus octimestribus germana, qualia primipararũ, adijciẽdamq; esse orationi dictionem vnam, aut alteram ὡς καὶ in hunc modum ἐς' ἂν τὰ ὀστέα στερεωθῇ, τῶν ἐπιμηνίων περίοδος, τὰ πρὸ τούτων βαρέα, ἀδελφὰ τῶν ὀκταμήνων πόνων, ὡς καὶ τῶν πρωτοτόκων. Itaque hac oratione doceret, nõ secus esse acerba quæ primiparis in partu accidunt, ac ea quæ octauo mense contingunt, perindéque discruciari ac grauiter affici fœminas in prima vteri depositione, atq; illæ, quibus menses ad statutũ tempus liberè fluere non possunt, in prima mẽstruorũ eruptione: quas omnes periclitari tunc maximè ne in sæuissimos morbos incurrant iam antea à nobis dictum est. Quòd autem & primiparæ grauius quàm hæ quæ sæpius vtero gestarunt, in partu afficiãtur, non semel sed iterum atque iterum dixit Hippo. Primumque in libro de morbis mulierum primo, vbi scriptum ita reliquit: καὶ μᾶλλον πονοῦνται αἱ πρωτοτόκοι, ἢ αἱ ἤδη ἀσὶν ἔμπειροι τόκων, id est, Et magis cruciãtur primiparæ his quæ iam partum sunt expertæ. Atque in libro etiam de pueri natura hæc inquit: μάλιστα δὲ πονέονται αἱ γυναῖκες ἐν τῷ τόκῳ, καὶ ἐν τοῖσι λοχίοισι αἱ πρωτοτόκοι, καὶ αἱ ἐλάσσω τετοκυῖαι τῶν πλέω τετοκυιῶν μᾶλλον πονέονται. i. Laborãt verò in partu puerperióque vehementissimè quæ primum pariunt, & quæ non adeo frequẽter vterum tulerunt, his quæ sæpius, magis cruciantur. Id ipsum etiam in calce eiusdem libri testatur. Quare præsentem orationẽ ita esse legẽdam ducimus: Lac nutrimento quidem mutationem accipiente, octimestri verò perficiente, quod bifariam intelligi potest. Aut quòd lac generetur ob sanguinis nutrimentique

redundan-

redundantiam in mammillis transmutari, quod in libro de alimẽto hoc modo scripsit: γάλα καὶ αἷμα τροφῆς πλεονασμός. *id est, Lac, & sanguis, nutrimenti ob redundantiã. Aut quòd sanguis, qui antea ad vuluam suopte nutu ferebatur nunc iam mammarum facultate attractus in lac transmutetur, quod quoniã octauo mense potissimũ sumit absolutionem (vt Galenus scripsit) propterea ab Hippo. dictum arbitramur, octimestrem aut octauum mensem lac ipsum potissimum perficere, modisque omnibus elaboratum absoluere. Quo fit vt si menses eo tempore apparuerint, malum proculdubiò significent, deorsum nimirum lactis materiã deuolui, quæ sursum potius ad mãmas ferri debuerat. Magis autem id in his quæ ad decimum mensem iam tendunt cauendum est, quoniam multò maiore vt fiat eget occasione, diutius consueto humore se ad mammas conferre. Itaque coniungi satis commodè poterit, ea quæ paulò post scribetur sententia, ad calcem istius: propterea menses octimestribus similes, si fiant tendentibus ad decimum mensem, malum. Non dubito tamẽ quin multos non saturabit hæc interpretatio, nec miror sanè cùm neque nos admodum ei acquiescamus, sed potius arbitremur, scriptorum imperitia aut potius incuria, cicatricosam faciem ostentare in hac parte Hippocratem.*

Quinta aphorismorũ sectio trigesi. nono aphorismo.

Τραυμάτων ἢν ἰσχυρῶν ἐόντων οἴδημα μὴ φαίνηται, μέγα κακὸν, τὰ χαῦνα χρηστὸν, τὰ ἄνω νεμόμενα κάκιον.

49. Si in vulneribus fortibus, tumor non appareat, ingens malum, laxa, bonum, quæ sursum pascendo repunt, deteriora.

Scripta habetur hæc sentẽtia Aphorismorum quinta sectione ad calcem, quare longiore expositione non erit opus. Duntaxat paucula quædam adnotabimus: quo nota vtcunq; euadat Hippo. sententia, plura nanque ex Galeni commentarijs tibi poteris comparare. Dixit ergo Hippocr. si in vulneribus fortibus tumor non appareat, ingens malum: quoniam in his suspicandũ sanè est humores ad vulnera defluẽtes, ad partes corporis necessarias transmutari ex quibus in discrimen maximum ægrotãtes citissimè perduci possint. Propterea magis arridebat Galeno vt illud μέγα *potius ad* κακὸν, *id est, malum quàm ad* οἴδημα. *i. tumorem referatur: quanquam vtrumuis rectè constare posset. Addit autẽ in aphorismis* πονηρῶς. *i. prauis in hunc modum, si in vulneribus fortibus, & prauis tumor nõ appareat, ingens malum. Arbitratusq; Galenus est praua esse vulnera potissimum quæ capitibus, aut finibus musculorum fuerint illata: quoniã in illis nerui inserãtur, ex his verò tendines procedant. Quare in his partibus existentia vulnera, magnos sanè concitant, vehementesque dolores, cum quibus etiam ad locum affectũ humores demittãtur. Hos igitur medici per imperitiam interdum reprimere conantes, medicamenta adhibent frigida ac reprimẽtia, ex quibus vulnerum labra inarescunt exsiccan*

exſiccanturq;: cùm potiùs calida, ſiccaq́ue medicamēta ob neruoſam ſubſtātiam debeāt adhibere. Proptereà adiunxit, laxa bonum, quoniam partis cōcoctricem facultatem non admodū eſſe vitiatam ex his deprehendimus: quæ verò ſurſum depaſcendo repunt deteriora, quoniam humoris bilioſi aut alioqui mordacis præſentiam ſignificent. Sed quoniā dictum eſt, ſurſum paſcendo repūt, Græcè autem ἄνω νεμόμενα, neque maius denotet malū, cùm ſurſum quàm cùm deorſum, aut cùm in circuitu humoris acrimonia carnē rodit: arbitramur mendoſè ſcriptum eſſe ἄνω νεμόμενα, pro ὠμὰ, quæ dictio cruda ſignificat. Moueorq́ue magis, quoniam in Aphoriſmis ita ſcriptum ſit: τὰ χαῦνα χρηστὰ, τὰ ὠμὰ κακὰ, id eſt, laxi tumores boni, crudi mali. Atque ita rectè ſanè habet, eſtq́ue ſententia Hippo. digna, quoniam molli opponitur durū atque renitens, Hippocr. verò crudum ipſum nominauit. Neque enim fieri poteſt vt ſit tumor renitens, benè concoquente natura quæ ad partem mittuntur recrementa.

Διὸ τὰ ὀκτάμηνα, ἀδελφὰ τῶν ὀκταμήνων πρὸς δεκάμηνον τεινόντων γινόμενα κακόν.

50. Propterea menſes octimeſtribus ſimiles, ſi fiant tendentibus ad decimum menſem, malum.

Luxatam fuiſſe hanc partem, ac ſuam propriam amiſiſſe ſedem iam diximus, quare ipſam in priſtinam ſedem reſtituere poteris, quò magis ſermonis ſeries conſtet.

Οἷσιν οἰδήματα ἐφ' ἕλκεσιν, οὐ μάλα σπῶνται, οὐδὲ μαίνονται. τούτων δὲ ἀφανισθέντων ἐξαίφνης, οἷσι μὲν ἐς τὰ ὄπισθεν σπασμοὶ μετὰ πόνων, οἷσι δὲ ἐς τοὔμπροσθεν, ἢ μανίαι, ἢ ὀδύναι, πλευροῦ ὀξεῖαι, καὶ δυσεντερίη ἐρυθρή.

51. Quibus tumores in vlceribus fiunt non valdè cōuelluntur, neque deſipiunt, his autem de repente euaneſcentibus, quibus quidem ad poſteriora, conuulſiones, cum laboribus, quibus verò ad anteriora, aut inſaniæ, aut dolores lateris acuti & dyſenteria rubra.

Docet apertè hæc ſententia temerè præcedētem in hunc locum irrepſiſſe, in quo & nunc ſcripta habetur. Quoniā hæc quam modo ſumus interpretaturi, proximè aut ſequi, aut antecedere debeat illam, in qua ſcriptum in hunc modum eſt: Si in vulneribus fortibus tumor non appareat, ingens malū. Nam & in aphoriſmis ipſam eijſdem penè verbis ſcripta præcedit, eiuſdē ſiquidem ambæ ſunt inſtituti. Cùm enim antea dixiſſet ingens eſſe ac grauiſſimū malū, non apparere tumorem in fortibus vulneribus, æquum ſanè fuit ac maximè operæpretium indicare, quænam inde timeri debeant ægrotantibus diſcrimina, quæ abundè ſatis ſunt in hac oratione explicata. Nam ſi vulnus in poſterioribus

rioribus corporis sit partibus, veluti in dorso, maximè conuelluntur, quoniā pars ea corporis neruosa planè sit, ac similē facilè cōcipere possit affectionē, neruoso omni genere consortij ratione vitiato. Si verò partibus anterioribus vulnus illatum fuerit, reliqua omnia sequuntur incommoda veluti insaniæ, lateris vehementes dolores, aut rubræ dysenteriæ. Quando enim huiuscemodi partes venis plurimis, arterijsq; scatent, siquidem ad caput humorum impetus tēdat, insaniæ, si ad thoracem potius lateris dolores, aut pulmonum vitia aut suppurationes contingunt, si ad infernas partes detrudatur humor, dysenteria rubra, non ea quidem, quam humorum ad intestina acrium influxus pepererunt, sed ea potius quæ rubra nominatur exanastomosi, aut reseratione venarum, quæ ad intestina pertingunt, quod & adnotauit Galenus tum in Aphorismo, tū etiā libro de morbis popularibus tertio in hunc modū scribēs: οἱ δὲ ἐρυθροὶ καὶ πρὸς μελαγχολίαν ἐπιτήδειοι, παχὺ καὶ θερμὸν ἔχοντες αἷμα, τοῖς φρενιτικοῖς τε καὶ καυσώδεσιν εἰκότως ἑάλωσαν νοσήμασι καὶ δυσεντερίαις ταῖς αἱματηραῖς ὡς εἰκὸς μάλιστα. μεμαθήκαμεν γὰρ ὅτι διτταί τινές εἰσιν. ἐξελκώσεως μὲν ἀναβρωθέντων τῶν ἐντέρων ἑτέρα διαφορά, πολλοῦ δ᾽ αἵματος ἐκκενουμένου διὰ τῶν εἰς ἔντερα καθηκουσῶν φλεβῶν, ἡ λοιπή. *id est, Rubri verò & ad melancholiam accommodati crassum, ac calidum sanguinem possidētes, phreniticis affectibus atque ardentibus febribus iurè correpti sunt, & dysenterijs sanguineis, vt verisimile est maximè. Nam duplices ipsas esse nouimus, alteram ex intestinorum erosionibus, alterā verò ex multitudine sanguinis, qui de venis ad intestina pertingentibus fluit. Qua in parte adnotandum censeo, paulò aliter in aphorismus haberi extremam huius partem, hoc modo:* ἢν ἐρυθρὰ ᾖ τὰ οἰδήματα. *id est, si rubicundi fuerint tumores. Nam huiusmodi, sanguinis calidi, crassique multitudinem maxima ex parte significant: atque ex genere sunt imflammationū. Hippo. autem omnes præter naturam tumores* οἰδήματα *consueuit nominare. Addubitauit tamē Galenus num in vniuersum de partibus omnibus corporis anterioribus, & posterioribus sententia Hippo. esset intelligenda, an potius membra corporis extrema (quæ* κῶλα *Græci dicunt) veluti brachia, ac tibiæ essent secludēda, quod magis amplexatus esse videtur. Cùm frequentius ex magno tendine, qui in partibus genu anterioribus est, conuulsionē accersi videamus, quàm ex vulnere posterioris alicuius in musculi meditullio quoniā carnosius sit. Quare multò melius fuerit, sentētiam in hunc modum intelligere. Vulnera in neruosis particulis à quibus tumores de repente abierunt conuulsiones aduocant, quæ verò in alijs potius sunt partibus, aut insaniam, aut lateris fortes dolores, aut dysenteriam rubram.*

Τὰ οἰδήματα παρὰ λόγον ῥηΐζοντα, κίβδηλον, οἷον τὸ τοῦ Ἀνδρονίκου παιδίῳ τὸ ἐρυσίπελας ἐπαλινδρόμησεν, ἢν μὴ ἐς τὸ αὐτὸ ἐλθὸν χρηστόν τι σημαίνῃ, τοῦτο ἐκ τε γενέσιος

γενέσιος περὶ τὸ οὖς περὶ ἥβην διεδόθη, ἑτέρῳ τριταίῳ ἐκ γενετῆς γενομένῳ ἀπεπύη ἐνναταίῳ. γίνεται οὗτος ἑβδομαῖος ὑγιής.

52. Tumores præter rationem leuantes, subdoli sunt (quemadmodum Andronici puero sacer ignis recurrit) si non ad eundem locum remeantes, bonum quidpiam significent. Hoc ex generatione circa aurem, ad pubem distributũ est. Alteri tertia postquam in lucem editus est die factus, nona suppuratum est. Euasit hic septima die sanus.

Dictum esse per parenthesim arbitrabere illud, quemadmodum Andronici puero sacer ignis. Reliqua huius orationis sunt aperta, nihilque prorsus aliud docent, quàm id quod sæpissimè ab eo dictum est, melius multò esse tumores omnes ad corporis superficiem conuerti: relictis interim partibus corporis maximè necessarijs. Scriptum nanq; de his ab eo est, & in aphorismis, in hunc modum: Erisipelas intro conuerti malum: & in hoc secundo etiam vulgarium morborum libro antea: Quæ nullo relicto signo euanescunt malè decernunt, quemadmodum Polemarchi pedissequæ sacer ignis.

Κακοηθέστερα τὰ ἀφανιζόμενα. ἐξαίφνης.

53. Nequiora sunt quæ confestim euanescunt.

Eiusdem planè generis est, & hæc sententia: verum non est citra distinctionem enuncianda: nam euanescere, aut aboleri tumorem aliquem, quod Græcè Hippocrates dixit ἀφανίζεσθαι, *nõ idem est ac sedari, quod ipse* παύεσθαι *dicit. Nam vt Galenus libro prædictionum secũdo apertè scripsit, sedari tumorem* γενικώτερόν τι δηλοῖ. *id est. generalius quidpiam significat, aboleri verò non sedari tantum, sed de repente, aut confestim quod Hippocrates hoc in loco dixit* ἐξαίφνης. *Id autem potest multas ob causas cõtingere, aut ob humoris tenuitatem, qui facilè cutis meatus subiens difflat: aut ob medicamenti discussorij adhibiti facultatem, aut ob virium potius firmitudinem. Quod si hæc omnia: potissimum in vnum coëant, quàm citissimè euanescet, tumorem aliquem efficiens humor: quod nihil sanè mali tunc portendet. At verò si deleatur, aut euanescat, quoniam humor ad internas corporis sedes se conferat, quod Hippocrates* παλινδρομεῖν *nominare consueuit, omniũ maximè pestilentissimum erit: summam quandam virtutis significans imbecillitatem. Quod non in tumoribus solum, sed in omni prorsus euacuatione cauendum maximè est.*

LIBRI TERTII FINIS.

HIPPOCRATIS COI LIBRI SECVNDI DE MORBIS VVLGARIBVS SECTIO QVARTA,

De Venis, Petro Iacobo Steue Valentino Medico interprete.

PRAEFATIO.

Haudquaquam me facturum operæpretium arbitror, si non ingenuè, quod sentio, de his quæ mox sum interpretaturus, protulero. Neq; enim parui adeò hæc referunt, vt obiter perfunctorieq; transigenda sint, præsertim cùm de Hipp. autoritate, summi semper viri, nunc agatur: quem non est æquũ aliqua in parte dormitasse putare: sed omnia potius summa cũ diligentia, ac studio tradidisse, quod sanè factũ impræsentiarũ haudquaquam videmus. Cùm crassa hæc, rudisq; venarum delineatio, tantũ abest vt summam viri alicuius diligentiam, in secandis corporibus testetur, vt ne mediocrem quidẽ: & quid mediocrem? imò tumultuariã potius, ac sordidam planè, quàm ad summũ aliquem, maximiq; nominis virũ autorem referre, nefas sanè maximũ esse arbitramur. At verò quanq̃ priscis illis temporibus nõ admodũ exculta partiũ corporis anatome fuisse videatur, tamẽ quod aliò referri iurè potest, nunquam nos in viri alicuius egregij ignominiã, dedecus'ue detorquebimus. Quare arbitramur imperitum aliquẽ, ac rudem scriptorẽ, nõnulla huic de venis sectioni adiecisse: atq; ab ipso huius sectionis titulũ, scriptũ esse περὶ φλεβῶν. i. de venis, neutiq̃ verò ab ipso Hippo. nõ enim duntaxat de venis, sed etiã de neruis quibusdam, & alijs rebus, hæc quarta secundi libri sectio est instituta. Atq; nisi nos Galeni deterreret autoritas, quæcunq; in hac quarta sectione habentur ad venarũ aut neruorũ anatomen spectantia spuria, ac notha, neq; Hippo. digna intrepidè constanterq; asseueraremus. Sed quoniã vir ille summi sanè, acerrimiq; in dijudicandis legitimis Hippo. codicibus ingenij, ad suam fulciendam autoritatẽ, hanc admittat libri huius priorem sentẽtiam, in qua cauam venam iecorariam vocauit, nõ possumus nos leui momẽto ab eius viri sentẽtia deflectere. Nam in lib. de humana natura, cõmentatione secunda in hunc modũ scripsit, dum videlicet damnaret, quæ adiecta illi libro erãt, de quatuor venarũ coniugijs, falsò admodũ Hipp. ascripta. καὶ ταῦτα γέγραπται μὲν ὑφ' ἱπποκράτους ἐν τῷ δευτέρῳ τῶν ἐπιδημιῶν ἡπατίτιν ὀνομάζοντος αὐτοῦ τὴν κοίλην φλέβα. i. scriptaq; hæc ipsa sunt ab Hippo. in. 2. de morbis vulg. lib. iecorariam nominante eam quæ caua dicitur. Idem & alibi ab eo scriptum est, lib. de placitis Hippo. atq; Platonis. 6. quæ omnia nos admodum pendere animo faciũt, vt neq; liberè quid de hac re certò statui debeat audeamus proferre. Nam plurimæ sanè sunt neq; eædẽ exiguæ rationes, quibus falsò hanc partem Hipp.

T fuisse

fuisse ascriptã censeamus. Primũ quod lib. de ossiũ natura, in quo plurima, ac propemodũ omnia sunt Hipp. indigna, vbi ad verbũ illã quam Gale. li. de hominis natura damnauit de venis sẽtẽtiam, scriptã ad verbũ esse videmus hæc similiter sine interruptione sermonis, cõtinetur, nullo planè verbo immutato, vt facilè quis inde intelligat eundẽ esse vtriusq; sẽtẽtiæ autorẽ. Deinde verò quod auget opinionẽ illud sanè est, quod in nullo legitimo Hippo codice nomẽ arteriarũ de pulsatilibus venis efferatur, cui dũtaxat (docẽte Galeno) multis in locis, quemadmodũ antiquis omnibus, eam quæ ex pulmonibus in laryngem emergit, arteriã nominare fit consuetũ. Nam ipsi venarũ nomine arterias nominabãt, quod & factitasse Plato et Aristoteles vidẽtur. Ad hæc etiã sententiã confirmat incõdita orationis structura. Deniq; tam crassa, cõfusáque, crassissimarũ venarum, neruorumq; delineatio, quam etiamnũ carnifices cognouerunt, nõ videtur esse Hipp. digna, nihil enim habet vel minimum artificiosæ narrationis. Quare ferat quisq; pro arbitrio sententiam: nobis enim sat fuit lectorem cõmonefacere. Neq; enim quid certò de hac re statuendũ sit, ita facilè audemus proferre. Nunc verò ad huius sectionis enarrationem accingemur.

Libro de antidotis.

Lib. quòd animi mores corporis temperaturam sequuntur.

Ἡπατῖτις ἐν ὀσφύϊ, μέχρι τοῦ μεγάλου σπονδύλου κάτωθεν, καὶ σπονδύλοισι προσδιδοῖ ἐντεῦθεν, μετέωρος δι' ἥπατος, καὶ διὰ φρενῶν ἐς καρδίην. καὶ ἡ μὲν εὐθεῖα ἐς κληῖδας. ἐντεῦθεν δὲ αἱ μὲν ἐς τράχηλον, αἱ δὲ ἐπ' ὠμοπλάτας, αἱ δὲ ἀνακαμφθεῖσαι κάτω, παρὰ σπονδύλους καὶ πλευρὰς ἀποκλίνουσι. ἐκ δὲ ἀριστερῶν μὲν μία ἐγγὺς κληΐδων. ἐκ δεξιῶν δὲ ἐπί τι χωρίον ἄλλη. ἡ δὲ σμικρὸν κατωτέρω ἀνακαμφθεῖσα, ὅθεν μὲν ἐκείνη ἀπέλιπε προσέδωκε τῇσι πλευρῇσι, τῇσιν ἐπιλοίποισιν ἁπάσαις, ἡ ἔνθεν καὶ ἔνθεν ἀποσχίδας ἐς ἑκάστην δίδωσι μία ἐοῦσα. ἀπὸ μὲν τῆς καρδίης ἐπί τι χωρίον ἐν τοῖσι δεξιοῖσι μᾶλλον ἐοῦσα ἐπὶ τὰ ὑποκάτω τῆς ἀρτηρίης, ἐς' ἂν καταναλωθῇ, ἐκ ἔλθῃ, ὅθεν ἡ ἡπατῖτις ἐμετεωρίσθη. πρότερον δὲ πρὶν ἢ ἐνταῦθα ἐλθεῖν, παρὰ τὰς ἐσχάτας δύο πλευρὰς ἐδιχαιρέθη. καὶ ἡ μὲν ἔνθα, ἡ δὲ ἔνθα τῶν σπονδύλων ἐλθοῦσα καταναλώθη. Ενθεῦ δὲ ἀπὸ καρδίης πρὸς κληΐδα τείνουσα ἄνωθεν τῆς ἀρτηρίης ἐστί. καὶ ἀπὸ ταύτης ὥσπερ καὶ παρ' ὀσφὺν κάτωθεν τῆς ἀρτηρίης ἀΐσσει ἐς τὸ ἧπαρ, ἡ μὲν ἐπὶ πύλας καὶ λοβόν, ἡ δὲ, τὸ ἄλλο ἑξῆς ἀφορμήκει, σμικρὸν κάτωθεν φρενῶν, φρένες δὲ προσπεφύκασι τῷ ἥπατι, ἃς οὐ ῥᾴδιον χωρῆσαι. Δισσαὶ δ' ἀπὸ κληΐδων, αἱ μὲν ἔνθεν, αἱ δὲ ἔνθεν ὑπὸ στῆθος ἐς ἦτρον, ὅπῃ δὲ ἐντεῦθεν, οὔπω οἶδα. Φρένες δὲ κάτω κατὰ τὸν σπόνδυλον τὸν κάτω τῶν πλευρῶν, ᾗ νεφρὸς ἐκ ἀρτηρίης, ταύτῃ ἀμφιβεβήκει. αἱ ἀρτηρίαι μὲν ἐκ τοῦ τένοντος ἐκπεφύκασιν ἔνθεν καὶ ἔνθεν ἀρτηρίης τόνον ἔχουσαι, ταύτῃ δ' ἔπῃ παλινδρομέουσα ἀπὸ καρδίης ἡ ἡπατῖτις ἔληγεν, ἀπὸ δὲ τῆς ἡπατίτιδος διὰ τῶν νεφρῶν αἱ μέγισται δύο, ἡ μὲν ἔνθεν, ἡ δὲ ἔνθεν φέρονται μετέωροι. πολυσχιδέες δὲ διὰ τῶν φρενῶν εἰσὶν ἀμφὶ ταύτας, καὶ πεφύκασιν ἄνωθεν διὰ φρενῶν. αὗται δὲ μᾶλλόν τι ἐμφανέες.

Hepatitis; id est, iecoraria: in lumbis vsque ad magnam vertebram deorsum, indeque vertebris ipsis cõmittitur, sublimis per iecur ac septũ transuersum in cor tendens. Et rectà quidem ad clauiculas, hinc verò partim in collũ, partim in operta scoptula, partim infernè detorta vertebris, & costis propagines mittit. Atque in sinistris quidem vna prope clauiculas: in dextris verò ad certum locum alia prorumpit, quę paulò inferius reflexa, qua illa defecit, illac per costas residuas omnes fertur, hinc inde ramos in vnamquanq; deriuans. A corde quidem ad locum quendam, in dextris magis sub arteria fertur: donec delitescat veniatq; eò vnde iecoraria attolli cœpit. Antea verò priusquam illuc esset progressa, ad vltimas duas costas diuisa est: atque hæc quidem hinc, illa verò inde iuxta vertebras euanescit. Cæterum rectà à corde ad clauiculas tendens, arteriæ superstrata est, atq; ab hac circa lumbos, subter arteriam in iecur pergit: partim in portas, & iecoris fibram, partim verò in reliquum deinceps paulò sub septo transuerso. Septum autem transuersum iecori pertinacius adhæret, quàm vt facilè separetur. Geminæ porrò venæ à clauiculis vtrinq; sub pectore in abdomen tendunt: quo autem inde tandem ferantur, nondum noui. Septum autem transuersum, iuxta vertebrã, quæ post costas est, qua rem ex arteria propaginem sumit, circumcingit: cui arteriæ ex tendine adhærent, hinc inde arteriæ tonum habentes. Hac igitur parte iecoraria à corde recurrens finem habet. A iecoraria præterea magnæ duæ venæ ad renes vtrinque propagantur, sublimes. Ac per septum transuersum multifidæ feruntur iuxta has, & nascũtur superius, & inter septi transuersi venas hæ maximè sunt conspicuæ.

Hæc est autoris, siue ipse Hippo. sit, siue alius quispiam sententia de venis: quam integram voluimus, minimeq; membratim discerptam apponere, quo facilius quisq; vnico intuitu totam ipsam possit perlustrare: neq; cogatur hinc inde diuulsas partes in vnum cõponens, contextũ, sermonisq; continuitatem scrutari. Verum priusquam ad orationis propositæ expositionẽ veniamus, primum tota venarũ distributio à nobis breuiter quoad fieri poterit est percensenda: quam multoties nos diligenter seduloque sumus scrutati, quamq; bona fide tradere etiam poterimus. Iecur igitur ipsum venarum omnium principium, quemadmodum & cor arteriarũ, & cerebrum neruorum

citra dubietatem aliquam constituamus, quod abūdè satis est à Galeno demonstratum, tum libro de placitis Hippo. atq; Platonis, tum etiam libris de vsu partium, & de anatomica administratione, & alibi frequentißimè inculcatum. Nihili planè facientes quicquid Aristoteles de ortu ipsorum atq; etiam neruorū falsò asseruit, ac alij ipsius asseclæ pariter, nō alio sanè nomine, quàm ne viderentur id solum libris suis inseruisse, quod omnium cōmuni consensu est confirmatum. Pluris enim faciūt videri sapientes erutis quibusdam sordidis, atq; exoletis dogmatibus, quàm à claßicorū virorū stare sententia. Itaq; ex iecore primum, sanguinis fonte iecoraria vena oritur: quam alij plures ab insigni cauitate, ac amplitudine κοίλην καὶ μεγάλην dixerunt. Hæc craßißimo quodā trunco, ac veluti caudice de iecore, perinde ac arbores de terra erūpit: plurimas vltro citroq; per omnes iecinoris fibras propagines radicum instar demittunt, quæ à superna visceris regione, quam gibbam vocant, introrsum sensim prorepentes, tantisper multifidæ ferūtur, dum por tarum finibus in caua infernaq; iecoris regione distributis cōmittantur, quo poßint in portis contentū nutrimenti succum, exsugentes, exactius in sangui nem transmutare visceris ipsius facultate, demumq; exactè elaboratum, per vniuersum animalis corpus distribuere. Vbi igitur ex visceris gibba parte iuxta animalis spinam primum enascitur, partim ad superiora, partim verò ad inferiora perreptat, singulis corporis partibus canales sanguinis quosdā distribuens, qui nō secus ac riuuli per terram illabentes, singula humectent, foueant, ac nutriant. Nam partes singulæ ex his, quæ per ipsarū substantiā sunt distributæ venis, quod vtile est ac ad propriam nutricationē accommodatum ad se pelliciūt: propria attractrice facultate, quam temperamenti similitudine perfici Galenus monstrauit: cuiusmodi sunt omnes substātiarum attractiones. Vt non alia de causa id quod nutriendum est, alimentum ad se aduocet, quàm purgans medicamentum similem humorem, aut magnes ferrum ad se trahat. Quare Arabum de hac re sententia prorsus iam explosa esto, quantumuis grauiter id ferant huius factionis ac sectæ patroni. Sed de his alibi latius erit differendū, nunc verò cauæ venæ soboles ad supernas cor poris partes primum distributas aggrediamur. Insignis igitur caudex inter iecoris ipsius substantiā et septū trāsuersum, versus superiores corporis par tes est conspicuus, satis quidē manifesto interuallo: vt nō poßit cōmodè cum veritate cohærere, quod autor in hac parte scripsit magno cū mēdacio, septū (inquiens) trāsuersum tam pertinaciter iecori hæret, vt nō poßit facilè separari. Verūtamen id non de superna visceris parte intelligendum reor, quam omnes minimè septo coalitā cernere poßūt, sed de ea potißimū quæ vertebris ad spinā adhæret. Posteriores nanq; huius rotūdi musculi fines ad notharū

Venæ cauæ distributio.

costarum

costarum terminos pertingunt, cui parti iecur innixum esse omnes anatomicæ professionis magistri apertè norunt. Atq; ita videmus cum iecoris frustis ex macello deferri interdum septi transuersi insignem aliquam portionem. At vero vbi septum transuersum adit crassissimus ille caudex, vtrinq; singulas propagines ipsi offert, quæ totam eiusdem substantiam carnosam perreptant: à quibus etiam exilis quidam surculus in cordis inuolucrum, quod περικάρδιον vocant, hinc inde exporrigitur. Cumque ea ingens vena, quam caudici non adeò pridem similem dicebamus septo transuerso iuxta mediā ipsius neruosam substantiam occurrat, insigni quodam foramine in dextra magis parte ipsam pertundit: simul & cordis inuolucrum permeans, quod inferiori parte pertinaciter septo adhæret. Iam verò inde modicè ad dextram contorta, vt arcus curuaturam non obscurè repræsentet, sursum ad cor ipsum perreptat: sinistraq; sui parte dehiscens amplo quodam osculo, in dextrū cordis sinū iuxta ipsius dextram aurem se insinuat. Quo in loco ex posteriori maximè connexus sede, soboles quædā ex caua in cordis substantiā decurrit: quæ ipsum in coronæ modum circundat, vnde στεφανιαῖα, id est, coronalis appellatur. Hæc interdum gemina videtur: vt perinde ex anteriore connexus sede, atq; ex posteriore emergat: quam Galenus exiguam exilemq́ue esse dixit, nempe ipsam cum his quæ in thorace disseminantur, quæ omnes ob viscerum in ipso repositorum ingentem caliditatem crassissimæ, latissimæq́ue sunt, conferens. Gemina autem ab eo hæc dicitur, quòd ita frequenter in viscere occurrat, duabus propaginibus insignius, quanquā & simplex à posteriori parte emergens non raro videatur. Sed iam inde altius sublata magna vena, membranam quæ cor vndiquaq; amplexatur permeans, non tam insigni magnitudine deinceps cernitur, vtpote quæ bonam sanguinis partē, quæ ipsam vehementer crassam exposcebat, in corde deposuerit, ac ipsa leuior multò, contractiorq́ue sit facta. Verum sensim ad vertebrarum sedes contendit, cùm antea vt cordi commodè posset adnasci & in dextram modicum curuari partem, & sursum sublimem ferri fuerit necessum. Quare non potuit ritè his partibus quæ inter septū transuersum & summam cordis basim interiacent, propagines aliquas ex se demittere. Atq; hinc factū est, vt ea ex parte, quæ iam firmam vertebrarū sedem adepta est, crassa quædā soboles prodiret, ex dextra nimirū ipsius parte, quæ deorsum contorta secundum dextrum vertebrarū latus ad vsq; secundā lumborū vertebram ferretur, vtrinq; surculos singulis costis distribuens, ex quibus hæ partes alimentū pelliceret. Neq; sanè damnandus in tradendo huius venæ ortu Galenus est, qui dixerit ex ea venæ cauæ parte prodire octo inferiores costas enutrientē venam, qua cordis dextra auris est posita. Nam id in libro de victus ratione in morbis acutis perfunctoriè

 tradidit,

tradidit; alibi verò iam dixit paulò supra cordis auriculam hanc venã emergere: sed quoniam in quibusdam animalibus quæ longiorem habent thoracem potissimũ, multò maius est interuallum inter cordis basim & huius venæ ortum, quàm in hominibus, videretq; non maximi admodũ referre ad morborũ curationẽ siue simul, vnaq; cum dextrà cordis aure prodiret, siue paulò superius, exiguũ sanè illud discrimen, quod nonnulli religiosè admodum obseruant, contemnẽs, simpliciter dixit: ex caua vena hunc ramum oriri, ex ea nimirum parte quæ dextræ auriculæ respondet. Quis enim quæso non illud facilè intueri posit, vel in vnica anatomes administratione, quod statim se oculis nostris offert, vel minimũ reuulsis in sinistram partem pulmonibus. Nam nullam corporis humani administrationem aggressum fuisse Galenum suspicari, stultum; audere autẽ proferre extrema est dementia. Doctorum nanque virorum ac boni iudicij nemo est sanè vllus qui id vnquam credat. Cæterum iam prorsum tendamus vt breui possimus singulas ipsius cauæ venæ propagines recensere. Ab ea igitur parte, à qua enasci modo dicebamus, inferius detortam venam, secundũ dextrã vertebrarũ sedem, quam quoniam pari caret ἄζυγον Græci vocarũt, iam rectà ad iugulum vsq; ferè procedit crassus venæ cauæ caudex, inibique bifariam dispescitur, sub ossis pectoris sede suprema. Vterq; autem dissectionis ramus, vtpote qui crassissimus maximeq; vegetus sit, quadrifariam primum secatur, atq; prima ex anteriori parte vtrinq; soboles, per summa ossis pectoris, extrorsum perreptans singulas thoracis externas partes adit, deorsumq; vsq; ad abdominis musculos fertur, ac potissimum in rectum musculum propaginẽ mittit: reliqua verò portio in cutem abdominis distributa absumitur. Sed ille qui in rectum inseritur musculum paulò supra vmbilicum in aliquot surculos finit: qua parte alterius venæ propagines spectantur, quæ sursum recurrit, ab ea quæ supra inguina est in interiori regione, cùm iam longo interuallo vtrinque in crura vena magna est distributa. Altera verò magis ad latera vtrinq; apparet, cõmunem cum axilari radicem ferè possidens, hæc deorsum versus excurrens, duas, aut tres (quod maximum est) costas attingit, quas vt nutrire cõmodè possit, in singulas earũ satis insignem ramum demittit. Vnde factum optimo consilio est, vt superioribus costis inflãmatione obsessis vena potius secãda sit, quàm purgans medicamentum administrandum, quemadmodũ docebat Hipp. Neq; simpliciter secanda vena vtcunq; est: sed axilaris potius, eius nimirũ partis, quam inflãmatio corripuit: quoniam secta axilari in brachio vena cõfestim & hæc quæ superiores enutrit costas exhauritur, quod faciendum medico Hippo. iussit. Quare nisi tantum vnica vacuatione detraxeris, quantum præcepit Hippo. dubitarem sanè vtrũ horũ melius fuerit, nihil prorsus euacuasse, an restitisse

Galenum nullũ humanum corpus secuisse extrema est dementia credere.

In laterali morbo quænam vena secanda sit.

medio

medio in itinere. Neq; enim temerè Hippo. adiecisse credendum est; hanc orationi particulam, nec tamē dubitandū est detrahere quousq; sanguis colorem mutauerit & consistentiā. Videbat enim medicos nonnullos adeò timidos, vt nō auderent sanguinē nisi ad certam quandā mensuram detrahere. Hos autē plus nocumēti, quàm cōmodi ægrotis allaturos esse hac vacuandi ratiōe arbitrabatur. Quare si veritatē cogar dicere, satius multò arbitror cùm vires tantum vacuare prohibēt cōtrarij brachij venam secare, quā non simul reuulsisse & euacuasse per eandē affectæ sedis partem, quod Galeno atq; Hipp. maximè duco esse consentaneum. Nunq̃ enim (vt arbitror) de ea venæ sectione sunt locuti, quin intelligerēt, tametsi idipsum apertè nō proferrēt, integras esse ægroti vires debere, quæ tāta sanguinis vacuatione tam largáq;, haudquaquam succūberent. Porrò ne quidpiā orationi desit, quod ad sanguinis in morbo laterali missionē pertineat, hoc etiā addendū est, in infernis costis inflāmatione oborta, nō maximi referre vtram axilarem venam secueris, siue dextri lateris, siue sinistri potius: nunq̃ enim simul & reuellere & euacuare quod impactum in parte affecta est, tametsi quàm maximè nitaris poteris: prius nanq; vita deficeret, quanq̃ semper rectitudinē, quoad fieri maximè potest, seruandam esse consulamus, quæ si ad fibrarum rectitudinē (quod sanè credimus) spectet, semper dextri lateris axilarem venā pertundēdam iudicamus, vtrouis in latere dolor ipse extiterit. Qua in re Vesalij ipsius sententiam non possumus nō vehemēter laudare, quam ipse primus exsuscitasse videtur. Eo enim sumus ingenio, vt nō pudeat palam testari per quos profecerimus. Verū enimvero consultius admodū esse ducimus nō vehemēter cruciāte dolore purgante medicamēto, nobis potissimū quibus pro arbitrio licet robustas purgantium pharmacorū vires hebetare: qui haudquaq̃ cogimur veratro, aut peplio vti: quorū potissimū Hippo. olim erat vsus. Sed nunc nō est locus singula fusissimè tractare, præsertim quæ occurrūt casu quodam, atq; ex insperato, satis enim est ea veluti ἐν παρέργῳ adnotasse. Tertia illius rami propago crassissima quædā ingensq; vena existit: quæ multifariā dissecta tandē axillarem brachij venam constituit. Verum vbi modico interuallo ab ea quam dudum antea dicebamus, separata est, ex superna ipsius parte insignē quendam surculum, per transuersis vertebrarū processibus indita foramina in caluariam mittit, quæ tum spinali medullæ, tum etiam musculis in confinio positis, soboles quàm plurimas distribuit. Hæc in duram cerebri mēbranam dispensata, absumitur. Iam verò magis brachiū versus ex posteriori potius parte, infimis ceruicis musculis, & thoracis supremas occupantibus partes, ramū non exilem distribuit. Deinde proximè magis ad humerū ex postrema nō secus parte, ramū satis conspicuū in posteriora thoracis loca prorepentē, atq; in cauam

opertorum scoptulorum regionem, musculosq; in circuitu positos distributum, demittit. Ex anteriori verò parte humero magis vicina, sobolem quãdam in musculos pectori stratos, & cutem, & mãmillas item spargit. Demum à parte qua axilaris vena primum, in brachium excurrit, propago quædam ad latera thoracis deorsum vergit: in musculum brachium deorsum in posteriora trahentẽ distributa. Quartus porrò ramus non paucioribus quàm modo dictis propaginibus insignis, superiore ad iugulum parte spectatur: demittens quidem ex superna ipsius parte, rectam quãdam ad latus asperæ arteriæ venam, à qua & ipsa, et nerui in circuitu positi soboles exiles admodũ recipiũt; tandem verò ipsa in cerebrũ recta excurrit, multipliciter cerebri substantiam inuadens, quam internam iugularem medici nuncuparũt. Secunda verò propago ad latus magis declinat, & ipsa statim bifariam diuisa, cuius superior portio, vbi in vicina loca sursum semper tendens, ramos plurimos diffuderit, tum in fauces, tum verò in laryngem, & ossis ypsilon referentis musculos, ac linguam, atq; palatũ, nares præterea, & oculos, & faciei musculos, in frontem se recipit: vbi cum sua pari per reliquum latus distributa in vnum coit; ex qua antequam huc accesserit ex parte extrema sobolem insignem in tempora excurrentem remittit, exterius verò magis aliam quæ post aurem ad occipitij cutem deficit. Insignior ergo huius venæ ramus recta & ipse per collum excurrens, exterior iugularis est appellatus. Inferior verò ramus & ipse multifariam dissectus, per supernas brachij partes, ad manum vsq; excurrit: qui humerariam à medicis vocatam venam constituit. Hic postquam ab externa iugulari est separatus, confestim ex ipsius sublimiori parte sobolem remittit in posteriores ceruicis musculos dispensatam. At verò magis ad humerum, ex inferna potius sede in gibbam externam'ue, scapulæ sedem satis insignẽ propaginem demittit. Modico tamen post hanc interuallo, ex superna sede duas distribuit venas (quarum prior exilis, posterior verò crassior) in musculos brachij supremos, & cutem excurrentes. Reliquas autẽ huius aliarumq; venarum, quæ tum in cerebrum, tum in brachia discurrunt soboles, non est præsentis negotij recensere: cùm huius quam proposuimus sententiæ autor, nihil penitus prodiderit de his quæ extra thoracis ventrisq; regionem feruntur. Quam ob rem cùm iam diligenter recensuerimus, ac bona fide, quæ ad supernas corporis partes venæ ferantur, iam nunc quænam sint, quæ per infernas decurrunt dicendum erit. Ac primũ sub iecore modicè ipso ad superiora reuulso, ingens venæ cauæ caudex se promit, qui longo satis interuallo de se insignem aliquam propaginem haudquaquam demittit, nisi pusillam quandam vtrinq; à media ferè venæ parte, quæ sursum statim in iecur ipsa reuellitur. Deinde verò donec ad renes proximè accesserit nullam planè aliã distribuit

propaginem

propaginem: sed prima prorsus ea est, quam in sinistra parte in renis membranam disseminat, nulla sibi in dextris partibus respõdente. Inferius tamẽ paulò ex dextra parte, crassam insigniter in dextrũ renem deriuat, à qua medio ferè in itinere portio nõ exigua exurgit, quæ se in pinguem renis dextri membranam insinuet: è regione in sinistris alia, sed infernè magis in renem sinistrũ excurrit: per quas serosum sanguinis recrementum in renes delabitur, quas emulgentes hodie medicorũ omnis turba nominat. Ex sinistræ porrò emulgentis venæ inferna parte, vena quædam peritonæo subiecto ad dorsum, suffulta, in quem tenues quasdam emittit propagines, ad testem vsq; sinistrum defertur, quem vbi proximè adierit varicum instar implicata cõtorquetur, hæc autem seminalis vena sinistra nuncupatur. Cæterũ dextra ex media ferè cauæ venæ parte demittitur: quam ad spinam applicatam deorsum recta ferri diximus. Harum igitur venarum propè testes varicosæ intorsiones ἐπιδιδυμίδες Græcis nominãtur. Iuxta dextram seminalem venã ad latera vtrinq; venæ in dorsalem medullam, & vertebras & musculos harum partium disseminatæ feruntur. Quin & aliæ vtrinq; geminæ ad certum locum distributæ idem prorsus quòd hæ supernæ præstant munus, ac iuxta vltimam harũ venarum sobolem magna vena ossi sacri initio accedens bifariam in crura dispescitur; qua in parte vtrinq; venæ feruntur satis amplæ atq; conspicuæ, in peritonæum & lumbos abdominisq; musculos distributæ. Ex bifidæ verò sectionis interna parte ramuli aliquot admodum exiles in ossis sacri foramina induntur. Deinde truncus vterq; bifariam dissectus soboles duas, alteram quidem interiorem, aliam verò exteriorẽ crassiorem sanè multò ad infernas partes tendentes ostendit: ex cuius interiore propagine paulò infra bifidam sectionem transuersim ramus quidam insignis in musculos qui ad coxendicis ossis supremã partem sunt, & cluniũ partes, multifariam sectus distribuitur. Ex crassiore verò externa dicti modo rami è regiõe, is prodit qui ad supernas abdominis musculorũ partes recurrit: ad cuius fines applicari antea dicebamus, terminos eius quæ per thoracem ex iugulo deorsum perreptabat. Verum & idem ille interior ramus qui transuersim sobolem distribuebat, alias multas similiter propagines in ossis sacri foramina inferiora demittit: vtpote qui eidem ossi innitatur, quæ tandem ad ani musculos, partim verò ad vesicæ fundũ, & humiliores vteri sedes ferũtur. Paulò autẽ inferius ex alia parte ramus versus exteriorem partem tendit: qui cum alia ex maiori trunco introrsum delata coiens bifidæ sectionis foramen quoddam relinquit. Ab externa verò crassiori versus internam partem, ramus alius in testium substantiã diffunditur. Quos omnes hactenus satis sit percensuisse, reliqui nanq; iam extra ventris regionem, in crura, & in vicinas partes disseminantur. Eatenus enim nobis

ea tradidiſſe fuerit ex vſu, quatenus ad examinandã propoſitam ſententiam eſt opus. Quare quid ſibi voluerit in hac oratione quam propoſuimus autor diligenter ſcrutemur, Primum ſanè ita inquit.

Ἡπατῖτις ἐν ὀσφύϊ μέχρι τοῦ μεγάλου σπονδύλου κάτωθεν.

2. Hepatis, id eſt, iecoraria in lumbis vſque ad magnam vertebram deorſum.

Infimam iecorariæ venæ ſedem in hac oratione tradidit: in lumbis (inquiens) vſq; ad magnam vertebram deorſum. Magnam autẽ vertebram vocauit os ſacrũ: quoniam à magnitudine id os nomẽ illud ſibi vendicauit, Græci enim olim magna omnia ἱερὰ, *id eſt, ſacra nominabãt. Quemadmodũ apud Apollonium in Argonauticis* ἱερὰ δὲ φατίζεται ἥδ᾽ ἔτι πέτρα. *id eſt. Sacra autem adhuc vocatur hæc petra. Callimachus etiam elephantiaſim quòd grauiſsimus, maximuſq; ſit morbus* ἱερὰν *dixit appellari:* ψευδόμενοι δὲ ἱερὰν φημίζομεν. *id eſt. Cum mendacio dicimus ipſam affectionẽ ſacram. Sic* ἱερὴ νοῦσος *pro comitiali morbo apud Hippo. &* ἱερὸς ἰχθὺς *apud Homerum: quanquam non parua ſit in hoc apud interpretes controuerſia. Sed quoniam Hippo. ſacrum os* ἱερὸν ὀστέον *nominauit ſemper in legitimis codicibus: ſecundã verò vertebram interdum magnam, interim verò dentem: nõ parum nos ſuſpicari hæc oratio cogit alterius potius quàm Hippo. eſſe. Nam libro de articulis, cõmentatione tertia idipſum confirmauit Galenus. Habet autem in hunc modum Hippo. oratio:* Καὶ μὲν δὴ καὶ ἀναγκάζονται κατὰ τὸν μέγαν σφόνδυλον λορδὸν τὸν αὐχένα ἔχειν. *id eſt. Cæterum coguntur ad magnam vertebram repandam habere ceruicem. Galenus autem in cõmentatione hæc inquit.* ὅθεν ἄν τις τεκμήραιτο αὐτὸν, μέγαν σφόνδυλον ὀνομάζειν αὐτὸν τὸν δεύτερον, ὃς χωρῆσαι μάλιστα δύναται πρόσω, καὶ πάλιν ἐντεῦθεν ἀναπιεχθῆναι. *id eſt. Vnde coniectet aliquis magnam vertebram ipſum nominaſſe ſecundam, quæ maximè poteſt antrorſum ſecedere, & ibidem rurſus reprimi poteſt. Sed pauló inferius eodem libro idipſum apertius multò inſinuat: ita ſanè ſcribens.* ἀπὸ μὲν τοῦ ἱεροῦ ὀστέου ἄχρι τοῦ μεγάλου σφονδύλου παρ᾽ ὃν προσήρτηται τῶν σκελέων ἡ πρόσφυσις, ἄχρι μὲν τούτου ἡ κύφη. *id eſt. A ſacro quidem oſſe vſq; ad magnam vertebram, ad quod crurũ annexio appenditur, huc vſq; gibberus eſt. Hæc apertè oſtendunt quid magnam vertebram Hippo. nominet, quid etiam ſacrum os. At verò illius libri autor, qui de oſsibus inſcribitur, quiſquis ille tandem fuerit: tum ſecundam colli, ceruiciſq; vertebram quemadmodum Hippo. magnam vocat, tum etiã poſtremam in qua ſpina eſt, veluti ſuper baſim locata, quam Græci* ἱερὸν ὀστοῦν *nominare conſueuerũt. Habet enim primũ in initio ſtatim eiuſdem libri: coxa verò magno verticulo quod iuxta os ſacrum eſt ex ligamento chartilagineo, & neruoſo adhæret. quod ſi ita Græcè ſcriptum ſit (non enim initium libri in*

Græcis

Græcis habetur codicibus) mendacio non caret: coxa enim non vertebris cõmittitur, sed magno cuidam ossi, cui coxendici est nomen. Quare arbitror Cornarium ἰσχίον Græcè legisse, & coxam conuertisse; id enim est os, quod sacri ossis lateribus cõmittitur. Sed cùm dixerit autor illius libri, coxa verò magno verticulo, quod iuxta os sacrum est ex ligamẽto cartilagineo & neruoso adhæret: non videtur castè admodum fuisse locutus, sed ineptè potius atque obscurè, ita enim dicendum potius fuerat: coxa magno verticulo sacro nimirum ossi adhæret. Verum non sunt singula mordacissima radenda. Inferius autẽ paulò, quam dudum antea citauimus orationem ex libro de articulis habet, deinceps in hunc modum. Hinc verò vsq; ad magnum verticulum, quod supra supernas humeri partes est, è directo gibbosa est. Qua in parte non obscurè supra supernas humeri partes magnum verticulum vocauit, secundam vertebram. Cæterum quidquid alijs in locis autor huius sententiæ statuerit, quo vera sit quam protulit sentẽtia, magnam vertebram sacrum os intelligere est opus: siquidẽ, vt superius diximus initio huius ossis sacri bifariam vena magna in crura distribuitur, vt ad eum vsq; tantum locum integra deorsum versus perducatur.

Καὶ σπονδύλοισι προσδίδοῖ ἐντεῦθεν, μετέωρος δι' ἥπατος, καὶ διὰ φρενῶν ἐς καρδίην. καὶ ἡ μὲν ἰθεῖα ἐς κληῖδας, ἐντεῦθεν δὲ, αἱ μὲν ἐς τράχηλον, αἱ δὲ ἐπ' ὠμοπλάτας, αἱ δὲ ἂψ καμφθεῖσαι κάτω παρὰ σπονδύλους καὶ πλευρὰς ἀποκλίνουσιν.

3. Indeq; vertebris ipsis cõmittitur, sublimis per iecur, ac septum transuersum in cor tendens, & recta quidem ad clauiculas, hinc verò partim in collum, partim in operta scoptula, partim infernè detorta vertebris, & costis propagines mittit.

Prima huius orationis pars, satis esse aperta videtur: secundã verò si quis eorũ quæ diximus meminerit, nulla methodo procedere, planeq; esse obscurã, incõdita narratione videbit. Neq; enim simpliciter dixisse autor debebat, hinc partim in collum, partim in operta scoptula, partim infernè detorta vertebris & costis propagines mittit: sed quando potius vena ad iugulum perueniens dispesceretur, in quot nimirum ramos, vbi nanq; earum, quas recensuit venarum origines figerentur, ex quo crasso stipite prodirent, quod nos in superioribus fecimus. Nam id in primis videtur esse conducibile. Neque enim sat est, ex supernè ascendente vena, tùm superiorum costarũ, inferiorumque, ac etiam scapularũ venas deriuari: sed maximè sanè est opus cognouisse, in quos primum ramos crassæ abeunt venæ, deinde hæ rursus in quas propagines degenerent. Quid multa? Fingamus hominem laterali dolore cruciari ex membranæ costas subcingentis inflammatione. Rursus alium in externa scapularum parte contraxisse inflammationẽ, sitq; vterq; affectus in parte corporis dextra. Quam sit ex vsu distributionem venarũ rectè cognouisse

dextra. Nisi noueris rectè venarum originem, non hanc communem, quam autor proponit, quæ nihil sanè habet artificiosæ doctrinæ, putas'ne te commodè vnicuiq; horum posse succurrere? Haud equidem crediderim tametsi id tibi temerè persuaseris. Scio enim confestim ad axillarem venam secandam te properaturũ, quod sanè in laterali dolore omnium maximè erit ex vsu, si ea fuerit quæ in laborante corporis parte est posita. At verò ei qui inflammatorio affectu in externa scapularum parte vexatur, nõ satis commodè ex axillaris venæ sectione opem tuleris: sed multò euidentior ac promptior fuerit ex humeraria. Siquidem in eam partem multifariam disseminatam venam ex humeraria prodire superius est à nobis demonstratũ. Quod si in interna scapularum parte fuerit inflammatio longè maius auxiliũ sanguinis detractione ex axillari, quàm ex humeraria percipiet. Nam ex axillari in internam scapularum partem deriuari venam, id nos superius demonstrauimus. Quapropter ea quæ ad venarum anatomen spectant semper debet medicus in promptu, veluti ob oculos habere.

Καὶ ἐξ ἀριστερῶν μὲν μία ἐγγὺς κληΐδων, ἐκ δεξιῶν δὲ ἐπί τι χωρίον ἄλλη, ἣ δὲ μικρὸν κατωτέρω ἀπο καμφθεῖσα, ὅθεν μὲν ἐκείνη ἀπέλιπεν προσέδωκε τῇσι πλευρῇσι τῇσιν ὑπολοίπῃσιν ἁπάσαις, ἣ ἔνθεν καὶ ἔνθεν ἀποσχίδας ἐς ἑκάστην διδοῦσα. ἀπὸ μὲν τῆς καρδίης ἐπὶ τὸ χωρίον ἐπὶ τοῖσιν δεξιοῖσι μᾶλλον ἐοῦσα ἐπὶ τὰ ὑποκάτω τῆς ἀρτηρίης, ἐς ἃν καταναλωθῇ καὶ ἔλθῃ, ὅθεν ἡ ἡπατῖτις ἐμετεωρίσθη.

4. Atq; in sinistris vna propè clauiculas, in dextris verò ad certum locum alia prorũpit, quæ paulò inferius reflexa, qua illa defecit, illac per costas residuas omnes fertur, hinc inde ramos in vnamquamq; deriuans; à corde quidem ad locũ quendã in dextris magis sub arteriã fertur, donec delitescat, veniatq; eò vnde iecoraria attolli cœpit.

Cum antè inconditè citráque methodum promiscuè venarum propagines tradiderit, voluit hac oratione ex parte incõditam præcedentis structurã resarcire: quænã ea esset vena quæ infernè detorta, costis, ac vertebris, cõmittitur declaratis. Nam in dextris partibus duæ sunt huiusce modi venæ, in sinistris verò vnica duntaxat, ea scilicet, quæ superiores duas, aut tres enutrit costas: quam cum axillari cõmunem habere radicem diximus. Atq; idcirco dixit: in sinistris vna propè clauiculas, in dextris verò ad certum locum alia prorũpit, non quòd in dextris ex eodem loco, scilicet sub axillari alia nõ prodeat, quæ duas eiusdẽ lateris costas enutriat, sed quòd qua ea deficit in dextris partibus, illac per residuas omnes costas feratur alia, quàm nos: quoniam cõiugis expers sit, ἄζυγον *Græcè diximus nuncupari. Ea paulò suprà cordis inuolucrum enascitur deorsumq; dextræ spinæ parti innixa descendit. Quare cum*

re cùm falsò haberetur in prædicta oratione ἐν τοῖσιν ἀριστεροῖσιν. id est. in sinistris, nos in dextris transtulimus, mēdam potius in scriptorē, quàm in ipsum autorem referentes. Neq; illud dissimulandum est, non commodè dici posse hanc sine pari venā sub arteria ferri, quoniam hæc in dextris magis, illa verò à sinistro cordis sinu sumens originem, sensim se ad mediam transfert spinæ regionem. Verum cùm clarior arteria sublimiorq; feratur propterea fortasse dixit sub arteria venam hanc deferri. Quinetiam neq; eo vsq; descendit vnde cœpit iecoraria attolli: nimirū ad sacri ossis originem, nam ad secundam vsq; vertebram lumborū tantum ipsa descendit, ad eam nimirum sedem vnde dextri lateris seminalis vena prodit.

Πρότερον δὲ πρὶν ἢ ἐνταῦθα ἐλθεῖν, περὶ τὰς ἐσχάτας δύο πλευρὰς διαιρέθη, καὶ ἡ μὲν ἔνθα, ἡ δὲ ἔνθα τῶν σπονδύλων ἐλθοῦσα καταναλώθη.

5. Antea verò priusquā illuc esset progressa ad vltimas duas costas diuisa est, atq; hæc quidem hinc, illa verò illinc iuxta vertebras euanescit.

Non solū ad legitimas costas, sed ad nothas etiā vena hæc, quam cōiugio carere diximus, ramos hinc inde distribuit. Cumq; ad vltimas duas costas diuisam euanescere dicat, nō video quomodo ad eum locum vnde iecoraria attolli cœpit peruenire possit, cum multò inferius hæc sedes sit sita.

Εὐθεῖα δὲ ἀπὸ καρδίης πρὸς κληῖδα τείνουσα ἄνωθεν τῆς ἀρτηρίης ἐστί. καὶ ἀπὸ ταύτης ὥσπερ καὶ παρ' ὀσφὺν κάτωθεν τῆς ἀρτηρίης ἀΐσσει, ἐς τὸ ἧπαρ, ἡ μὲν ἐπὶ πύλας καὶ λοβὸν, ἡ δὲ, τὸ ἄλλο ἐξῆς ἀφορμήκει, σμικρὸν κάτωθεν φρενῶν, φρένες δὲ προσπεφύκασι τῷ ἥπατι, ἃς οὐ ῥᾴδιον χωρῆσαι.

6. Cæterum recta à corde ad clauiculas tēdens, arteriæ superstrata est, atq; ab hac quasi circa lumbos, subter arteriā in iecur pergit, partim in portas & iecoris fibram, partim verò in reliquum deinceps paulò sub septo transuerso: septum autem transuersum pertinacius iecori adhæret, quàm vt facilè separetur.

Rectè quidem dixit arteriam sibi incumbentem habere venam iuxtà iugulum. Quod autem postmodum adiectum est: Atq; ab hac quasi circa lumbos subter arteriam in iecur pergit, nō circa distinctionē absolutè debuit enūtiari. Veruntamen primum totius venæ per spinam perreptantis sedem animaduertito. Cùm primum ad ossis sacri initia peruenit, se vena sub arteria abscondere incipit nō tota quidem, sed aliqua ipsius parte sinistra nimirū, ita vt per bifidam ipsius in ossis sacri initio sectionem, dexter arteriæ ramus supernè tendat, quousq; peruenerit ad eam regionem, ex qua recurrens vena in abdominis musculos ad vmbilicum vsq; fertur. Nascitur autem ex crassiore illo venæ ramo, qui deorsum ad crura propagatur. In ea namq; parte vena

tanquam

tanquam caput extollens conscendit arteriam, quam ad extremum vsq; pedem habet subiectam. Eodem planè modo & per reliquas omnes lumborum vertebras, & vsq; in iecur, vena supra arteriam fertur, non quidem toti incumbens arteriæ, sed dextræ ipsius maximè parti. Cæterum qua parte ex sinistro venæ cauæ latere propago quædam in sinistri renis membranosam tunicam dispensatur, incipit iam vena ad dextram potius sedem incuruari reli ctà spina, ac iecur in dextris magis situm perreptat, deinde septum transuersum: sensimq; postea in sinistram reflectitur, cor ipsum petens: rursus supra cordis sedem magis conspicua arteriam adit, atq; iuxta iugulum ipsi superstrata cernitur.

Δισσαὶ δ᾽ ἀπὸ κληΐδων, αἱ μὲν ἔνθεν αἱ δὲ ἔνθεν ὑπὸ στῆθος ἐς ἦτρον. ὅποι δὲ ἐντεῦθεν, οὔπω οἶδα.

7. Geminæ porrò venæ à clauiculis vtrinq; sub pectore in abdomen tendunt, quo autem inde tandem ferantur nondum noui.

Quadrifariæ illius in iugulo sectionis, hæ venæ soboles anteriores sunt: quas nos in præcedentibus primum sumus aggressi, quæ vtique per summa ossis pectoris exterius prorepentes, deorsum vsq; ad vmbilici regionem perueniunt: id vnum impræsentiarum adnotãdum occurrit: scriptum esse in hac parte ἦτρον *pro* ὑπογαστρίῳ, *id est, abdomine.*

Φρένες δ᾽ κάτω κατὰ τὸν σπόνδυλον τὸν κάτω τῶν πλευρῶν, ᾗ νεφρὸς ἐξ ἀρτηρίης, ταύτῃ ἀμφιβέβηκε, αἱ ἀρτηρίαι μὲν ἐκ τοῦ τένοντος ἐκπεφύκασιν ἔνθεν καὶ ἔνθεν ἀρτηρίης τόνον ἔχουσαι. ταύτῃ δ᾽ ἡ παλινδρομοῦσα ἀπὸ καρδίης ἡ ἡπατῖτις ἔληγεν.

8. Septum autem transuersum iuxta vertebram, quæ post costas est, qua ren ex arteria propaginem sumit, circũ cingit: cui ex tendine arteriæ adhærent: hinc inde arteriæ tonum habentes. Hac igitur parte iecoraria à corde recurrens finem habet.

Septi transuersi situm describit, sed non admodum artificiosè, aut vt decet, quod nos faciemus: vt intelligas, quàm crassa Minerua hæc omnia ab autore tradita sint. Musculus ergo hic rotundus figura est: haudquaquam reliquorum instar oblongus, vtrinq; habens neruaceos tendines, sed omnẽ propemodum membranosam substantiã in ipsius medio adeptus est. Quare musculi huius caput in medio ipsius situm esse quis dicat. Hic enim ad satis insigne interuallum media sui parte membraneus est, vbi & tribus foraminibus pertusus esse apparet, altero quidem iuxta vndecimam thoracis vertebrã, qua parte tum magna arteria, tum ea quam pari carere diximus vena perreptant. Altero verò ad sinistram partem superius, quà via stomacho parata est. Tertiò ad dextram partem omnium supremo, per quod magna

vena, quam cauam nominant, deorſum aſcendit. In extremis verò ipſius muſculi partibus, quæ circunferentiã circuli repræſentant, carnoſus ſatis eſſe videtur, quibus vicinis omnibus partibus arctè cõmittitur. Ac primũ quidẽ infimæ oſſis pectoris regioni iuxta mucronatæ cartilaginis ſedẽ, ſenſimq; aliæ omnes partes ſpurijs coſtis, obliquè, ad internam ipſarum partem inſeruntur: duodecimæ autem coſtæ admodum carnoſus adnaſcitur. Introrſum autẽ ad vertebras repentes ipſius fibræ, non vndecimæ thoracis vertebræ conneсtuntur quanquã eò ſpectent: illac nanq; tum arteria magna, tum etiam vena paris expers feruntur, ad hæc & ſextus fœmur mouens muſculus. Quæ omnia cum ſpinæ ea parte adhæreant, non poteſt commodè ea parte ſeptum alligari. Quòd maxima naturæ prouidentia factũ eſt, vt vtrinq; fibræ quæ vndecimæ coſtæ adnaſci debuerant in duo degenerent robuſta ligamenta, ſeu tendines. Qui deorſum lateribus magnæ arteriæ cohærentes ferantur, muſculis etiã lumborũ adacti, ſenſim decreſcentes, ac ſe arteriæ ſubijciẽtes quouſq; vertebris inferna parte tutò committi poſſint. Hos fortaſſe tonos vocauit in præſentiarum autor quanquam nõ ſine maxima narrationis obſcuritate, his enim videntur innixæ eſſe arteriæ. Quare quod dixit, hac parte iecoraria à corde recurrens finem habet, eſt planè mendaciũ: ſiue extremos hos tendines intelligat, qui propè os ſacrum, aut vertebram ipſi finitimam deſcendũt, ſiue, ſupremã potius partem intelligat, quam vndecimæ thoracis vertebræ reſpondere iam diximus. Porrò mox vbi ſepti partem, quã vndecimæ thoracis vertebræ adnaſci voluit, arteria prætergreſſa eſt vtrobiq; inſignem propaginem fundit, ad humiliores ſepti tranſuerſi partes, quæ his tẽdinibus vtrinq; alligari primum videntur: hæ ſepti ſubſtantiam permeantes in cordis inuolucrũ tandem abſumuntur.

Ἀπὸ δὲ τῆς ἡπατίτιδος διὰ τῶν νεφρῶν αἱμέγισται δύο, ἄμφω ἔνθεν, ἡ δὲ ἔνθεν φέρονται μετέωροι, πολυσχιδεῖς τε διὰ τῶν φρενῶν εἰσὶν ἀμφὶ ταύτας, καὶ πεφύκασιν ἄνωθεν διὰ φρενῶν, αὗται δὲ μᾶλλον τι ἐμφανέες.

9. A iecoraria præterea magnæ duæ venæ ad renes vtrinq; propagantur ſublimes, ad ſeptum tranſuerſum multifidæ aliæ feruntur iuxta has, & naſcuntur ſuperius, & inter ſepti tranſuerſi venas hæ maximè ſunt conſpicuæ.

Priores quas recenſet ſunt emulgentes vocatæ venæ: poſteriores verò illæ, quas caua vena ſepto tranſuerſo diſtribuit: quæ ſatis longo ſupra iecur interuallo emergunt. Quare videto quàm veraciter autor dixerit poſteriores has oriri iuxta emulgẽtes cùm inter ipſas atq; emulgẽtes tantum ſit interſtitium, quantũ inter renes & os ſacrum, ſi ergo quiſpiam diceret iuxta renes venam magnam bifariam ſecari in crura per Iouem eſſet ridiculus.

Duo

Δύο δὲ τόνοι ἀπ' ἐγκεφάλου ὑπὸ τὸ ὀστέον τοῦ μεγάλου σπονδύλου ἄνωθεν καὶ πρὸς τοῦ στομάχου μᾶλλον ἑκατέρωθεν. παρ' ἀρτηρίης παρελθὼν, ἑκάτερος δὲ ἑωυτὸν ἦλθεν, ἴκελος γυί. ἔπειτα οἱ σπόνδυλοι καὶ αἱ φρένες πεφύκασιν, καὶ ταῦθα ἐτελεύτων. Καὶ τινὲς γὰρ δοκέουσι πρὸς ἧπαρ, καὶ σπλῆνα ἀπὸ τούτου τοῦ κοινωνήματος, ἐδόκεον τείνειν. Ἄλλος τόνος ἐκ τῶν κατέρωθεν σπονδύλων παρὰ ῥάχιν παρέτεινεν ἐκ πλαγίου σπονδύλων, καὶ τῇσι πλευρῇσι ἀπονέμων. ὥσπερ αἱ φλέβες οὕτως οὗτοι διὰ φρενῶν, ἐς μεσεντέριον μοι δοκέουσι τείνειν, καὶ δὲ τουτέοισιν ἐξέλιπον. αὖθις δ' ὅθεν φρένες ἐκπεφύκασιν ἀπὸ τούτου ξυνεχέες ἐόντες κατὰ μέσον κάτωθεν ἀρτηρίης, τὸ ἐπίλοιπον παρὰ σπονδύλους ἀπεδίδουν ὥσπερ αἱ φλέβες, μέχρι κατηναλώθησαν, διελθοῦσαι ἐς τὸ ἱερὸν ὀστέον. 12

Duo toni à cerebro ſub os magnæ vertebræ, ex ſupernis ad ſtomachum magis: vtrinq; iuxta arteriam procedunt, vterq; in ſeipſum incidens, vni ſimilis, vbi vertebræ, & ſeptum cohærēt, ibi finientes, & quidam obſcuri ad iecur & lienem ab ea ſocietate tendere videntur. Alter verò tonus, ex vtraq; vertebrarũ parte, iuxta ſpinã obliquè procedit, & vertebris diſtribuitur. Quemadmodum autē venæ ita & hi, per ſeptum tranſuerſum in meſenteriũ mihi tendere videntur: in his verò deliteſcunt. Rurſus vnde ſeptum tranſuerſum cohæſit, continui facti iuxta medium arteriæ deorſum, quòd reliquum eſt, vertebris perinde ac venæ diſtribuunt, donec abſumantur ad ſacrum os pertingentes.

Diſpeream ſi vnquam credidero inſulſam hanc, adeoq; inartificioſam, ac ſordidam ſententiam, ad Hippo. autorem eſſe referendam. Nam extrà quòd promiſcuè huiuſcemodi neruorum anatomen interturbat, nihilq; egregium in tanta obſcuritate cōtineri poteſt, plus laboris in ſcrutandis verbis impendendum eſt, quàm emolumenti ex intellecta vtcunque re accedat. Sed quoniam in redarguendis his qui quidpiam contra ſenſum protulerint, non aliundè commodius quàm ex ſenſu ipſo ratio peti poſſit, vt ſcripſit Galenus, is enim vt qui, vel ab imperitiſſimo & perquam rudi homine dignoſci facilè poſſit, nō immeritò mendaces prōptè arguere poteſt, cùm tamen ſi ad demōſtrationem in huiuſmodi rebus confugeremus, cùm hæ non perinde omnibus perviæ ſint hominibus, haudquaquam veritas tot haberet patronos. Si enim quis dixerit in fonte quopiam nō eſſe piſces, non'ne vt hūc mēdacij argueres, ſi probè noueris innumeris fontē piſcibus ſcatere aduocatis teſtibus, illuc te conferres, quò illi oculata fide, idipſum depræhēdere poſſent? Ita etiam ſi diceret plurimos in fonte piſces degere, in quo probè noſti nullū vnquam fuiſſe viſum, hominem facilè ſumpto ex ſenſu argumento vt mendacem damnares. Ad eundem planè modum, cùm dicat autor: Duos tonos ex cerebro oriri ſub

os magnæ

os magnæ vertebræ, cùm indubiè sciamus, nõ aliunde ex cerebro quàm ex caluariæ foraminibus neruos distribui, nõ arbitror eius sentẽtiam demõstratione esse refellendam, sed sumpto potius ex anatomicis administrationibus experimento. Ex his enim didicimus sub osſibus vertebrarum omnes pronatos neruos ex spinali esse medulla, nõ autẽ ex cerebro. Faciamus igitur huius rei periculum, vt res aperta legentibus sit, agnoscantq; quantas neruorum soboles inter se autor promiscuè cõfuderit. Quæ enim in hac oratione scripta sunt omnia, tum sextũ cerebri neruorũ coniugium, tum etiã ad septũ transuersum distributas neruorũ propagines, summa cũ obscuritate amplectuntur. Animũ igitur his quæ dicẽtur diligenter aduertito, quoniã longa circa corporis humani partes indagine, atq; accurata, sunt deprahensa.

Coniugia neruorũ ex ceruice prosilientiũ recensentur.

Quartũ ceruicis neruorũ coniugium per cõmune quoddã tertiæ et quartæ vertebræ ad latera foramen delapsum, multifariã quidem dispescitur: quorũ posterior soboles, retrorsum ad supernas spinæ partes reflectitur: quod sanè cõmune est omnibus alijs, neruorum spinæ cõiugijs. Anterior verò ramus trifariam dissectus, partim in musculos stomacho substratos absumitur, quadã sui parte, quæ cum tertij coniugij quodam ramo coalescit, partim verò in musculos lateribus vertebrarũ appositos, qui motus ceruicis in latera autores sunt præcipui. tertia verò sui propagine satis quidẽ exili deorsum modicum adacta, quintũ ceruicis neruorum par adit, atq; cum ipsius anteriore, deorsumq; delata propagine coit, quo neruus crassior postmodũ coalescat, sensim septo transuerso distribuendus. Quintum verò par ex cõmuni perinde quartæ quintæq; vertebræ foramine prosiliens, multifidas pariter habet sectiones: posteriorem quidẽ obliquè sursum retortam, ad posteriorem spinæ carinã: anterior verò multiplex est: tum musculis ceruicem flectentibus exilem sobolem distribuẽs, tum crassiorem aliã deorsum delatam, cũ qua quarti coniugij propaginẽ coire antea diximus: pauloq; inferius aliam similiter ex sexto pari asciscit. His igitur tribus propaginibus neruus quidã insignis coaugmentatus deorsum ad mediã sexti transuersi sedem delabitur: quam vbi proximè adijt septem spargit soboles, quæ instar manus tenacius septũ ipsum appræhẽdant. At verò interim ex septimo cõiugio neruum nõ adeò insignem admittit: quando nimirũ quarta neruorũ coniugatio nullum planè ipsi elargitur. Verũ reliqua externa huius quinti paris soboles per humerũ in brachium fertur, omniũ crasſiſsima: qua sursum attollitur, in musculũ huius motionis opificẽ inserta. Nerui igitur qui in vnũ coalescentes septi transuersi neruũ constituũt, totam thoracis cauitatẽ perreptant: quo factum est, vt tutò delaberentur vicinis mẽbranis, veluti alligatos adigi. Ita enim & firmitudini, & vehemẽti, robustæq; actioni, optimo consilio videtur esse consultum. Is sanè est neruus alter, qui ad latera vertebrarum deorsum

V fertur

fertur decliuis, est tamen præter eum alius, qui perinde etiã, atq; hic deorsum tendens, septum ipsum transuersum permeat, singulis nutricationis instrumẽtis soboles haudquaq̃ contemnendas distribuens. Verũ hic multò sanè aliter, quàm nuper descriptus procedit: neq; est ipsis natalibus similis: sed quemadmodum prior ille ex spinali medulla prodibat, ita sanè & is ex posteriori cerebri sede, illac caluariam elabitur, qua insignior internæ iugularis venæ ramus, & arteriæ scoporalis exilis portio in cerebrũ se insinuant. Hic mox vbi caluariã est egressus, sobolem quandã spargit posteriorem ceruicis sedem occupantibus musculis, qui multifariam hinc inde distributus, tandẽ satis crassam propaginẽ multifidam scapularũ musculo secundo remittit. At verò vbi ad laryngis latera peruentũ est, vicinum sibi ex septimo cõiugio neruum vnit; vt ex ambobus crassus quidã neruus coalesceret, ita quidẽ vt non possis dein ceps vter neruus magis ad tribuẽdas infernis partibus actiones valeat facilè cognoscere, septimus ne an sextus potius. Sed nos, vt pleriq; ferè omnes anatomici magistri decreuerũt, sextam coniugationẽ septimo neruorũ pari coaugmentatam deorsum ferri dicemus. Sextum igitur par postquam illam adeptũ est septimi communicationẽ, musculis laryngis ex transuersa parte ramulum distribuit: paulò autẽ superius septimum par, vbi coitum cum sexto affectat, propaginẽ non contemnendam musculis distribuit, qui & linguæ, & laryngis & ossis .v. imaginẽ referentis, sunt proprij. At ex superna parte, inferius paulò quàm sextum par musculis ceruicem occupãtibus propaginẽ communicasset, sobolem diffundit musculis, qui ossi stilloidi innituntur. A coitu verò sextum par, vsq; ad elatiores thoracis partes descendit, atq; inibi non exiguam quandam propaginem ad anteriorem sedem radicis primæ costæ distribuit, quæ subter costas subcingentẽ membranam ad ipsarũ radices proserpit deorsum versus, ex neruis qui ad interualla costarum emergũt sensim sumens incrementum. Hic neruus vbi septum transuersum prætergressus est vnà cum magna arteria, iam distribuere soboles q̃ plurimas incipit: ac primũ in dextra parte notatu dignam propaginem, costarum radicibus exporrectam, partim in omenti inferiorem membranam & colon crassum intestinũ dispensat: partim verò ex transuerso magis exiguam aliam in duodenum intestinũ atq; ieiuni initium, partim verò vbi transuersim processit multum ad sinistra contortum ramum remittit, in dextram ventriculi fundi sedem excurrentem, plurimas ipsi propagines cõmunicantem, atq; alias frequẽtes in superiorem omenti tunicam deorsum versus. Deniq; vbi vẽtriculi fundũ ramus hic amplexatus est, atq; in sinistra contorquetur, sobolem elatiorẽ in iecur & bilis vesiculam remittit. Inferius autẽ paulò hac fusissima ad costarũ radices distributione, in renem dextrũ ramũ deriuat. Alium præterea hoc inferiorem in mesenterij

dextram

dextram ſedem, & dextræ partis inteſtino multifidũ diſtribuit: quod verò reliquũ eſt ipſius, per latus ſpinæ deorſum ad dextrã veſicæ ſedem, & mulieribus ad dextrã fundi vteri partẽ demittitur. Cæterũ in ſiniſtra parte totidem ramos inſignes diſtribuit. Primũ ad coſtarũ radices excurrentem, à quo mox infernè propago delabitur, in inferiorem omẽti mẽbranam, et colum inteſtinũ ſub ventriculo diſtribuẽda. Siniſtrorſum verò, magis ad ſupernas partes lieni ramulos diſtribuit. Nam qua radix eſt, eius ramuli qui in lienem fertur, propago illa radicibus coſtarũ exporrecta, vbi prorſum aliquantiſper progreſſa fuerit, dextrorſum contorquetur, in ſiniſtrã fundi ventriculi ſedem excurrẽs ventriculo, vt in dextra parte, atq; etiã ſuperiori omenti membranæ ſurculos diffundens. Paulò verò inferius eregione illius propaginis, quæ in dextra parte meſenteriũ adit, ſoboles quædã prodit, in ſiniſtram meſenterij regionẽ, atq; eius ſedis inteſtina exporrecta. Sub hac ſtatim ſoboles in renem diſtribuenda prodit: nõ quidẽ vt in dextra parte ſupra illam, quam in meſenteriũ diximus excurrere, quoniam dexter neruus multò eſt q̃ ſiniſter elatior. Reliqua verò ipſius nerui portio per ſiniſtrã ſpinæ partẽ deorſum delata in ſiniſtrã veſicæ ſedem inſeritur: et mulieribus in fundi vteri ſiniſtrã partẽ. Porrò autẽ præter hãc propaginẽ, quã modo receſsimus, quæ ſub mẽbrana coſtas ſuccingẽte delitescit, ſexti cõiugij neruus, ramos in quã plurimas ſoboles digeſtos ad muſculos diſtribuit, q. à ſuperiore pectoris oſsis ſede, atq; clauiculis originẽ ducẽtes, ſenſim ad ceruicẽ ſurſum ferũtur. Deinde iam ſe in thoracis cauitatẽ cõijcientes, cũ primũ in dextra parte arteriã, quæ per internã brachij partẽ iuxta alã excurrit dexter neruus adijt, tribus, aut duobus, rarò admodũ vnico, ramulis, ab interna ipſius parte excurrẽtibus veluti digitis, quibuſdam trãſuerſim arteriã cingit, tanq̃ ad trochlæi rotulam reuolutis funibus, q. vbi tenacius arteriã appræhenſam, fortiter cõtinuerint, ſurſum in vnũ coaleſcentes ramũ retorquẽtur, ad dextram aſperæ arteriæ partem membranæ interuẽtu adnexi. Tandemq; in aſperæ arteriæ caput excurrẽtes, ad radicem laryngis glandulæ cuidam incumbunt: ibidem in plurimas degenerans ſoboles muſculos laryngis dextros aggreditur, vocaturq; hic dexter recurrens neruus, Græcè verò παλινδρομῶν. Cæterum quoniam arteria ſub alis appræhenſa, dextri lateris neruum ſurſum recurrere diximus, ne eodem modo arbitreris in ſiniſtro latere rem habere, ſiniſtri nerui proceſſus anteq̃ longius progrediamur, deſcribendus erit. Siniſter igitur dextri cõiugij neruus, vbi in thoracem ſe cõiecit, in ſiniſtrum brachium excurrenti arteriæ, ramos exporrigere haudquaq̃ potuit, quoniam ipſa obliquè ſurſum, non autem vt dextra tranſuerſim in brachium feratur. Quare inferius multò delabitur, quo poſſit ad craſſum arteriæ caudicem ad ſpinam contortũ inuolui, quẽ perinde ac dexter apud axillam, veluti digitis arctè amplectitur, mox in vnum degenerans ramũ, qui ſurſum reuolutus ſini

tus sinistræ asperæ arteriæ parti membrana quadā adnectitur sensim laryngis musculis distribuendus. At verò in dextra parte paulò inferius illa ad arteriam reuolutione, transuersim soboles duæ modicè inter sese distantes in pulmonū tunicam excurrūt, totidemq; eregione in sinistra parte paulò supra sinistrum ipsius nerui reflexū. Inter has verò duas soboles, propago transuersim ad mediam inter dextrū, sinistrumq; neruū partē membraneo cordis inuolucro distribuitur, ex quarū sinistra, cordis neruus depromitur: qui sinistro arterialis venæ lateri adnascitur. Postq̄ sexti paris nerui in hos, quos hactenus recensuimus neruos degenerauerint, quod reliquū est, vniuersum orificio ventriculi applicant: dexter dextræ parti adhærēs, sinister verò sinistræ, id autē membranæ interuētu perficitur. Iam verò ad ventriculi orificiū perducti, bifariam vterq; secantur, adeoq; inter se implicantur, vt dextræ partis neruus in sinistrā ventriculi partē excurrat, sinistræ verò neruus in dextram, qui tandem per summas ipsius omnes partes excurrens, ad iecoris cauū properat ibidem in multas propagines absumendus. Hæc sunt quæ ad neruorū anatomen spectant, illorum inquam qui per intimam thoracis cauitatē perreptant. Sed videamus quantum à veritate in ipsorum historia tradenda abfuerit.

Δύο δὲ τόνοι ἀπ' ἐγκεφάλου ὑπὸ τὸ ὀστέον τοῦ μεγάλου σπονδύλου ἄνωθεν καὶ πρὸς τοῦ στομάχου μᾶλλον ἑκατέρωθεν τῆς ἀρτηρίης παρελθὼν, ἑκάτερος δὲ ἑαυτὸν ἦλθεν, ἴκελος γυΐ. ἔπειτα δὲ σπόνδυλοι καὶ αἱ φρένες προσπεφύκασιν, ἐν τοῦθα ἐτελεύτων. Καὶ ἔνιες ἐνδιάσσοι πρὸς ἧπαρ, ἐς σπλῆνα ἀπὸ τούτου τῆς κοινωνήματος, ἐδόκεον τείνειν.

11 · Duo toni à cerebro sub os magnæ vertebræ, ex supernis ad stomachū magis, vtrinq; iuxta arteriā procedūt: vterq; in seipsum incidens, vni similis, vbi vertebræ, & septū cohærēt, ibi finiētes, & quidā obscuri ad iecur et lienē ab ea societate tēdere videntur.

Apertè ostendit impræsentiarū autor, magnā vertebrā se etiā nominasse secundam: quanq̄ in huius sectionis initio os sacrū ab alijs nominatū magnam similiter nominauerit vertebrā. Sed hæc iam antea sunt accuratè à nobis pertractata, nunc verò nostra tantū interest sermonis veritatē expēdere. Quare videndū primū est, q̄d autor tonū nominauerit, Alexāder quidē Benedictus, ab vtraq; stomachi parte descēdentes neruos à robore tonos scripsit nominari quos nos à voce vocales appellamus, ex sexto videlicet cerebri coniugio prodeuntes. Ego verò apud Hippo. neruos oēs potissimū qui ex spinali prodeunt medulla tonos video nominari, quemadmodū lib. de artic. ostēdit luculenter, τόνοι δὲ *(inquit)* κοινοὶ παρὰ πάντας, καὶ ἐν τοῖσιν ἔξω μέρεσι, καὶ ἐν τοῖσιν εἴσω παρατέτανται. *i. Toni autē cōmunes iuxta omnes vertebras, & in internis partibus, & in externis protēduntur. Gale. autē in cōmentatione tonos videtur magis interpretari qui voluntarijs præsunt motionibus: quod factū esse si probè attendas*

Toni qui dicantur, & quare hanc sortiātur appellationē.

tendas maximo consilio videbis, quomodo ad motionem robustiores multò, q̃ ad sensum nerui exposcantur. Hanc sanè esse Hippo. de hac re sententiã censemus. Sed iam orationẽ propositam examinemus. Cùm autor dicat duo toni à cerebro, videtur sanè sextũ neruorũ coniugium designasse ac septimum pariter: potissimum cùm deinceps scribat, vterq; in seipsum incidens, vni similis. Præterea etiã cùm dicat in lienem & iecur exporrigi, hi enim sunt nerui, vt antea nos docuimus, qui in huiuscemodi viscera insinuantur. Magis autẽ opinionem auget, cùm dicat, ad stomachũ magis vtrinq; iuxta arteriã procedere: nam hi cùm ex eodẽ prodeant extra caluariam foramine cũ eo, per quod crassior internæ iugularis venæ ramus, & exilis arteriæ soporariæ portio in cerebrum se insinuant, vsq; ad intimam thoracis partem arteria concomitati atq; vena procedunt. Verùm cùm addiderit sub os magnæ vertebræ, videtur apertè neruos ad septum delatos descripsisse: qui vt antea à nobis dictum est, ex quarto, quinto, sextoq; coniugio spinæ procedunt, quanq̃ validiorem propaginem ex quinto mutuentur. Præterea illud haudquaquam verum esse videtur, quod dixit, vbi vertebræ & septum sunt cohærent, ibi finientes, potissimum si de sexti coniugij ex cerebro distributis neruis id intelligas: nam si de septi transuersi proprijs neruis id ab eo dictũ intelligas, autorem prodes. Quare nunquam effugiet oratio, quicquid intelligas redargutionem, cum nihil distinctè: sed omnia confusè sint tradita.

Ἄλλος τόνος ἐκ τῶν κατέρωθεν σπονδύλων παρὰ ῥάχιν παρέτεινεν ἐκ πλαγίου σπονδύλων, καὶ τῇσι πλευρῇσι ἀπονέμων. ὥσπερ αἱ φλέβες οὕτως οὗτοι διὰ φρενῶν, ἐς μεσεντέριον μοι δοκέουσι τείνειν, ἐν δὲ τουτέοισιν ἐξέλιπον. αὖθις δ' ὅθεν φρενῶν ἐξεπεφύκασιν ἀπὸ τούτου. ξυνεχέες ἐόντες κατὰ μέσον κάτωθεν ἀρτηρίης, τὸ ἐπίλοιπον παρὰ σπονδύλους ἀπεδίδουν ὥσπερ αἱ φλέβες, μέχρι κατηναλώθησαν, διελθοῦσαι ἐς τὸ ἱερὸν ὀστέον.

12. Alter verò tonus, ex vtraq; vertebrarũ parte, iuxta spinã obliquè procedit, & vertebris distribuitur. Quemadmodum autẽ venæ ita & hi, per septum transuersum in mesenteriũ mihi tendere videntur: in his verò delitescunt. Rursus vnde septum transuersum cohæsit, cõtinui facti iuxta medium arteriæ deorsum, quòd reliquum est, vertebris perinde ac venæ distribuunt, donec absumantur ad sacrum os pertingentes.

Quid sibi velit, non facilè percipias: neq; enim de septi neruis id ab eo dictũ esse potest, qui neq; deorsum, neq; ad mesenteriũ, aut vicinas partes propagines vllas demittunt, sed septum ipsum media ferè parte, veluti manu apprehendunt. Fortasse tamen neruus hic illi respondere videbitur, quem ex sexto cerebri coniugio in supernis thoracis sedibus bifariam dissecto, sub costas suc

cingente membrana immergitur propaginibus pluribus ab ipsarũ vertebrarũ lateribus ad ipsum pertingentibus coaugmẽtatus. Has ergo forsitan autor dixit esse soboles, quas neruus hic vertebris distribuit. Nanq; hoc modo verum sanè erit quod dixit, in mesenteriam ipsum distribui inferius nimirum paulò quàm postremam costam adierit: quanq̃ non in ipsum solum, sed in ventriculum, intestina, lienem, atq; renes, quin & ipsum iecur distribuatur. Cæterum quòd dixit: Rursus vnde septum transuersum cohæsit cõtinui facti iuxta medium arteriæ deorsum quod reliquũ est, vertebris perinde ac venæ distribuũt non est vsquequaq; verũ. Quandoquidem post illum vtrinq; ramum, qui in mesenteriam fertur, in duas solum, nõ plures vertebras, aut propagines mittere, aut ab ipsis propagines sumere videntur. Deorsum tamen ad vesicam vsq; protenduntur, haudquaquam vertebris substratis commissi.

Ἐν Αἴνῳ ὀσπριοφαγέοντες ξυνεχέως θήλεαι ἄρσενες, σκελέων ἀκρατέες ἐγένοντο, καὶ διετέλεον, ἀτὰρ καὶ ὀροβοφαγέοντες γονυαλγέες.

13 In Aeno per famem assiduo leguminũ vsu, tam viri quàm fœminæ, cruribus non constabant: atq; ita diutius perstiterunt. At verò qui eruum ingessissent, genua doluerunt.

Scripta est hæc sententia, quarta etiã sectione sexti de morbis vulgaribus libri, quanquam ea in parte nõ addatur per famem, fortasse quoniam incuria librariorũ pars illa sit prætermissa: quemadmodũ in Assulano exemplari perperam τῷ ἄλμῳ, pro τῷ λιμῷ. i. per famem scriptum inuenimus. Quòd autẽ dictio illa cõmodè addatur huic parti, & recta ratio docet, & Galenus in aphorismis confirmat. Siquidẽ per annonæ caritatem, nõ suppetente nutrimẽto quod ex frumẽtaceis frugibus petitur, ad leguminũ, & turpium aliarũ rerum esum homines coguntur cõuerti. Quo fit vt grauissimi morbi assiduò post famem ingruant, quemadmodum Gale. libri de boni maliq; succi cibis initio docet. Adde etiã quòd idem ipse Gale. apertè aphorismorũ. 3. sectione, aphorismi decimi sexti commẽtatione, hanc secuudi libri referens sententiam, hanc adijciat contextui orationẽ τῷ λιμῷ. i. per famem. Exemplo igitur illorũ Hippo. qui in Æno degebant, deterret lectorem ab esu leguminum, quæ vt libro de victus ratione in morbis acutis docet, per se non sunt liberalius ingerenda, sed cum cibis promiscuè. Inquit enim, ὄσπρια δὲ πάντα φυσώδεα καὶ ὠμὰ καὶ ἑφθὰ καὶ πεφρυγμένα, ἥκιστα δὲ βεβρεγμένα ἢ χλωρὰ, τουτέοισιν δὲ μὴ χρέεσθαι εἰ μὴ μετὰ σιτίων. *id est. Legumina omnia flatuosa sunt, & cruda, & cocta, & fricta: minimum autem madida, aut viridia, his autem ne vtitor nisi cum cibis. At verò Ænos ciuitas est Thraciæ, iuxta Hæbri fluuij ostia, quam olim Poltiobriam nominatam fuisse testatur Strabo. Nam Thracum lingua Bria oppidum est, aut ciuitas, vnde Poltiobria Poltij ciuitatem significabit: quemadmodum*

Lib. 2. aph. com. in sent. 16.

admodum Menebriā ea gens nominat, quam posteritas μενέπολιν *nūcupauit: ita sanè Mesembria, & Selimbria ciuitates apud eosdem sunt à conditoribus nominatæ. Verum id nō admodum facit ad rem, qui autē fiat vt leguminibus vescentes, infirma habeāt crura inquirendū potius est, qua etiā de causa, qui eruum liberalius vorant genuū doloribus corripiantur. Sanè legumina omnia quæ Græci* ὄσπρια *dicunt, vtpote quæ & praui sint succi, & alimenti quàm minimū præbeant: insuperq; difficillimè concoquātur, corpora vescentiū prauè admodum afficiūt. Cunq; terrestria, duraq; omnia propemodum sint, crassos humores, terreosq;, cum quadam acrimonia, ac flatu accumulant, qui sensim suo pondere deorsum ad crura ferantur, quo fit vt quemadmodū Aristoteles in problematis dicebat, quibus per famem crura tabescūt, nō aliam ob causam id accidit, q̄ quòd nullū planè capiant nutrimētum, aut sanè exiguū, ex cibis qui suapte natura parū nutriūt, cuiusmodi legumina omnia sunt. Cæterum inter ipsa eruum acrimoniā quandam intimam possidet: quēadmodum Galenus dicebat, quā ad articulos delatū humorem, aut potius saliuam exsiccare, exhaurireq; possit: Vnde & geniculorū dolor potissimū insurgat. Eam nanq; ob causam per vehemētes siccitates, articulorum dolores assiduò fiunt: sed satius fuerit totam ipsius sententiā apponere, quæ tertia aphorismorū sectione, aphorismo. 16. habetur in hūc modum scripta.* Καὶ μέντοι καὶ τὰ ἀρθριτικὰ νοσήματα, τὰ μὲν ἐπὶ ῥεύμασιν οὐδ' ὅλως ἔσται κατὰ τὰς ἀμέτρους ξηρότητας. τὰ δ' ὑπὸ δριμύτητος τινὸς, ἐὰν καὶ θερμότης ἄμετρος προσγίγνηται, τηνικαῦτα μόνον ἔσται. τινὰς δὲ εἴρηκεν ἀρθρίτιδας, ἐν τοῖς αὐχμοῖς γίνεσθαι ζητητέον. εἰ γὰρ ἄμετροι γενηθεῖεν, τὴν δαπανήσειαν ἐκ τῶν ἄρθρων τὴν ὑγρότητα, δυσκινησίαν μὲν τινὰ κατὰ ξηρότητα ποιήσουσι. ἴσως δ' ἄν ποτε καὶ ἄλγημα, τὴν μὴν δὴ καλουμένην ἀρθρῖτιν, οὐκ ἂν ἐργάσαιτο. πλὴν εἰ πᾶν ἄρθρων ἄλγημα καλεῖν τὸ τοιοῦτον τις ἐθέλει. καί τοι αὐτὸς ἐν τῷ δευτέρῳ τῶν ἐπιδημιῶν φησίν, ἐν Αἴνῳ ἐν λιμῷ ὀσπριοφαγέοντες, σκελέων ἀκρατέες ἐγένοντο. ἀτὰρ καὶ ὀροβοφαγέοντες γονυαλγέες. οὐκ ἀρθριτικοὺς ἀλλὰ γονυαλγέας ὠνόμασεν αὐτούς. ἴσως δ' ἄν τις λέγῃ μὴ τὸν ἑνὸς ἄρθρου πόνον, ἀλλὰ τῶν πολλῶν ἀρθρῖτιν ὀνομάζεσθαι, καὶ κατὰ τοῦτο μηδέπω τοὺς γονυαλγέας ἀρθριτικοὺς προσαγορεύεσθαι. i.

Cæterū arthriticæ affectiones, quæ quidē humoris defluxum sequuntur, non euenient in immodicis siccitatibus: quæ autē humoris acrimoniæ sunt soboles, si simul cū immoderato calore affuerint, tunc solū contingēt: quos autē nominauerit articulorū dolores per squalores accedētes inquirendū sanè est. Nam si modum excesserint, vt absumāt ex articulus mucorem: motus quidē difficultatem inducēt, ob siccitatē, fortasse interim et dolorem, nō tamē vocatam arthriticam affectionē: nisi omnem articulorū dolorem ita nominare quis voluerit. Atqui ipse in secundo de popularibus morbis libro dicit. In Æno, per famem assiduo leguminū esu, tam viri quàm fœminæ cruribus non constabant.

Legumina quæ crurum imbecillitatē inducant.

At verò qui eruum ingessissent genua dolitarunt, nō quidem arthriticos, sed genua dolentes ipsos nominauit. Fortasse autem quis dicat non vnius solum articuli dolorem, sed pluriū potius arthritim nūcupari, atq; ob eam causam qui genuū dolore molestatur, nondum ipsos arthriticos nominari. Hactenus Galenus: porrò autem eruum succi quandam continet acrimoniam: quod & vrina cruēta ob ipsius vsum reddita testatur abundè, propterea boum duntaxat atq; iumentorum corpora saginat: non temerè tamen vtcunq; adhibitum, sed præmaceratum prius aqua, & edulcatum. Alia verò omnia leguminum suas peculiares habent prauitates, vt Hippoc. optimè scripsit. ἔχει δὲ ἰδίας μοχθηρίας ἕκαστον αὐτέων. *id est. habet autem propria quædam incommoda vnumquodq; ipsorum leguminum.*

Libro de ratione victus in morbis acutis.

Ἐπιτηδεύειν ὀξυθυμίην ἐμποιέειν, καὶ χρώματος ἀναλήψιος εἵνεκα καὶ ἐγχυμώσιος, καὶ δυσθυμίας καὶ φόβους καὶ τὰ τοιαῦτα, καὶ ἢν μὲν τὸ ἄλλο σῶμα συννοσέῃ, ξυνιῆσθαι, εἰ δὲ μὴ τοῦτο.

14. Conandum est vt iracundia inducatur, & coloris recuperandi causa, & humorum effusionis, quam ἐγχύμωσιν Græci nominant, & lætitia etiam, & timor, & similia: & siquidem vniuersum corpus afficiatur simul sanandum est, sin autem secus, id sat fuerit.

Non vulgarem, sed præcipuam quandam præstat vtilitatē, quod in hac Hippo. sententia, maximo cum iudicio scriptū nobis offertur. Vt scilicet iram excandescentiamq; inferamus, nō quidē temerè, sed cùm oportuerit maximè tum ad euocandos ab alto corporis in summā cutem humores, ac digerendos, tum etiā ad coloris fœditatē depellendam. Nam inter omnia iracūdia præcipuè agitari circa præcordia sanguinē cogit: & veluti efferuescere, ipsumq; ad summam cutem impetu pertrahit potissimū ad caput, vnde & genæ rubicundiores iratis cernūtur, & oculi igneo colore micantes, ac veluti scintillas emittentes, & vniuersus corporis habitus multò quàm antea taugentibus apparet calidior. Quod & Homerus apertè significauit, cùm Agamēnona nobis iratum proposuit aduersus vatem illum Calchanta, inquit enim, μένεος δὲ μέγα φρένες ἀμφιμέλαιναι, πίμπλαντ᾽ ὄσσε δέ οἱ πυρὶ λαμπετόωντι εἴκτην. *Quin & philosophi omnes, potissimum autem Plato* θυμὸν ἀπὸ τῆς θύσεως καὶ ζέσεως τῆς ψυχῆς φησὶ ἔχειν τὸ ὄνομα. *id est. iracundiam à feruore, ac ebullitione animi, inquit, nomen sibi vendicasse. Quam sanè sententiam Galenus vbiq; confirmat, veluti in libris de causis morborum, ad hunc modum scribens.* οὕτω δὲ καὶ ὁ θυμὸς ζέσις τίς ὢν τοῦ περὶ τὴν καρδίαν θερμοῦ, διὰ κίνησιν ἄμετρον, ὅλον ἐκθερμαινόμενος ἐνίοτε τὸ σῶμα, πυρετὸν ἀνῆψε. *id est. Ita quidem & ira cùm sit feruor quidam caloris, qui in corde residet, ob immodicum motum, vniuersum depascens corpus febrem accendit. Eodem planè modo libro de differentijs feb. primo*

Ira quid, & quo motu spiritus turbet.

primo idipsum scripsit. ὁ δὲ γε θυμὸς οἷον ζέσις τις καὶ κίνησις σφοδρὰ τῆς θυμοειδοῦς δυνάμεως, ἐν τῷ σώματι καρδίας αὐτῷ καθιδρυμένης, συνθερμαίνεται δὲ αὐτῷ ποτὲ μὲν ἡ τοῦ πνεύματος, ἔστιν ὅτε δὲ ἡ τοῦ αἵματος οὐσία. *id est. Ira autē veluti efferuescentia quædam est, & motus vehemens irascibilis in corde facultatis, in ipso cordis corpore residentis: simul autē ipsi concalfit spiritus, interim verò sanguinis substantia. Quòd verò in iracundia foras euocetur calor ad corporis superficiem, internæq; partes humore noxio repurgētur, quanquam id ipsum recta ratio doceat, tamen Galeni testimonio confirmare non fuerit forsitan ab re. Extat igitur præclara ipsius de hac re sentētia, in lib. de symptomatum causis scripta: quæ ita planè habet:* αὐτίκα φόβος τε καὶ θυμὸς, ὁ μὲν εἴσω τε καὶ πρὸς τὴν ἀρχὴν ὑπάγει καὶ συστέλλει τό τε πνεῦμα καὶ τὸ αἷμα, σὺν τῷ καταψύχειν τὰ ἐπιπολῆς. ὁ δὲ ἐκτείνει τε καὶ χεῖ καὶ θερμαίνει. τὴν δ' ἀγωνίαν ὀνομαζομένην ἐξ ἀμφοῖν ὑπάρχον σύνθετον, ἀνώμαλον εἶναι ταῖς κινήσεσιν. καὶ τοίνυν καὶ οἱ σφυγμοὶ τῶν ἀρτηριῶν τε καὶ τῆς καρδίας, μικρότατοι μὲν καὶ ἀδυνατώτατοι τοῖς φοβηθεῖσι, μέγιστοι δὲ καὶ σφοδρότατοι τοῖς θυμωθεῖσι, ἀνώμαλοι δὲ τοῖς ἀγωνιῶσιν εἰσί. *id est. Continuò autem timor & iracundia, ille quidem introrsum, ac versus principium retrahit & cohibet, tum spiritum, tum etiam sanguinem: hic autem impellit, fundit, & calefacit. Affectus verò quem anxietatē nominăt, cùm ex vtrisq; his constet, inæqualem quendam habet motum. Quin & pulsus arteriarū & cordis, minutissimi & infirmi admodum timentibus sunt: maximi verò, ac robustissimi ad iram excitatis, in anxietate verò positis sunt inæquales. Hac oratione satis apertè Galenus affectū corporis, tum in iracundia, tum in timore, tum etiam in anxietate indicauit. Timor enim contrahit sanguinem, ac veluti coagulat, impetu quodam ipso ad interna corporis reuocato. Quo fit vt tunc extremæ corporis partes, quas* κῶλα *.i. artus, Græci nominant, præ frigiditate factæ imbecillæ nō possint se continere, quin tremant: ac proinde scitè admodū, prudenterq; summus ille vates Homerus cū timore pressum quempiam proponit, statim inquit,* ὑπὸ δὲ τρόμος ἔλλαβε γυῖα. *id est. contremiscebant artus. At verò in iracundia feruet maximè circa præcordia sanguis, vnde Plato vim animosam in thorace sitam esse arbitratur: in quo cor ipsum tanq̄ moderator quidam corporis sedem habet, quod & Homerus non solum cognouit, verum & apertè indicauit, cùm dicat* τοῖσι δὲ θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ὄρινε. *i. his autem iracundiam in pectore concitauit, quod est generosum, virilemq́ue animum. Quapropter cùm hæc ita vti diximus habeant cōmodè nos ac peropportunè ad iracundiam cōmouebimus illos, quibus frigidus aliquis affectus, innatum calorem ita opprimit, vt propemodum extinguat. Nam ita poterit auctiori facto calore, aut dissipari in totum humor, aut saltem forinsecus educi, quod mulieribus vteri affectibus laborantibus (quas* ὑστερικὰς *Græci nominant)*

minant) in primis est conducibile, aut his qui malo sunt corporis habitu, aut resolutis, in summa quibus natiuus calor occasione quapiã perfrixit, aut ex prima conformatione fuit imbecillis, potissimum cordis ac cerebri, quoniam per iracũdiam his potissimum sedibus sanguis, spiritusq; tumultum faciant. Econtrario autẽ citra noxam moueri in iracundiam nõ poterãt, quibus natiuus calor robustus est, aut quos calidus aliquis affectus exercet. Quæ omnia apertè Galenus libro de spirandi difficultate tertio, & in sextũ de morbis popularibus librũ, commentatione quinta edocuit: ac nos præcedente huius libri sectione, dum illam explicaremus sententiã: medicatoria continuarũ oscitationum respiratio longa existit, fusissimè sumus interpretati. Verum enimuerò quandoquidem quod sexto de morbis vulgaribus libro, sectione quinta traditum à Galeno de hac re est, nostram maximè confirmat sententiam, nõ est silentio prætereundum: scripsit igitur in hunc modum oppidò quàm eleganter. Χρήσιμος δὲ τῶν εἰρημένων ἡ γνῶσις, εἰς τὸ ποτὲ μὲν φυλάττεσθαι τὴν ὀξυθυμίαν, ποτὲ δὲ αὐτὴν ἐπιτηδεύειν. φυλάξεσθαι μὲν, ὅταν ἡ καρδία, καὶ ἡ κεφαλὴ, θερμότεραι τοῦ προσήκοντος ὑπάρχωσι κατὰ φυσικὴν δυσκρασίαν, ἢ τὸ πάθος θερμὸν ἐπίκτητον. ἐπιτηδεύειν δὲ ἐν τοῖς πάθεσι ψυχικοῖς, καὶ τῇ φύσει ψυχροτέρᾳ κεφαλῇ. ὡσαύτως δὲ ἡ καθ᾽ ὅλον τὸ σῶμα κρᾶσις ἡμῶν ἂν θερμοτέρα τοῦ δέοντος, ἤτοι κατὰ πάθος ἢ φύσει, βλαβήσεται μεγάλως ὑπὸ τῆς ὀξυθυμίης. ἡ δὲ ἐναντία τῆσδε μεγάλως ὀνήσεται. τοῦτο γάρτοι καὶ κατὰ δεύτερον τῶν ἐπιδημιῶν ἐδείκνυμεν ὑπ᾽ αὐτοῦ δεδιδαγμένον ἡνίκ᾽ ἔλεγεν, ἐπιτηδεύειν ὀξυθυμίην ἐμποιέειν καὶ χροιῆς ἀναλήψιος εἵνεκα καὶ ἐγχυμώσιος. *id est. Vtilis autem est prædictorum cognitio, vt vitemus interim excandescẽtiam, interim verò sedulò ipsi inferendæ studeamus, vitemus quidẽ, cùm cor ipsum, ac caput calidiora plus iustò fuerint ex natiua temperatura, aut ex ascititia quadam affectione. Inferamus verò in animi affectibus & frigidiore secundũ naturam capite: perinde etiã & in totius corporis habitu res habet, si enim is fuerit iustò calidior, aut ex natura, aut ex affectu supra modum offendetur ab iracundia: sin tamẽ huic contrarius fuerit sentiet sanè emolumentum insigne. Atq; id est, quod secundo de morbis vulgaribus libro ab ipso nos sumus edocti: diligentia adhibenda est vt iracundiam concitemus & coloris reuocandi gratia & effusionis humorum, quam* ἐγχύμωσιν *Græci nominant.*

Ἡ Στυμάργεω οἰκέτις ἡ Ἰδουμαία ἐγένετο, ὡς ἔτεκε θυγατέρα ἐπεστράφη τὸ στόμα τοῦ αἰδοίου, καὶ ἐς ἰσχίον, καὶ σκέλος, ὀδύνη, παρὰ σφυρὸν τμηθεῖσα ἐῤῥύησεν, καίτοι καὶ τρόμοι κατὰ σῶμα πᾶν κατεῖχον, ἀλλ᾽ ἐπὶ τὴν πρόφασιν δεῖ ἐλθεῖν, καὶ τῆς προφάσιος τὴν ἀρχήν.

15. Stymargi famula Idumæa erat: cui, vbi peperisset filiam, vteri osculum contortũ est, & inter coxendicem & crus dolor descen-

dit, hæc

dit, hæc tali vena secta liberata est, quanquam tremores vniuersum corpus detinerent, sed ad causam veniendum est, & causæ principium.

Digna sanè Hippo. est hæc sententia: qua docet, huius ægrotæ exemplo tremulis interim sanguinis missione esse succurrendum, quod non facilè admodũ admisissent proceres illi medici, qui propemodũ omnes frigidum esse affectum tremorem, quemadmodum & palpitatiouem firmiter sibi persuaserant. Sed priusquam rem ipsam aggrediamur, obiter sumus commonendi: paulò aliter apud Galenum, libro de palpitatione, & tremore, hanc sentẽtiam haberi scriptam, in hunc videlicet modum, συμάργου οἰκέτις, ᾗ οὐδὲ αἷμα ἐρρύη, *id est, Stymargi famula, cui sanguis nullus fluxerat, vbi filiam peperisset, factũ est vt vteri osculum ei contorqueretur. Quæ sanè sententia non alium quàm prædicta scopũ habere videtur: eò enim vtraq; tendit, vt indicet tremore correptos, interim missione sanguinis esse curandos. Ad quam sentẽtiam intelligendam, tremoris rationẽ exactè tenuisse est operæpretiũ: quam eleganter admodum nobis Galenus exposuit initio statim libri citati. Neq; enim vt palpitationis, perinde etiã & tremoris propria perpetuaq; causa perfrigeratio est statuenda, sed motricis potius facultatis infirmitas: quæ non potest corporis molem præ imbecillitate sustinere, sed ita quidẽ flaccescit, vt hi qui nimio pressi pondere, cruribus, aut toto corpore intremiscunt. Dum enim membrũ in sublime attollere nititur, non potest vna contentione opus perficere, sed vires veluti resumere gestiens, actionem ipsam intermittit, ac veluti medio in opere resistit, quo tempto propria pressum grauitate membrum, confestim ad ima ruit, rursus dum iterum ipsum attollere nititur, similem quempiam prædicto affectum perpessa, interpellare cogitur actionẽ, atq; hoc modo, nunc ad ima, nũc verò in sublime pars corporis fertur, quo fit vt composita tremoris censenda sit causa, tum ex facultatis imbecillitate, tum ex membri grauitate: cuius tamen præcipua ratio imbecillitati facultatis sit referenda. Quæcunq; igitur imbecillam facultatem reddere possunt, ea inter tremoris causas sunt referẽda, cuiusmodi sunt nutrimenti defectus, aut vitalis facultatis dissolutio, aut vehemens perfrigeratio, aut multitudo, instar grauissimi ponderis facultatem ipsam opprimens. At verò nutrimẽti indigentia apertè depræhenditur in his, qui diutius se fame macerarũt, aut violentas aliquas euacuationes sunt perpessi, quales sunt vberior sanguinis copia reddita, aut superpurgationes vehementes, quæ per cholericas affectiones, aut robusta medicamenta contingunt. Facultas autem vitalis propemodum deficit, in syncopticis affectibus & cardialgicis: sed vehemens perfrigeratio his potissimum, qui per gelu, aut niuem iter conficiunt euenit, quemadmodum plenitudo ob sanguinis, aut plurimorũ*

humorum

humorum redundantiam, quam tremoris causam nuper etiam dicebamus. Quare hæc omnia, cùm varia admodum (vt apparet) sint, curationisq; scopus ex causa morbum efficiente proficiscatur, non vnica curationis methodo tractandi sunt, qui varias ob causas in morbum inciderunt. Sed quibus nutrimenti defectus morbi ipsius imprimis est causa, largior cibus dandus est: qui tamen vires laborantis non offendat, neutiquam autem his aut sanguis substrahendus est, aut medicamentum aliquod purgans adhibendum. Quod si perfrigeratio sit in causa, calidis fouendi sunt auxilijs, quod sanè extremum attulerit discrimen, his qui ob prauorum succorum multitudinem ventriculi osteolum vellicantium intremiscunt. Rursus si plethora, aut alioqui humorũ abundantia præcipua sit tremoris causa, his continuò vena secanda est: quod in hac proposita muliere contigisse Hippocrates refert. Nam cùm à partu nõ commodè purgamenta prodierint, præsertim cùm filiam peperisset, quoniam osculum pudendi luxatum in coxendicem decubuisset, maximam prauorum humorum aceruauit redundantiam, quæ vires ipsius ita opprimeret, vt mole nimia trepidaret, ac vniuersum corpus tremulo motu concuteretur. Hæc inquit tali vena pertusa liberata est, quãquam tremores vniuersum corpus continerent. Propterea sanè id addens, quoniam medicorum quàm plurimi frigidum esse affectum arbitrati tremorem, haudquaquam id auxilium libenter admisissent. Verum Hippocrates, vt qui non empirico modo: sed multo cum iudicio ac ratione morborum curationem aggrederetur ad causam veniendum semper esse dixit, ac causæ principium. Causa quidem erat, humorum noxiorum abundantia, quæ sanguinis missionem impensè poscebat, causæ autem principium vteri ad coxendicem luxatio, aut contorsio fuerat, quod ob sedem affectam tali potius quàm alterius loci venam consortij ratione esse secandam monebat.

FINIS LIBRI QVARTI.

HIPPO.

HIPPO. COI LIBRI SECVNDI SECTIO QVINTA, PHYSIOGNOMONICA, HOC EST, EX aſpectu, naturæ dignotio: Petro Iacobo Steue Valentino Medico interprete.

PRAEFATIO.

NOn dubito quin multis harum ſequentium duarum Sectionum quàm plurima loca ſpuria cenſeri iure optimo debeant, neque defuit, præter eam, quæ ad temporis diuturnitatem attinet corruptelam, aliud longè maius vitium, hominũ imperitorum temeritate commiſſum. Qui partim ob inſcitiam, quæ ſibijpſis confinxerant, aut aliunde excerpſerant præpoſtero cum iudicio, non citra mutilationem interdum contextui huius libri addebant: partim verò quæſtus cauſa, quòd viderent paruam commentationem nõ magni licere poſſe. Quare quæcunq; occurrebant, vel etiam ſordidiſsima, ad calcem potiſsimum librorum magni cuiuſdam nominis viri apponebant, quod tum in libro de hominis natura factum eſſe euidenter cernimus, & libro etiã de victus ratione in morbis acutis, atq; in aphoriſmis etiam Galenus adnotauit. Auxit autem maximè hanc hominũ prauam mentem, malumq; animum adulterandi veterum ſcripta, quæ fuit olim regum Alexandri, & Pergami contentio, in adquirendis claſsicorum virorum monumentis. Vbi enim hi viri illuſtres præmium conſtituiſſent his, qui antiqui cuiuſdam autoris libros ipſis offerrent, tum demum multos vitiatis titulis, ac falſis inſignitos attulerunt. Nos tamen ſentẽtiæ veritatem imprimis ſumus examinaturi, quæ ſi ex votis cedat Hippo. ipſam eſſe dicemus: ſin ſecus doloſi cuiuſdam alterius hominis, & inuerecundi, qui non erubuit ſacris miſcere profana. Hic igitur γνώμων, & certa regula examinandarũ orationum ſequentium eſto. Quæ autem capitibus harum ſectionũ apponuntur, ad phyſiognomonicen ſpectantia. id eſt. ad naturæ ex indicijs cognitionẽ, an ſint Hippoc. nec ne, non auſim affirmare: de ipſis enim Galeni ſententiam non habeo, præter illud, quod libello illo, quo probat animi mores corporis temperaturam ſequi, ſcriptum inuenimus, quod ſic habet. Nihil igitur eſt, quod phyſiognomonicos præterea notas omnes in ſecundo, vel ſexto morborum vulgarium deſcriptas cõmemorem, ſed ſatis eſt gratia exempli verba hæc eius adſcribere, quibus vena in cubito pulſat, inſanũ furibundumq; eſt. Id vnum tantum in his laudare poſſum, quòd quiſquis ea ſcripſerit conſultiſsimè feciſſe mihi videtur, vt qui earum duntaxat partium phyſiognomonicas notas venatus ſit, quæ cuiq; obuiam præſto ſiũt: à quibus etiam indicia citra negociũ depromere poſsit. Cuiuſmodi ſunt, quæ ex oculis, naribus, capite, ceruice, capillis ac

Quæ fuit cauſa propter quã olim claſsicorũ virorũ libri vitiabantur.

lis ac voce petuntur: in quibus potißimum considerãda esse quæ oculis insunt censemus: vtpote ex quibus certior potiorq́; naturæ indiciorum ratio desumatur. Quemadmodum Adamantius sophista in physiognomonicis scripsit: σημεῖα τε δὴ παντὶ τῷ ἀνθρώπου σώματι, καὶ φωνὴ δὲ καὶ πνεῦμα καὶ χρόα, εἰς τὸ φυσιογνωμονεῖν συντελεῖ. τὰ δὲ πολλὰ τῶν σημείων καὶ σύνολα τοῖς ὀφθαλμοῖς ἐνίδρυται, καὶ ὥσπερ διὰ πυλῶν τούτων ἡ ψυχὴ διαφαίνεται. *id est. At signa in vniuerso corpore sunt posita, voxq́; & spiratio, & color nõnihil ad indiciorum promendorum rationẽ conducunt, plurima autẽ & quæ aliorũ omnium vices gerunt, oculis insident, per quos veluti per portas quasdam ad animã facilis aditus patet. Neq; enim hæ partes quo ex ipsis indicia peti poßint denudari quemadmodum thorax ac reliquæ partes expostulant. Hinc est quod prõptißimè ex ipsis de totius corporis temperatura, quam animi mores sequi monstrauit Galenus, ferre iudicium quiuis poßit.*

Ὁκόσοι πυῤῥοί, ὀξύῤῥινοι, ὀφθαλμοὶ σμικροὶ πονηροί. ὁκόσοι πυῤῥοί, σιμοί, ὀφθαλμοὶ μεγάλοι, ἐσθλοί.

1. Quicunque rufi sunt, acutoq́ naso, ac paruis oculis præditi, hi nequam sunt: qui verò rufi resimi'que sunt, ac magnis oculis præditi, boni.

Quod non vni duntaxat signo innixus, suam protulerit sententiam, quisquis fuerit huius orationis autor, cõmodè sanè fecisse videtur: fallacia nanq; huiusmodi sunt signa propemodũ omnia, quæ ex aspectu intimam animi naturam mentiũtur. Nam & Aristoteles lib. quem φυσιογνωμονικὸν *inscripsit, hæc inquit:* ὅλως δὲ τὸ ἑνὶ μὲν τῶν σημείων πιστεύειν εὔηθες, ὅταν δὲ πλείω συμφωνοῦντα καθ' ἑνὸς λάβῃ, μᾶλλον ἤδη κατὰ τὸ εἰκὸς ἄν τις ὑπολαμβάνοι ἀληθῆ εἶναι τὰ σημεῖα. *id est. In vniuersum autem vni tantum signorum fidem habere, ignauum est: cùm autẽ plurima in vnum conspirantia videris, tũc vt æquum est, suspicari debes vera esse signa. Proptereaq́; quòd non vnũ (vti diximus) tantũ tradat signũ, sed plurimorũ fecerit congeriem laudandus autor est: quod autem nihil egregium doceat mirari certè debemus, neque enim bonitatis, aut malitiæ simpliciter signa proponenda erant: sed virtus illa, aut vitium ob quæ bonum posteriorem, malum verò priorem dixerit, apposuiße debebat. Num scilicet bonum intelligeret generosum hominem, aut bonæ indolis, aut misericordem, aut studiosum, aut mansuetum, aut liberalem: malum verò meticulosum, aut malæ mentis, aut impudentem, aut atrocem, aut sordidum, aut vafrum hominem. Hæc enim sunt potißimum vitia, virtutésque ob quæ alij boni, alij verò rursus mali appellantur. Quapropter diligenter ea distinguere debuißet. Quod sanè quiuis citra negotium præstare poßit, si sedulò singulas propositas notas disquisierit.*

Sanè

Sanè rufi, quos Græcì πυῤῥοὺς nominant, illi ſunt intelligendi, qui huiuſmodi capillorum colorem tum mento, tum capite, tum alijs etiam partibus nacti fuerint: hos Galenus ſecundo temperamentorum libro medios inter flauos (quos ξανθοὺς appellat) & candidos ſtatuit. Nam flaui, bilem flauam ſupra modum abundare demonſtrāt: quemadmodum atri, bilem atram, candidi verò pituitæ potius indicant exceſſum: medij autem inter hos cenſentur eſſe rufi partim bilioſi, partim verò pituitoſi humoris ſoboles. Hi ergo medio quodā inter extrema modo ſe habentes per ſe nihil mali portendunt, ſed tantum ingenij acumen, quod facilè (quæ eſt hominū in malum prona voluntas) in prauas actiones pertrahatur, ac propterea callidos eſſe, ac aſtutos huiuſcemodi homines phyſiognomones omnes profitentur, inter quos Ariſtoteles refert: πυῤῥοὶ ἄγαν πανοῦργοι, ἀναφέρεται ἐπὶ τὰς ἀλώπεκας. id eſt. Rufi valde verſuti, referuntur ad vulpes. At πανοῦργος eum propriè ſignificat, qui omnibus in rebus verſatus eſt ἀπὸ τοῦ παντὸς καὶ ἔργου. Verum quoniam hi callidi eſſe ſolent, hinc factum eſt vt accipiatur pro aſtuto, vafro, verſipelli, veteratore, ac fallaci. Porrò autem nares acutæ, ſubdolam mentem, conſilijq; inconſtantiam pollicentur, quod ſanè refertur ad aues: quemadmodum Ariſtoteles inquit, οἱ δὲ τὴν ῥῖνα ἄκραν λεπτὴν ἔχοντες, ὀρνιθώδεις. id eſt. Qui naſum habuerint in ſummo tenuem, aues referunt. Addit autem Adamantius ſophiſta, τοιαῦτα οὖν καὶ τὰ ἤθη προσδόκα. id eſt. Tales autē mores expecta. At verò reſimæ nares ſignificant ſalacitatem, ac libidinem, qui huiuſmodi habuerint naſum ſunt ſcortationibus, & libidini diditi: nam id ad ceruos refertur, vt inquit Ariſtoteles. Iam verò oculi parui quidem puſillanimitatem, magni verò magnanimitatem & ingenuum animum ſignificant. Qua ratione autē iſtud fiat, quomodo etiam in magnitudine ac paruitate oculorum notæ ex ſtructuræ concinnitate ſunt diſtinguēdæ apertè monſtrauit Galenus, libro quem ἰατρικὴν τέχνην nuncupauit. Quod tamen ad pupillam attinet, latitudo ſoliditatis, paruitas verò vafriciei eſt indicium. Cuius rei argumentum eſt, quòd inter animalia rationis expertia, angues, ichuenmones, ſimiæ & vulpes, & ſi quæ alia ſunt vafra animalia, tenues habent oculorum acies: oues verò, ac boues, & quæcunq; alia bonorum ſint morum & ſimplicia, latè intuentur. Bona autem φυσιογνωμονίας pars, in comparatione ad irrationalia animalia eſt poſita: quemadmodum Adamantij ſophiſtæ, atq; Ariſtotelis comprobari poteſt teſtimonio: γίνεται δὲ ἐν ἀνθρώποις εἴδη ὀρνιθώδη τε, καὶ θηριώδη, οὐ παντελῶς, ἀλλὰ τρόποις ἐξεικασμένα. τῶν μὲν πλέον τῶν δ' ἔλαττον τῶν θηριωδῶν ἔχοντος. ὡς ὅτι ἂν τῶν θηρίων ἡ μορφὴ τῶν ἀνθρώπων φέρῃ κατὰ τοῦτο χρὴ φυσιογνωμονεῖν αὐτόν. καὶ εἰ πολλῶν θηρίων συντρέχοιεν ἐν τὸν αὐτὸν ἄνθρωπον τύποι ἀπὸ πάντων τούτων χρὴ φυσιογνωμονεῖν αὐτόν. ὅσα γὰρ εἴδη οἱ ἄνθρωποι τοσαῦτα ἤθη κέκτηνται. id eſt. Videntur autem in hominibus

ſpecies,

ſpecies,quæ tum aues,tum feras imitentur,non omnino quidẽ,ſed modis quibuſdam alio magis,alio verò minus ferinam ſpeciem referente. Atq; in eo maximè,in quò forma hominis ad feræ ſpeciem accedit, in illo feram ipſam mentietur. Pariterq́; ſi in vno, eodemq́; homine plures ferarum conueniant typi, ab omnibus colligere eius naturam oportet: quàm plures enim homo retulerit ſpecies,tam multos etiam habere mores eſt neceſſum.

ὑδρωπιώδεες, χαροποὶ, φαλακροὶ ἔωσιν.

2 Hydropici cæſij calui fuerint.

χαροπῶς *Hippo. vocauit,quos nos cæſios vertimus,alij rauos dici volunt, cæſios autem eoſdem eſſe ac glaucos, quaſi cælicos dictos. Nou magni autem hæc referũt,quando ſignificanda res nobis proponitur:neq; de nomine eſt diſceptatio. Nam omnes citra controuerſiam,quos Græci* χαροπῶς *nominant, calidi eſſe ac ſicci temperamenti affirmant: quod & ſummus ille vates poterit cuiuis perſuadere,cùm dicat:* ἄρκτοι ἀγρότεροί τε σύες χαροποί τε λέοντες. *i. Sylueſtresq́; ſues,vrſi, charopiq́; leones. Leones quidem* χαροπῶς *appellans, quia tali oculorũ colore ſunt præditi, ac ſine controuerſia omnes calidi ac ſicci ſtatuantur. Quod ſi igitur diligenter accurateq́; plurimorũ leonum oculos intuearis, memoriaq́; colorem oculorum quem tibi habere videntur tenueris, atq; ad hominum oculos illum transferas,poteris citra negotium,quinam* χαροποὶ *ſint rectè cognoſcere. Cùm ergo ſicci hi omnes perinde ac leones ſtatui debeant,quantũ ad oculos attinet,ac quantum ex oculorũ colore deprǽhendi totius corporis temperamentum poteſt,caluitium autẽ ob ſiccitatem ſummam oriatur, quòd nimirum non poſſint à calore excitatæ fuligines, alioqui modicæ,ſummam meatuum ob ſiccitatem conniuentiam reſerare, quemadmodum neq; in ſicca admodum lapidoſáque tellure herbæ pullulare poſſunt. Quid in tellure dixi? Imò neq; in his animantibus,quæ aut à duro tegumento* ὀστρακόδερμα *nominantur, aut ob ſquamarũ multitudine* φωλιδωτά. *Haudquaquam igitur mirum erit, ſi calui fiant, qui huiuſmodi habuerint oculos, potiſſimum cùm ex illis capitis, atq; adeò ſummæ qua caluaria obducitur, cutis temperamentum oſtendunt. Adde quòd hydropici cùm maxima ex parte hæctica ſimul febre laborent, quæ ſenſim totam exhaurit ex ſolidis partibus humiditatem,facilius ſi cæſij fuerint,ad calutium perducentur. Neq; equidem obſtat quòd plurima hoc affectu correpti turgeant humiditate, ea nanq; cùm nõ ſit innata, neq; corpori familiaris, nõ poteſt quidquam ad euutriẽdos pilos prodeſſe,alioqui neq; ſenes vnquam calueſcerent: qui tamẽ ſoli id patiũtur. Non ſum autem ignarus, quòd Galenus libro de morbis popularibus tertio, dum illam interpretatur ſententiam* εἶδος δ' ἦν τῶν φθινωδέων τὸ λεῖον καὶ τὸ ὑπόλευκον. *id eſt. Genus autem erat tabidorum, glabrum ſubalbũ, et reliqua: cæſium colorem*

Charopi qui dicantur ab Hippocrate.

colorem pro glauco, nomine falsum Hippo. posuisse, sit arbitratus, sed id ad coniecturã vsq; duntaxat scripsit. Quanq̃ autẽ eo in libro male nomine vsum fuisse Hippo. fatendũ sit, propterea in hac parte nõ est eiusdem criminis accusandus. Quod si semper Hippo. χαροπὸ *nomen pro glauco acceperit, satis fuerit id firmũ argumẽtum, quo hæc physiognomonica nõ fuisse ab Hipp. scripta censeamus. Sed interim aduerte num si* χαροπὸν *glaucum intelligat, caluitium oriri voluerit ob redundantiam putrefactæ pituitæ, quæ pilorum radices adurat. Ita enim caluitiũ, quanquam nõ admodum propriè interdum Hippo. desumit, quemadmodũ aphorismorũ. 6. sectione, aphor. 34.* ὁκόσοι φαλακροὶ, τουτέοισιν κιρσοὶ μεγάλοι οὐ γίνονται. ὁκόσοις δ᾽ ἂν φαλακροῖς κιρσοὶ ἐπιγίνωνται, πάλιν γίνονται δασέες. *id est. Quicunq; calui sunt, his varices magni nõ fiunt, quibus autem caluis varices fiunt, rursus pilis abundant. At verò caluitiũ nõ est morbosa affectio, sed naturalis: cùm enim morbo quopiã quis glabrescat, partim alopecia, partim* ὀφίασις, *in summa capillorũ defluuium dicitur, quod tabidis multoties vsuvenire conspicimus, cùm morbus iam extremè sæuierit, quo tempore & vngues quibusdam etiã incuruantur. Legi præterea apud Hipp. lib. quarto de morb. popularibus, aniculam quandam, quæ apud Sosileũ habitabat, alba pituita refertam, atq; aqua intercutem laborãtem, tandem oculorũ glaucedinem contraxisse, qua in parte animaduertisse illud memini, Hippoc. huius in oculum hydropicis abscessus, annuum spacium tradere.*

Ἰσχνοφωνίην κιρσὸς λύει, ὃν τὸν ἀριστερὸν καὶ τὸν δεξιὸν ὄρχιν αὐτοῦ τούτου τοῦ ἑτέρου οὐκ οἷόν τε λύεσθαι.

3. Vocis gracilitatem, varix soluit, ad sinistrum & dextrum testem, sine horum altero fieri non potest vt soluatur.

Quatenus voci & genitalibus cõueniat, dictũ abundè in prima huius libri sectione à nobis est: quomodo etiã turgescẽtibus semine testiculis, vocis mutatio contingat manifesta ad grauitatẽ. Præterea quòd Venereus appetitus eo tempore sæuiat, atq; Veneris vsu calidius multò corpus euadat. Nunc verò quosnam Hipp. ἰσχνοφώνους *nominauerit inquirendũ est, hos vbi inuenerimus, causam ob quam varicibus testiculorũ liberẽtur facilimũ erit recensere. Aduertimus sanè apud Galenũ, cõmentario in primũ de morb. popula. secundo, inuicem distingui* ἰσχνοφώνους, καὶ λεπτοφώνους. *i. gracili voce præditos, ab his qui exili sunt voce, quanq̃ interdum vtroq; nomine idem affectus significetur, vt pote quòd vnam vtriq; noxæ habeant causam, natiui nempe caloris per generationis primordia imbecillitatem. Propriè tamẽ* λεπτοφώνους *voluit nominari illos quidem, qui ob asperæ arteriæ angustiã, aut ipsius laryngis duntaxat vitium contraxerunt:* ἰσχνοφώνους *autẽ. i. gracili voce præditos illos potius, qui ob musculorũ laryngem mouentiũ innatum affectum in vitiũ incidissent. At verò* Qui λεπτόφωνοι, & qui ἰσχνόφωνοι nominẽtur.

quòd hi liberētur ab affectu, per varices testibus obnascētes manifestum est. Vocantur autē varices in hac parte, varicosa illa seminariorū meatuū pars, quæ testiculis adnascitur, quam παραδιδυμίδα, ob variū implexū Græci nominarunt: hæc autē turgescit ob seminis redundantiā instar varicū, quæ in tibijs protuberāt. Nam cùm eo tēpore Veneri potissimū homines dent operā, irritatis genitalibus à seminis acrimonia, augescit planè calor circa testes, quò per vniuersum corpus reflexo, refractoq; tum dilatari hactenus angustas partes est necessum, tum solui musculorū innatū vitiū par est. Quare si ἰσχνοφώνους. i. gracili voce præditos oēs intellexeris, qui vsq; ad pubertatē graciliorem multò q̄ postea vocem edūt haudquaq̄ erraueris, nā post pubertatē omnibus insigniter ad grauitatē immutari vocem maximè est compertū. Hinc est, vt quos diutius seruare vocis tenuitatē delicatè volunt, his testes amputēt, vtpote quibus nō amplius pubertatis tēpore vocem mutatam iri sit quoquo modo timendum. Quin potius eam sint imperpetuum incolumem seruaturi.

Μεγάλοι, φαλακροὶ, τραυλοὶ, ἰσχνόφωνοι, ἐσθλοί. νοσήματα δὲ ἔχουσι τραυλὸς, ἢ φαλακρὸς, ἢ ἰσχνόφωνος, ἢ δασὺς, ἰσχυρῶς μελαγχολικά.

4. Magni, calui, balbi, gracili voce præditi, boni sunt: morbos autem habent balbi, aut calui, aut voce gracili præditi, aut hirsuti, vehementer atrabilares.

Nunquid omnia hæc signa vnius esse velit, aut singula per se hominis bonitatem significare, neq; ipse apertè protulit, neq; nos idipsum possumus diuinare. Expendemus tamē singula sigillatim, quo possimus rectū de proposita referre iudiciū. Magnitudo quidē corporis imprimis nō citra distinctionē, bonam hominis indolem portendit. Nam quod in singulis partibus animaduertendum esse Galenus nos docuit, id præcipuè in toto corpore debet cōsiderari. Capitis enim magnitudo (vt exemplum proponamus) per se laudāda nō est: sed diligenter expendendum, num cōcinna sit, num etiā quæ ab eo ducūt ortū veluti ceruix ipsa vegeta, adultaq; sint. Nā si huiusmodi fuerit, virtutis formatricis significabit robur, ac firmitudinē, sin secus vitio verti debet, quòd nimirum materiæ potius copia, quàm innatæ facultatis fortitudine talis euaserit. Ita sanè oculorū, aliarumq; partiū magnitudo est dijudicanda. Quin & corporis totius nō secus: nam si cōcinna sit singularū partium structura, mutuaq; inter se analogia respōdeant, haud dubiè facultatis totū corpus cōpingētis robur significatur, quo fit vt generosus huiusmodi homo sit, prudēsq; boniq; animi iudicandus. At verò mutua partiū analogia hæc est: vt pes sui corporis sit altitudinis sextæ, cubitus verò sesquipede cōtineatur, sitq; sui corporis quarta in lōgitudine portio, digitus verò sextadecima pars pedis. Rursus caput à mēto ad summū verticē sui corporis est longitudinis octauæ: ad frontem verò

Partiū corporis analogia.

tem verò vſque,atq; capillorũ radices decimæ. Item manus palma ab articulo ad extremũ medium digitũ tantundem. Rurſus à capillorũ radice ad naſi vſq; iuxta oculos finem,totius faciei pars tertia habetur,totius verò corporis trigeſima:tantundem à naſi radice vſq; ad ſummũ naſum habetur: atq; inde vſq; ad menti imũ,tantũdem. Rurſus à ſummis naribus vſq; ad oris rictũ totius faciei pars nona cõpletur:itemq; à rictu ad ſummũ mentum,& à ſummo mento pariter ad imum vſq; mentũ totius faciei pars nona,quanq̃ vltimæ hæ duæ faciei portiones, quas modo ſumus executi ad mentum pertinentes, non exactè reſpõdeant nonæ totius faciei particulæ,quòd nimirũ mentũ cõtrahatur introrſum,neque adeò vt aliæ faciei partes promineat. Quo fit vt ſi ipſius noſſe ad partes alias rationẽ ad vnguẽ volueris, nõ poſſis ipſam perfectè tenere, cùm ſit ex irrationaliũ proportionũ aceruo, quas mathematici omnes ἀῤῥήτους nominant, quæ proximè tamẽ ad veritatẽ accedere videtur,ea ſanè eſt quam præfiximus. Quare ſi lineam rectam ab imo mento aduſq; capillorũ in frõte radicem, per ſumma labra,naſiq; imas partes productã quis intelligat; rurſusq; ab extremis huius lineæ ſignis, ad ſummã ceruicem productæ lineæ ſimiliter intelligãtur, iſopleurũ quidẽ triangulum conſtari debet. A cuius ſanè iuxta ceruicẽ angulo ducta perpendicularis, rectà ad mediã naſi prominulam partẽ progreſſura eſt. Naſi verò ſummitas hanc quam modo diximus lineam per ſumma labra tendentem , nona totius faciei parte excedere debet, adeoq; tota totius faciei parte extra triangulũ eſſe poſita. At verò oculus ab ima parte vſq; ad ſupercilia,atq; vtrinq; ſextæ totius faciei parti æquari debet,quadrata videlicet figura. Auris verò longitudine,naſi longitudini debet reſpondere,at latitudine ſextæ totius catheti parti æquari, cuius ampliſſimã portionẽ à ceruice ducta per pendicularis bifariã diuiſura eſt. Cæterũ colli ratio ad vniuerſum corpus eſt ſubdecupla quintupla. Nam corpus totũ, ipſius faciei eſt decuplũ, ipſius verò faciei cũ collo ſextuplũ. Deinde thorax cubitali cõtinetur longitudine, vtpote qui ſui corporis eſt lõgitudinis quartæ. Thoracem autẽ, aut pectus ad vmbilicũ vſq; protendi intelligẽtes, quoniã eouſq; duodecima thoracis vertebra produci debet, ſi modo corpus debitam partium analogiam ſit nactum. Vmbilico ergo totius corporis medio conſtituto, ſi hominẽ ſupinũ ſtatuas, ac quàm maximè tum pedes tum manus deducere cogas immotoq; circini altero pede vmbilicoq; innixo, alterũ circũagas attingere ſanè debet tum craſſiores pedũ digitos, tum manuũ medios, atq; ipſum verticẽ. Quòd ſi qua parte hæc ratio deficiat, illic ſubeſſe vitiũ arbitrabere. Quin etſi inter expanſos pedes menſum cõcipias, itemq; inter manũ ac pedem vtrinq;, perfectũ habebis circulo inſcriptũ quadratũ. Hic eſt partiũ corporis mutuus proportionis cõmenſus, quo egregij omnes olim pictores & ſtatuarij ſunt vſi,

ex quo etiam maximas sæpenumero laudes assequuti sunt. Iam verò calui ne scio quo pacto, aut qua ratione boni sint iudicādi, nihil enim aliud caluitium quàm summā siccitatē pollicetur, bonos autē mores, quantū ex se est, non magis q̄ prauos significat. Sed quid de balbis sentiendū est, quos Græci τραύλους *nominant? an virtutis studiosos, hos magis quàm vitij arbitrabimur? me hercule nō video vbinā firmari iudiciū possit. Quemadmodū enim caluis ob summam siccitatē affectus contingit, ita sanè & traulis ob nimiam humiditatem, linguæ musculos vehemēter irrigantem: nihil enim aliud balbuties est, quàm linguam mouentiū musculorū affectus, ob quem ipsi prauè affecti nō permittunt linguā, aut celeriter moueri, aut ipsam dentibus firmiter obfirmari. Lib. nanq; morborū vulga. 1. sectione. 2. hunc in modū de traulis scripsit Galenus* ὥσπερ δ' ἐν τοῖς τὸν λάρυγγα κινοῦσι μυσὶ φαυλότερον ἐξ ἀρχῆς οἱ ἰσχνόφωνοι διεπλάσθησαν, οὕτως τοῖς τῆς γλώττης οἱ τραυλοί. *i. Quemadmodum autē prauam in musculis laryngem mouētibus conformationem, qui gracili sunt voce ab initio contraxerūt, ita & balbi in his, qui linguam mouēt, malè sunt affecti. At verò aphorismorū lib. 6. longè plures huius affectionis causas animaduertisse videtur, quemadmodū linguæ breuitatē, quæ cùm nō contingat summos dentes neq; citra titubationē dearticulare voces potest, est tamē hæc causa admodū rara. Necnon etiam summam eiusdem siccitatē, quæ maximè accidit inter loquendum extremè fatigatis, aut his qui longiori tempore tibia cecinerūt, aut quibus longo ex morbo vires plurimū sunt debilitatæ. Sed cùm siccitas tanta inesse haudquaq̄ possit his, qui statum corporis seruāt naturalem, mirum nō est, si inter balbutiei præcipuas causas minimè recenseatur. Est nanq; summa musculorū (vti diximus) linguam mouentiū irrigatio huius affectionis præcipua causa, atq; ita videmus & pueros frequēter balbutire, et temulentos etiā, quibus non musculi hi solùm sed nerui omnes ex cerebro distributi vehemēter humecti madidiq; apparent. Quid autem id faciat ad bonos animi mores, aut efficiendos, aut significandos, ipse quidē haud noui, tu verò si nosti, exponas rogo. Deniq; vocis gracilitas ob musculorū laryngem mouentiū affectum contingit, nihil neq; ipsa (vt video) ad bonos nunciandos mores valens. Qua potius hæc vox, vt ad fœminas maximè attinet, ita & viros molles, effœminatosq; potius potest indicare. Nam quicunq; muliebrem referūt notā, aut oculis, aut ingressu, aut voce, aut id genus alio, dolosam mentem, & infidum animum hi omnes habēt, quod apertè Adamātius ille sophista in physiognomias præfatione testatur, in hunc modū scribens:* ὁπόσοις γένος γυναικεῖον εἶδος ὑπερέχει ἔν τε τοῖς ὀφθαλμοῖς, καὶ τοῖς ἄλλοις, τέμνε εἰς ἡδυπάθειαν, καὶ ἀφροδίτην, ἀσὶ γυναικεῖοι. τολμηροὶ δὲ καὶ ἀναιδεῖς, καὶ πανουργίας καὶ ἀπάτας καὶ ἀπιστίας χαίροντες, καὶ γὰρ ταῦτα γυναικεῖα. *id est. Quibuscunq; igitur effœminata species,*

Trauli qui dicantur.

tum in

tum in oculis, tum alibi cernitur, quòd ad voluptatẽ & Venerẽ attinet effœminati sunt & muliebres, temerarijque & impudentes, astutia, fraude, & perfidia gaudẽtes: nam hæc omnia mulierũ sunt. Quin & lib. 2. idẽ autor hæc inquit: βελτίω δὲ τὰ ἄῤῥενα τῶν θηλέων ὡς ἐπὶ πλεῖστον. τὸ μὲν ἄῤῥεν γενναῖον, ἀνδρεῖον, δίκαιον, θυμοειδὲς, φιλότιμον, ἄκακον. τὸ δὲ θῆλυ ἀγεννὲς, πικρὸν, δολερὸν, κακόφρονον, ἄδικον, φιλόνεικον, θρασύδειλον. *i. Meliores autẽ semper mares quàm fœminæ maxima ex parte: mas enim generosius, magnanimus, iustus, iracũdus, liberalis, minimè malus: fœmina verò vilis, acerba, dolosa, malæ mẽtis, iniusta, rixosa, cum audacia timida. Non oportet plura referre, hæc enim sufficiunt, quò autoris hæc oratio nõ sibi constare videatur, aut nos eius mentem minimè fuisse assecutos ostendant. Porrò illud quod adiectũ ad orationis calcem est, apertè mẽdaciũ promit: neq; enim inter alios trauli, quos nos balbos dicimus, morbis corripiũtur atrabilaribus, sed profluuijs potius alui longis, vt Hipp. in aphorismis dicebat. Huic enim affectui natura huiuscemodi homines proni sunt, vtpote quibus vehementer, vberrimeque ventriculus ob humoris copiam irrigetur, interna enim ipsius tunica (vt ex anatome didiscimus) cõmunis etiam & linguæ habetur.*

Ὅσοι τῇ γλώσσῃ παφλάζουσι, χειλέων μὴ ἐγκρατέες ἐόντες, ἀνάγκη λυομένων ἐμπύους γίνεσθαι.

5. Qui lingua titubant, labiorumq; non sunt potentes, necessum est solutis his suppuratos fieri.

Onomatopœia Hipp. vsus est, cùm dicat: ὅσοι τῇ γλώσσῃ παφλάζουσι. *id est, qui lingua titubant, minimeq; expeditè loquuntur. Solemus autem nomẽ confingere, aut cùm rei alicuius nomen non est, aut non satis idoneum, imitationis nimirum, aut significationis gratia. Fictum autem est* παφλάζειν *ab imitatione eorum, qui lingua offendunt, qui errantes, iterũ atq; iterum resumunt verba, quemadmodum Galenus lib. de antiquis Hippocr. dictionibus apertè ostendit,* παφλάζουσι ὠνοματοπεποίηκε, τοὺς πταίοντας, καὶ ἐπαναλαμβάνοντας, ἐν τῷ διαλέγεσθαι δηλῶσαι βουλόμενος, *id est,* παφλάζουσι. *verbum confinxit per onomatopœiam, offendentes, & resumentes, inter differendum significare volens. Postmodum verò factum hoc verbum est fluuiale, à continuo murmure, quem maximè balbutientes referunt, transfertur etiam ad ea quæ bulliendo sonitum edunt ob eandem rationem. At verò qui lingua titubant, offenduntq; maximè inter differendum, symptoma hoc ob nimiam musculorum linguam mouẽtium humiditatem cõtraxerunt: perinde quidem ac balbi à quibus nihil penitus, aut parum admodum differunt. Hi ergo si labiorũ etiam non sint potentes, hoc est, infirma molliaq; habeant labra, id sanè ob maximam cerebri irrigationẽ patiuntur, neruis nimirum ab ipso originem ducẽtibus vehemẽter*

παφλάζειν quid

X iij madefactis

madefactis. Si ergo horum solutio fiat, alterum duorum est necessum, aut cerebrum in naturalem constitutionem transmutatum noxam deposuisse, aut alio confluxisse humorem. Quod si cerebro melius habente id fiat, tantũ abest vt purulenti sint futuri, qui talia patiebãtur, vt in totũ ab affectu sanatos esse sit credendum. At vero si qui in lingua labijsq; se recipiebat humor, iam alio, pristina sede relicta se contulerit, timendum sanè est ne in thoracis cauitatem, aut in pulmones, decubuerit: ad quas potissimum partes ex cerebro humor defertur, diutiùs igitur in his partibus, humorem detentũ, verisimile admodum est putredine corruptum iri, ex quo tandem purulenti euasuri sint. Nam quòd purulenti sint, quibus putrefacti humoris copia in thoracis cauitate aceruatur, nemo equidem ambigit. Admonendi tamẽ sumus legi in Græco codice χειρῶν μὴ ἐγκρατέες ἐόντες. *id est. Manuumq; non sunt potentes, cùm lubricus sanè lapsus sit* χειρῶν *pro* χειλέων.

Ὀδύνην τῶν ἔσω κάτω χωρίοισιν, ἰσχυρὴ κωφότης λύει, καὶ αἷμα πολλὸν ἐκ ῥινῶν, ἢ μανίη.

6. Dolorem inferiorum locorum, valida surditas soluit, aut sanguis plurimus ex naribus stillans, aut furor.

Non est mirum aliò confluentibus humoribus, affectarũ sedium solui passiones. Confluunt, autem aut ad imbecillas, aut ad eas quibus cum habent consortium. Quapropter quàm ob causam humor abscesserit, interest medici considerare, an ob virtutis robur, an potius ob affectionis sæuitatem. Distingues id autem facilè his indicijs, vt antea in prima huius libri sectione dictũ est, si deorsum fiat abscessus, quam longissimeq; ab affecta parte, atq; secundum rectum, materiaq; iam cocta, nõ crudo vexante humore, à parteq; insuper nobili ad minus necessariam: hæc enim bonum laudabilemque abscessum fuisse significant. Inter hos tamen optimi sunt, qui per effluxum fiunt, qui quanquã ex infernis sursum abscedat cõmodi sunt. In fortibus igitur infernarum partiũ doloribus sanguis ex naribus stillans, si secundum rectũ fluat laudandus est, iecore nimirum dolente ex dextra nare, liene verò affecto ex sinistra. Valida autem surditas, aut furor nõ vsquequaq; bonum significant abscessum, cùm multò deteriores interdum sint hæ affectiones, quàm prima, quæ ægrotum ipsæ leuarunt. Cornarius huius postremam partem multò aliter cõuertit, & nescio quid addit præter ea, quæ in exemplari habentur.

Ἢν λεχοῖς σπασμὸς ἐπιγένηται, πῦρ ποιέειν, καὶ ἐς κύστιν κηρωτὴν ἐγχέας πολλὴν χλιαρὴν, κλύζειν.

7. Si puerperis conuulsio accidat, ignem facito, in vesicamq; ceratum infundens plurimum ac tepidum, subluito.

Partim ex repletione, partim verò ex inanitione conuulsionem fieri Hippocratis

pocratis est sententia: ex inanitione quidẽ vehementer resiccatis motionis instrumentis, quod per ardentes febres, immodicasque euacuationes vsu venire conspicimus. Ex plenitudine autem cùm impensè irrigantur nerui, qui sunt motionis opifices. Cùm igitur vndiquaque obsepti nerui lento aliquo glutinosóque humore, madidiores euaserint, quemadmodum fides per austrinam aëris constitutionem distenduntur, plurimam in se ipsis humiditatem concipientes: arctantur quidem ac contrahuntur ad originem, atq; deprauatam quandam edunt motionem, quam conuulsionem Medici appellare consueuerunt. Huic sanè affectui, calidis medicamẽtis est opus, quibus huiuscemodi humor noxam pariens, partim absumatur, partim verò exsiccetur: nihilq́; (vt simpliciter dicam) cõmodius cedere potest, quàm lentam quandam febrem accersere, cuius ope voti compotes nos fieri valeamus. Ac proinde Hippo. in aphorismis dicebat, ὑπὸ σπασμοῦ ἢ τετάνου ἐνοχλουμένῳ πυρετὸς ἐπιγενόμενος λύει τὸ νόσημα. *id est. A conuulsione, aut distensione infestato febris superueniens, soluit morbum. Id sanè est, quod in hac parte nos monet, si puerperis conuulsio accidat, ignem facito. Nam puerperis potissimum his, quæ nõ probè in puerperio sunt purgatæ, ob humorum per vniuersum corpus tumultuationem, conuulsiones, tremoresq́; frequenter contingunt, quibus calidis auxilijs succurrendum esse quiuis nouerit, quò humor ille impetũ, tumultumq́; mouens, aut foras protrudatur ad loca consueta, aut absumatur à calore. Ignẽ ergo quemadmodum in alijs vulgarium morborũ libris, febrem ipsam nominauit: nam Græcis* πυρετὸς. *id est febris,* ἀπὸ τοῦ πυρὸς. *id est, ab igne deriuatũ nomen est. Cæterum non tantum febrem excitasse, calidorum medicamentorum administratione oportet, sed etiam vuluæ meatus adaperire, si fortè illac humor reuocari poterit, quod vtiq; præstabimus cõmodè, tum pessis, tum mollibus vnguentis vteri ceruici admotis, atq; etiam internè iniectis, quale est, quo vtor ex myrrha absynthij succo, æsypoq́; confecto: cui interdum cucumeris syluestris succum, quo acrius fiat inijci iubeo. Ipse autem ceratum tepidum ad eam rem inijciendum iubet. Paratur autem tepidum hoc ceratum, vt ipse in libro* περὶ γυναικείης φύσιος, *inquit in hũc modum.* Χηνὸς μυελὸν ὅσον κάρυον, ῥητίνης σχινίνης, ἢ τερμινθίνης ὅσον κάρυον. Ταῦτα τήξας ἐν μύρῳ ῥοδίνῳ ἐπὶ πυρὸς μαλθακοῦ καὶ ποιήσας ὥσπερ κηρωτὴν, εἶτα τούτῳ χλιαρῷ ἐναλείφειν τὸ στόμα τῶν μητρῶν, καὶ κτένα καταβρέχειν. *id est. Anseris medullam, nucis magnitudine, resinæ lentiscinæ, aut terebentinæ tantundem. hæc liquefacta in vnguento rosaceo ad lentum ignem in modum cerati compingenda sunt, postea ipso tepido inungendum est osculum vteri, & pecten irrigandus. Vocauit autẽ id ceratum* χλιαρὸν καθαρτήριον. *tepidum repurgatorium.*

Galenus in tertiũ de morbis vulga. sectione 1. in primo autem ardentissimã febrẽ Hippoc. nominasse ignem fatetur: sed id non est perpetuum.

Ἢν δὲ κεφαλῆς τὸ ὀστέον καταγῇ, διδόναι γάλα καὶ οἶνον πίνειν, ἴσον ἴσῳ, ἢν δὲ ἑλ-

κὸς ᾖ φλεβοτομέειν τὰς ἔσω, ἢν μὴ πυρετταίνῃ, ἢν δὲ παραφρονέῃ τὴν κεφαλὴν καταβρέχειν, ἢν μὴ τὰ ὑποχόνδρια ἐπηρμένα ᾖ.

8. Si capitis os confractũ ſit, lac vinumq́; æquale æquali bibendum propinato, ſin autem vlcus ſit, ſecandæ ſunt internæ venæ, niſi febre corripiatur. Quod ſi autẽ deliret, caput perfundendum eſt, niſi præcordia allata ſint.

Parergotaton ſanè illud eſt, quod iubet imprǽſentiarum, lac atq; vinum æquali inter ſe menſura immiſta eſſe propinanda in caluariæ fracturis. Quorſum enim id ſpectet, non video, neq; facilè per Iouem inuentu eſt. Quid enim quæſo faciat, lactis viniq; miſtura ad confractã caluariam? Duntaxat enim huius ſorbitionis ſcopus eſſe poteſt, vires laborãtis reficere. Non igitur in confracta caluaria hanc eſſe potionẽ propinandam dixiſſe debebat, ſed in his potius, quos vires aliqua ex cauſa defeciſſet. Quin neq; perfunctoriè adeò Hippocrates de capitis vulneribus agere conſueuit, vtpote cui ſuſpecta admodum ipſa vel minima etiamnum ſint, quemadmodum ſtatim in initio libri de capitis vulneribus teſtatur. Nullum (inquiens) capitis vulnus leuiter contemni debet. Sæpe enim vel ipſa cutis ſola contuſa, aut ferro, aut alia quauis re, ſi non cum maxima tractetur diligẽtia, cauteq; admodum, veluti ſi ſanguis concretus non expurgetur, aut aliud quidpiam negligatur, vlcus incrudeſcens nõ parum laboris exhibet, interim & febrem accerſens, vt tum medico negotium faceſſat, tum laboranti periculum nuntiet. Quare nullus ſanæ mentis arbitrabitur Hippo. huius ſententiæ fuiſſe autorem, aut eam modis omnibus, ſumméq; labefactatã ad nos perueniſſe confiteri debet: nihil enim ſummo illo viro dignũ continere videtur. Nam vt interim taceamus quæcunq; de illa inepta planè lactis viniq; miſcella dici poterant, illud profectò autorẽ quiſquis ipſe fuerit prodit, quod deinde ſcriptum habetur, ſinautẽ vlcus ſit, ſecandæ ſunt internæ venæ. Didicimus nanq; ab Hippo. ſectiones venarũ cõmunes eſſe cõſiderandas, quæ vti Galenus latiſſimè monſtrauit, hæc ſunt. Vt in affectibus collo ſuperioribus humerariæ, quas externas venas medici appellare cõſueuerũt, inſcindãtur, in his verò qui ad thoracem ſpectãt morbis axillares, quas internas nominant. Autor autem huius ſententiæ non admodum huic rationi fidem habuiſſe videtur, aut penitus ipſam ignoraſſe. Præterea quid illud eſt? Quod ſi deliret caput perfundendum eſt, niſi præcordia allata ſint? Neq; enim ſignificauit, an de his ageret, q̃ ob capitis ſæuũ aliquod vulnus in deliriũ inciderũt, an potius de omnibus in vniuerſum haberet ſermonẽ. Quã leue autem ſit illa capitis in delirantibus perfuſio, ad depellendum morbũ auxiliũ, quanto etiam cum iudicio fieri debeat, corpore in primis vniuerſo repurgato, iam omnes norunt. Quare mirandum eſt, huius duntaxat, neglectis

Lib. de ſanguinis miſsione, et alibi frequentiſsimè.

alijs

alijs omnibus curationis scopis, mentionē fecisse. Quòd vitium in multis alijs sequentibus sententijs depræhendi facilè potest: quas nos haudquaquam Hippocratis esse censemus.

Ἢν τὴν κεφαλὴν ἀλγέῃ, ἐν στῆθος ἔρχεται, ἔπειτα ἐν τὸ ὑποχόνδριον, ἔπειτα ἐν τὸ ἰσχίον πάντα δὲ οὐχ οἷόν τε ἀλγέειν.

9. Si caput doleat, in pectus descendit, posteà in precordia, postmodum in coxendicem, omnia autem non est possibile dolere.

Accidit hæc noxij humoris transmutatio ob robur illarum partium, quæ se primum deonerarunt: frequenter autē vsu euenit in morbis tale quidpiam, vt ad sedes alias transferantur humores, ob causam iam dictā, atq; etiam ob imbecillitatem partium suscipientium. Si igitur caput affectum, fuerit robustum, vbi ob humoris noxij copiam non amplius poterit se continere, quin irritetur, atq; in ipsum sæuiat, propria ipsius expultrice facultate, nunc ad oculos, nūc ad aures, nūc ad guttur, interim verò ad pectus humorē deponit. Indeq; maximè circuitionis morborū causa sumenda est, quemadmodum ingeniosè Galenus in libro de differentijs febrium rem est interpretatus. Quod si pars ea, quæ humorem à capite delatū admisit, præ robore se possit tandem deonerare, in sedem aliam humor transferetur: ex ea quæ rursus in aliā, atq; inde in aliam sensim mutabitur partem, quousq; demum aut meatum quendam expurgationis insignem nactus fuerit, veluti intestina, aut vesicam, aut partē aliquam, à qua protrudi præ ipsius imbecillitate nō possit. Quare cum veniendum tandem sit ad imbecillam aliquā corporis sedem, cōmodè Hippo. adiecisse videtur. Omnia non est possibile dolere, non quod fieri illud haudquaquā possit, sed quod frequēter, vna aut altera corporis particula, aliarū retrimenta præ imbecillitate cōcipiens, seminarium deinde fit prauæ cuiusq; affectionis. Atq; ita videmus non febres solū, sed & alias etiā omnes affectiones, in parte quapiam corporis foueri, ac ipsam tanquam sentinam noxij humoris, totius calamitatis causam censeri, cui nisi primū in habitū naturalem restituendæ studueris, nihil vnquā emolumenti laborantibus sis allaturus.

Ἀνεμίην φλεβοτομίη.

10. Anemien venæ sectio soluit.

Torsit me longo tēpore vocis huius ἀνεμίη *vis, quid Hippo. significet, nam si vocem ipsam primo occursu cōsideres, ventorum intelliges flatum. Atqui Hippo. id in hac parte non conuenire manifestum est, quanquam Cornarius vir sanè doctissimus, quem plurimi semper facio, flatuosam ventositatem cōuerterit, cui nihil minus potest, quàm sanguinis missio conferre. Quod si vox ipsa composita sit à verbo* ἐμέω *id est. vomo & à priuatiua particula, manifestum est vomitus difficultatem aut omnimodam priuationē eam vocem significare*

nificare. Videamus ergo an hoc modo vera sit oratio, vomitus difficultatem venæ sectio tollit, aut cum quis vomere non potest, venæ sectione iuuatur. Vomitus igitur fit è gula, & ventriculo, cũ vel facultas cõtentoria præ grauitate ac humoris multitudine continere non valet, vel cùm expultrix ipsa à materiæ acrimonia excitatur, tunc enim id quod molestat, atq; ipsam male habet extra propellit. Quod si aliquando organa instrumentaq́; facultatis motui non correspondeant, tũc quanquam facultas ad vomitum incitetur, vomitus non succedit, quoniam instrumenta reluctantia opus exequi haudquaquam possunt, vt cùm vel plus iustò angustiora fuerint, vel à propria sede fuerint luxata. Atq; ita sunt non pauci, qui non sine magno labore vomant, quibus instrumenta facultatis motui non parent, vel quòd ceruicis aliquod verticulum luxatum sit, vnde stomachus non rectà in ventriculum descendat, vocamus autem stomachum veterũ consuetudine, quod recẽtior Græcia οἰσόφαγον nominauit, meatum nempe illum, qui asperæ arteriæ correspõdet, à posteriore parte per ceruicis ac thoracis vertebras destendentẽ. Vel etiam quoniã ad vomendum non sunt consueti, maximum enim habet in rebus omnibus momẽtum consuetudo, nam plurimi licet ægrè munus aliquod obeant, si assuescant nihil habent quod facilius exequãtur. Iam verò è cõtrario quòd aliqui sint ad vomitum procliues, instrumentorum efficiet concinnitas, amplitudóq́;, ac correspondentia, aut consensus, quem cum facultatis motu obtinebunt. Examinemus igitur sermonis veritatem in his, qui difficulter vomũt, num vomitus difficultatem venæ sectio tollat, nam quòd sectio venæ eos qui non sunt ad vomitum procliues promptos faciat, non est rationi consentaneum, quòd nimirum causas quibus ægrè vomunt non tollat, vt igitur de illis sermo habeatur necessum est, qui cum vomere deberent, præ difficultate non possunt: quos venæ sectionem curare posse nõ video, nisi illud ex accidenti fiat. Nam venæ sectio humorum in venis abundantiam soluet, cùm omnes ex æquo humores abundauerint, aut solus sanguis, quòd vitium, plenitudo vocatur Græcis πλῆθος aut πληθῶρα. quemadmodum si vnus duntaxat humor aut alter superabũdent, id vitium κακοχυμία. id est, succorũ prauitas, nominatur, quod sanè purgatio tollit. Si verò ex ciborũ ingurgitatione vitium oriatur: Græcis πλησμονὴ, Latinis verò satietas nuncupabitur, quam vomitus adimit. Atque auxiliorum ratio hoc modo se habet, vt plenitudini sanguinis missio cõferat, succorum prauitati purgatio, satietati vomitus. Nam si aliquãdo absq; satietate vomitus cietatur, non alia ratione certè fit, quàm quòd in ventriculũ biliosi humoris, aut alioqui praui portio aliqua confluxerit: cui affectui purgatio commodè adhiberetur, cæterũ vt citius vitium propellatur per vomitum educitur, nam si humorum crudorũ copia in ventriculo sit, qui sæpißimè ad

πλῆθος quid, et πλησμονὴ, & κακοχυμία.

vomitum

vomitum incitant, id vitium ad satietatem referetur. Cæterum quòd neque hi qui se cibis ingurgitarunt, neq; hi, quibus crudi humoris copia vomitum excitat, sanguinis missionem admittant manifestum est: ne successione ad id quod vacuatur de ventriculo in iecur crudi humores transferantur. His igitur maximè vomitus contulerit, quod si fieri non possit aliunde auxiliũ petendum est, nempe à purgatione, non tamen à venæ sectione vt ostendemus. Series igitur sermonis vera nõ est. Quod si sectionis venæ loco purgationem dixisset veracior vtiq; sermo fuisset. Anemie igitur vomitus difficultatem non significat Hipp. an verò μαλακίαν, significet, hoc est, mollitiem, quòd Caluus intellexisse visus est, iam ostendemus. μαλακία igitur, id est, mollities, affectio quædam prægnantium est, cùm languentes modò hoc, modò illud appetunt, adeò vt carbones aliquando, ac terrã, turpesq; alias res ingerere cupiant, qui affectus etiam κίσσα nominatur. Fit autem hæc calamitas à cõceptu mense potissimum tertio, præ imbecillitate fœtu nequeunte, ea quæ in vuluam deferuntur omnia, ratione alimenti absumere, vnde in ventriculum prauorum humorum copia colligitur, ex qua absurdorum sese promit appetentia: quod igitur neq; in hoc affectu, sanguinis missio conferat manifestum est, quin potius detrimentum periculumq; affert: mulier nanq; quæ vtero gerit, vt inquit Hipp. sanguine misso ex vena abortit, & magis si fœtus sit maior. Quod si quis dicat id defectu nutrimenti fieri, at in malacia humoris redundantiam morbi esse causam diximus. Verum quidem id est, sed interim id non est aptum quo fœtus nutriatur, imò sanguine detracto necessum est, vt fœtus indigentiam patiatur. Adde quòd id, quod superfluum est, cõmodius per purgationẽ, quàm per venæ sectionem, euacuabitur: potissimùm cùm tertio vel quarto mense is affectus appareat, in quibus sanè mensibus purgatio admittitur: nam grauidæ purgandæ sunt, si turget materia, à quarto vsq; ad septimum. Quid igitur ἀνεμίη significet non video: attamen quod rimari licuit, impræsentiarum expromam. Verum id non decretum fuerit, sed coniectura potius, quæ tamẽ iudicio meo satisfaciat. Ἄνεμος itaque ventum significat, inde ἀνέμιος & ἀνεμώδης, quod idem significat ac ὑπηνέμιος, aut ὑπανέμιος, Latinè sub vento expositum, aut subuentaneũ dicere possumus. Ex quo Græci ὑπηνέμιον ᾠὸν dixerunt ouum subuentaneum, ac inefficax, quod citra coitum editur, sed tantum Veneris imaginatione: quod etiam ζεφύριον ᾠὸν dicunt. Quid igitur hæc ad sanguinis missionem? Non parum profectò, si totam orationem expectes, Nam quemadmodum anemion vocant ouum, quod inefficax sit, planeq; inutile, ac citra coitum genitum, eodem arbitror modo & σπέρμα, hoc est, semen ἀνέμιον, ac ὑπηνέμιον dici, quod citra congressum, sola Veneris imaginatione expellatur. Atqui manifestũ est tam viros quàm fœminas hoc morbo corripi,

μαλακία quid.

non solum

non ſolum interdiu, ſed noctu etiam cùm Veneris inſomnia patiuntur. Si igitur id ſemen quod inutile eſt, atque ad prolem generandam inefficax ὀνείρωγμον σπέρμα *nominatur: meritò & affectio ipſa* ὀνειρωγμὸς *vocabitur, quam nos Veneris imaginationem nominare poſſimus. Cæterum quòd hanc Veneris imaginationem ſanguinis miſsio tollat, nemo ſanè ignorat, habitũ quippe totius corporis refrigerat, quo refrigerato, Veneri non datur locus, quin etiam materiam ex qua affectus prodit euacuat, qua turgeſcente, ac in ſeminarijs meatibus detenta, extra propelli erat neceſſum. Id igitur* ὀνειρωγμὸν *Hipp. ſignificabit, quod nos Veneris imaginationẽ nominamus, quantũ nos conijcere potuimus, peritiores verò ſi quidpiã, quod magis arrideat habuerint, illud adijciant.*

ὀνειρωγμὸς qd Hippo. ſignificet.

Τὸ φαρμάκῳ τὸν ῥόον ἴσχειν ἐπαλείφων· ὁ δὲ γὰρ ῥόος ἐκ τῆς μεγάλης φλεβὸς, ἢν δ' αὐτόματον ῥέῃ πολλὸν, νηστευέτω, ἢ δύο ὕδατος, τέσσαρας γάλακτος.

11. Medicamento profluuium compeſcendum eſt inungẽdo, hoc enim profluuium ex magna eſt vena, ſi autẽ ſpontè plurimũ defluat, ieiunet: aut aquę duas, quatuor autem lactis partes bibat.

Facilè crederem hanc ſententiam non eſſe Hippoc. quoniam ipſe in tertia huius libri ſectione, maiori multo cum artificio ſcopos omnes ſiſtendi ſanguinis cõplexus eſt, in hunc modum ſcribẽs: In ſanguinis fluoribus figuram quæ lata fuerit arctant, & in ſumma ſi quod decliue eſt, accliue fiat. Quapropter deligaturæ impetum faciunt in venarum ſectionibus, quæ ſi fortes ſint, remorantur arbitror ſanguineum ſubbilioſumq́; quod ad iracundiam mouet. Nos autem iam ſumus omnia, quæ huc pertinebant in citatæ orationis expoſitione interpretati, quare ſi ea mente tenueris ſatis erit, ſin ſecus illuc te conferas, atq; ad ſextum de morbis popul. lib. in quo recenſet etiam quæcunq; curandæ ſanguinis fluxioni conducere poſſunt, ſanguinẽ enim (inquit) è venis manantem ſiſtunt, animi deliquium, figura alio tendens, interceptio, linamentum tortile, appoſitio & deligatura. Hæc autem omnia ſcitè admodum Leonardus Fuchſius, ſummus ſanè medicus, interpretatur, quanquam ſi te ad quintum medendi methodi librum contuleris, nihil planè deſiderare poteris, quod ad hanc rem facere videatur. Sed iam quæ ad hunc locũ attinẽt curriculo tranſigamus. Voluit huius ſententiæ autor vnguentis ſanguinis profluuium eſſe cõpeſcendum: vnguenta ſanè vocans quæcunq; etiam emplaſtri modo apponuntur, ex his nimirum medicamentis, quæ tum emplaſticam habẽt facultatem, tum planè frigidam, aut vehementer adſtringentem: potiſsimumq́; cùm fluxus ex magno aliquo vaſe eruperit. Quippe his auſteris medicamentis ſanguinis impetus facilius coërcetur. Atqui hæc ſentẽtia laudanda ſanè eſt, atq; Hippo. digna, quam etiã Galenus libro methodi quinto confirmauit his verbis: ὅταν γὰρ ἐῤῥωγῇ ἀγγεῖόν τι τῶν μεγάλων, ἢ ἰσχυρῶς ἀναστόμωται, τῶν αὐστηρῶν φαρμάκων

φαρμάκων δεῖ χρείας. ὡς βαλαυστίου, καὶ ὑποκυστίδος, καὶ ῥοῦ, καὶ ὀμφακίου, καὶ ἀκακίας, καὶ κηκῖδος ὀμφακίτιδος, καὶ τῶν τῆς ῥοιᾶς λεμμάτων, εἰ δ' ἤτοι μικρὸν δεῖ τὸ ἐρρωγὸς ἀγγεῖον, εἰ ἀνεστόμωται μετρίως, ὡς ὀλίγον εἶναι τὸ φερόμενον αἷμα, καὶ ἀλόη, καὶ μάννα, καὶ ὁ τῆς πίτυος φλοιός, ἥ τε σφραγὶς λημνία, καὶ ὁ τῆς αἰγυπτίας ἀκάνθης καρπός, ἔτι τε κρόκος, καὶ λίθος ὁ αἱματίτης ὀνομαζόμενος. ὅσα τ' ἄλλα τοιαῦτα, δι' οἴνου μεγάλως αὐστηροῦ, χρηστὰ φάρμακα. id est. *At verò si diruptum vas quodpiam ex maximis fuerit, aut valde fuerit reseratum, austeris medicamẽtis est opus: quale est balaustium, & hypocystis, & rhu, & omphacium, & acacia, & gala omphocitis, & mali punicæ putamen: sin autem, aut pusillum fuerit vasculũ, aut mediocriter fuerit adapertum, vt sanguis non magna copia fluat, & aloë & manna, & piceæ cortex, & lemniũ sigillum, & Ægyptiæ spinæ fructus, insuper crocrus, & lapis sanguinarius nominatus, & quæcunq; huius generis sunt, ex vino vehementer austero vtilia sunt medicamẽta. Hactenus Galenus, qui optimo reuera cõsilio, quò sanguinis tumultuatio sedaretur, ne amplius magno cum impetu ad hiantem venæ partem deferatur, austeris medicamentis vti ægrotum voluit, his quidem non temerè, sed vino crassiore, acerboq; exceptis, facilius nanq; eo ductatore se in iecur singulasque venas insinuabunt. Cæterum astringentibus, fortiter, aut frigidis medicamentis forinsecus impositis sanguinis fluentis impetum detinendum esse, neq; ipse admodum laudauit, neq; ego arbitror Hippo. id temerè vnquam iussisse, citraq; distinctionem: summa enim incõmoda ex minus opportuno ipsorum vsu sequi solent, quæ medicus quantum potest vitare semper debet. Nam eodem libro de hac re Galenus ita scripsit:* ὅσα δ' ἔξωθεν ἐπιτίθεται τοῖς αἱμοῤῥαγοῦσι, στύφοντά τε καὶ χωρὶς στύψεως ψύχοντα, ταῦτ' οὐχ ἁπλῶς ἐπαινῶ, καθάπερ οἱ πολλοὶ τῶν ἰατρῶν. ἀλλά μοι δοκεῖ τοὐναντίον γίνεσθαι παρ' οὗ δεόμεθα διαπράττεσθαι, συνελαύνειν ἔσω τὸ αἷμα, καὶ πληροῦν τὰς ἐν τῷ βάθει φλέβας. οἶδα γάρ τινας ἐκ πνεύμονος ἀναβήττοντας αἷμα, περιφανῶς βλαβέντας ἐπὶ ταῖς τοῦ θώρακος καταψύξεσι. οὕτω δὲ γε καὶ τῶν ἐμούντων αἷμα, τῆς γαστρὸς ἔξωθεν ψυχθείσης. ὡσαύτως δὲ καὶ τῶν ἐκ ῥινὸς αἱμοῤῥαγούντων ἔνιοι φανερῶς ἐβλάβησαν ἐπὶ ταῖς τῆς κεφαλῆς ψύξεσιν. οὔκουν ἁπλῶς οὐδ' ἐν παντὶ καιρῷ συμβουλεύω ψύχειν τὰ κύκλῳ τῶν αἱμοῤῥαγούντων, ἀλλ' ἀποτρέψαντας εἰς ἕτερον πρότερον, οἷον ἐπὶ ῥινός, ἤτοι φλεβοτομίᾳ χρησαμένους, ὡς εἴπομεν, ἢ ῥίψει, καὶ δεσμοῖς τῶν κώλων, ἢ σικύαις ἐπὶ τῶν ὑποχονδρίων. οὐ δεῖ οὖν οὐδ' οὕτω χρῆσθαι τοῖς ψύχουσιν εὐθέως ἐπὶ μετώπῳ, καὶ κεφαλῇ, ἀλλὰ σικύᾳ πρότερον αὐχένα, ἐρείδοντα κατ' ἰνίον. id est. *Quæcunque forinsecus imponuntur sanguinis fluoribus, astringentia, & quæ citra astrictionem duntaxat refrigerant, hæc simpliciter non laudo, quod plurimi facere medicorum solent. Sed mibi quidẽ videntur contrarium penitus eius quod quærimus præstare: repellunt enim introrsum sanguinem, infarciuntq; in profundo corporis positas venas. Noui siquidem*

Sũme austera medicamẽta in sanguinis fluoribus forinsecus apposita vitanda sunt.

ſiquidem quoſdam ex pulmonibus ſanguinem extutiẽtes, qui apertè noxam contraxerunt, refrigerato his medicamentis thorace. Quinetiã quoſdam ſanguinem vomẽtes, ventre exterius refrigerato læſos fuiſſe. Similiter ex his, qui ſanguinem de naribus redderẽt, quidam manifeſtè læſi ſunt ob capitis refrigerationem. Non igitur ſimpliciter, neq; ſine iudicio, neq; omni occaſione refrigerare quæ citra affectam ſunt partẽ conſulo, verùm prius reuellere in partem aliam: veluti in naribus ſanguinis miſſione prius vſum, quemadmodum diximus, aut fricatione, aut artuũ ligaturis, aut cucurbitulis præcordijs affixis. Non decet igitur neq; ita vti refrigerãtibus auxilijs confeſtim, aut fronti, aut capiti admotis, ſed cucurbitula prius reuellere cõuenit in occipitio affixa. Hæc ſunt quæ de cõpeſcendo frigidis medicamẽtis fluore, dicendum duximus, quò medicorũ temeritati obſiſteremus, qui ſtatim ad vſum horũ medicaminum, veluti ad ſacram quandam ancoram confugiunt. Ac proinde nihil voluimus ex noſtra Minerua depromere, ne contemptui facilè haberentur, ſed omnia libuit Galeni teſtimonio roborare ac ſtabilire. Sed iam expendamus quod deinceps ab autore adiectum eſt, ſin autẽ ſpontè plurimũ defluat, ieiunet: aut aquæ duas, lactis verò quatuor partes bibat. Bifariã planè ſpontè plurimum defluere poteſt, aut quòd corpus nimio ſanguine abundet, athleticumque ſit, aut quòd ſanguis nimium bilioſus facilè ob tenuitatem refudet: quod ſi primum horum ſit in cauſa, ieiunium commodè iniungetur, interim tamen haudquaquam neglectis remedijs alijs, quorum primum, maximeq; præcipuum ſanguinis miſſio eſt, quo ab affectã parte humor aliò auocetur: vniuerſumq; corpus nimiam ſanguinis redundantiam deponat. Quod ſi ob humoris tenuitatem contigerit, aduerſiſſima res inedia erit, quemadmodum Galenus loco iam citato edocuit, excãdeſcit enim per inediam bilis, ac veluti efferueſcit, faciliusq; ad affectam partem ſe confert. Potius enim craſſiore victu in hoc affectu erit opus. Ita enim humoris tenuitas perit alimenti craſſitudine ſolidata. Quod autem de lacte aquaq; dictum eſt, planè videtur eſſe ineptum neque Hippocratis ipſius, qui non ita frequenter lactis vſum præſcribit, in huiuſmodi affectibus.

Τὰς ἀγόνους πυριῆν καὶ φαρμακεύειν.

12. Steriles fouendæ ſunt, ac medicamentis purgandæ.

Sterilitatis, ſiue infœcunditatis cauſas, quàm plurimas eſſe, ex Hippo. diſces, in libro περὶ ἀφόρων. *id eſt. de ſterilibus: curationis autem ſcopus in ſingulis affectibus ex propria ipſorũ cauſa pendet. Quare ſi morbum velis propulſare, cauſæ ipſum efficiẽti reniti debes, quæ ſi nullis ingenijs auerti poſſit, deplorata ſanè affectio erit. Quemadmodũ cùm obcæcatis ſeminarijs meatibus quis in ſterilitatem inciderit, quod ſubinde contingit his, quibus calculus ex*

vesica exemptus est. Verùm præcipuæ sterilitatis causæ ex his, quæ medicamentorum ope depelli possunt, illæ quidem sunt, quas in aphorismis recensuit in hunc modum scribens: ὁκόσαι ψυχρὰς καὶ πυκνὰς τὰς μήτρας ἔχουσιν οὐ κυΐσκουσιν, καὶ ὁκόσαι καθύγρους ἔχουσι τὰς μήτρας οὐ κυΐσκουσι, ἀποσβέννυται γὰρ αὐταῖς ὁ γόνος. καὶ ὁκόσαι ξηρὰς μᾶλλον καὶ περικαέας, οὐδ᾽ ἄν, γὰρ τῆς τροφῆς φθείρεται τὸ σπέρμα, ὁκόσαι δὲ ἐξ ἀμφοτέρων τὴν κρᾶσιν ἔχουσι σύμμετρον, αἱ τοιαῦται ἐπίτεκνοι γίνονται. *id est. Quæcunq; frigidos & densos habent vteros, non concipiunt, & quæcunq; præhumidos habent nõ concipiunt, restinguitur enim in ipsis semen: & quæcunq; siccos magis quàm par est, ac deurẽtes non concipiunt, alimenti enim defectu corrumpitur semen. Quæcunque verò ex vtrisque mediocrem habent temperaturam, eæ fœcundæ sunt. Omnes igitur intemperaturas potissimum immodicas, tam simplices, quàm compositas damnauit in hac oratione Hippoc. Frigidiores nanq; quæ supra modum excesserunt, vehementer contrahunt vterum, & densant: vt ora vasorum, ad ipsum pertingentia, constipata spissitudine, neq; permittant intimæ vteri superficiei adnasci secundas, neq; commodè singulis mensibus superuacaneo sanguine expurgent molem corporis, cùm solum per eos angustos meatus serosus atq; tenuior sanguis præterlabi possit. Quare vniuersum corpus cùm sit excrementitium, neq; si semel agglutinatum semen sit, nutriri commodè potest. At verò humidior vulua temperatura ad concipiendum semen minus est accommodata, nam facilè semen nimia vndiquaq; obrutum humiditate extinguitur, præfocata in ipso insita ad agendum facultate, ac præueniente putredine. Pari etiam ratione siccior, aut calidior vteri habitus, ille quidem absumit, demoliturq; seminificam humiditatem, hic verò superassat, ac inspissat ipsius consistentiam. Commodè igitur tum fomentis, tum etiam purgantibus medicamentis, huiusmodi praui vterorum affectus reparari poterunt. Si enim frigidior ipsorum temperatura fuerit in causa quæcunq; ad reuocandum calorem fomenta parantur adhibenda sunt, qualia plurima sunt in libro de sterilibus ab Hippo. tradita ipsorũ simplex materia ex calefacientibus herbis petenda est, cuiusmodi sunt coniza, menta vtraque, marrubiũ, parthenium, ageratũ, buphthalmum, chamemelũ, vino aliquo calidiori excepta. At interim vniuersum corpus ipsarũ decocto fouere cõuenit, interim verò ipsum per se vterum. Quin & sumini ex huiuscemodi herbis, cataplasmata imponi debent: frequenterq; vicinæ partes perfundendæ. Prius tamen vniuerso corpori consultum esse volumus, vt humor qui redundare visus fuerit, medicamento expurgetur. Vtile autẽ est & hoc medicamentum etiam post fomenta subinde propinare, quod est ab Ætio summis laudibus celebratum. Epithymi, euphorbij, piperis, dauci, peroselini, singulorum partes æquales, ita quidem vt dragmarum duarum, ipsum mensuram*

ſuram non excedat, hoc ſimul aluum ducit, & vuluam calefacit, vt plurimis iam, cùm prius non purgarentur, menſes eruperint, quod ſanè & nos ſumus non ſemel experti. Præterea ilia calidis vnguētis ſunt perfricanda, in ſumma huic rei potiſsimum ſtudendum eſt, vt vteri temperatura fiat calidior. Quod ſi iuſtò calidius fuerit, ipſius temperamentum è contrario tum fomentis, tum epithematis refrigerantibus frequenter vtemur, conabimurq; vt corpus frigidiore victus ratione alatur, purgantia præterea medicamēta propinabimus, quæ bilem maximè ducant. Somnus etiam, quieſque ipſis maximè fuerint ex vſu, in ſumma, quæcunq; habitū corporis poſſunt refrigerare, in medicamentis præſertim refrigerationis nimietatem cauentes. At ſi humidior, aut ſiccior vterus fuerit, in contrarium habitum ipſum deducere conabimur: tum medicaminum ope, tum etiam ciborum, quorum materiam (vti & prædictarum, intemperaturarum) ex Aëtio, aut alijs, diſcere poteris, noſtra enim in præſentia tantum intereſt Hippo. ſententiam interpretari, haudquaquam deflectendo ad huiuſcemodi affectionis curationem, quanquam non poſſimus nos ita certis limitibus continere, quin interim prætergrediamur aliquantulum. Sed iam de his hactenus ſatis, nunc verò haud commodè facturum me arbitror, ſi non addidero, quæcunq; ab Hippoc. in libro de ſterilibus, inter huius affectionis cauſas recenſentur. Primum igitur vterorum auerſio, cùm os nimirum ipſorum in coxam incubuerit, huius mali cauſa exiſtimanda eſt. Eget autem hic affectus præter fomentorū applicationē, quæ maximè ipſis etiam conducit, ferramentis quibuſdam in propriam redigi ſedem. Deinde ſi occluſum os vteri ſit, neque etiam hoc modo concipiet: quin nec menſes fluere poterunt, eget igitur calefacientibus epithematis, fotibuſq; huiuſcemodi, quo occluſus vterus fatiſcat. Iam verò ſi leues admodum vteri fuerint, quod nimia affuſa humiditate cōtingit, aut vlcera innata magnas cicatrices reliquerint. Præterea ſi vlcus adfuerit, quæ omnia peculiares quaſdam requirunt curandi rationes, de quibus non eſt præſentis negotij agere. Deniq; ſi vterus vehementer hiat, aut promineat extrorſum, conſtringi enim ac reponi prius debet quam ad concipiendum ſemen ſit aptus.

ὅσοι ἐξαίφνης ἄφωνοι, ἢν ἀπύρετοι ἔωσιν φλεβοτομέειν.

13. Quicunq; de repente voce priuantur, ſi quidem febre careant, ſanguinis miſſione curandi ſunt.

ἀφώνους, *id eſt, voce priuatos, aut mutos conſueuit Hippo. nominare illos, quibus quæ ſecundum electionem fiunt operationes ſimul cum voce perierūt: quod Galenus apertè in ſexta aphoriſmorum ſectione oſtendit, in hunc modum ſcribens:* ἀφώνους εἴωθεν ὁ Ἱπποκράτης ὀνομάζειν, οὐχ οἷς ἡ φωνὴ μόνη βέβλαπται, κατ' ἐξοχὴν δὲ ἵνα τῇ ταύτης βλάβῃ συνεπινοῶμεν ἡμᾶς ἐνδείκνυται πάσας

τὰς κατὰ

τὰς κατὰ προαίρεσιν ἐνεργείας. ἐνίοτε μὲν οὖν ἐκείνων βεβλαμμένων οὐκ ἀπόλωλεν ἡ αἴσθησις. αὐτὸς γοῦν ἔφη τοὺς ἀφώνους αἰσθανομένους συμβαίνει γίνεσθαι. πολλάκις δὲ ἄμφω πέπονθεν, ὅπερ ὀνομάζουσιν ἀποπληξίαν. *id est. Mutos consueuit Hippocrates nominare non quibus vox sola affecta est, sed per excellentiam quandam cum ipsius noxa, voluit nos omnes voluntarias actiones læsas intelligere. Aliquando igitur illis affectis non perit sensus: ipse enim dixit, mutos sentire interdum contingit, sæpe verò vtrunque principium affectum est, quod nos appellamus apoplexiam. Quicunque igitur quouis modo capite grauati non possunt voluntarias obire actiones alias, neque vocem edere, hos mutos potissimum ab ipso dici intelligemus, quod & idem Galenus quinta aphorismorum sectione confirmat, cuius referre sententiam fuerit superuacuum, cùm satis constet ex citata quid velit intelligi. Contingit autem id ob humorum multitudinem, à quibus neruorum principium obruitur, aut cerebrum quouis modo concutitur, interim primario affectu, interim verò per consensum. Hos igitur nisi febris aduenerit, quæ huiusmodi humorum multitudinem soluere possit, sanguinis missione curabimus. Nam & ipse in aphorismis scripsit:* ἢν μεθύων ἐξαίφνης ἄφωνός τις γένηται, σπασθεὶς ἀποθνήσκει. ἢν μὴ πυρετὸς ἐπιλάβῃ, ἢ ἐς τὴν ὥρην ἐλθὼν καθ' ἣν αἱ κραιπάλαι λύονται, φθέγξηται. *id est. si temulentus quispiam de repente mutus euadat, conuulsus moritur, nisi febre corripiatur, aut hora qua crapulæ solui solent, loquatur. Nam febris superaccensa maximũ potest ad digerendas noxias superfluitates conferre auxilium, quare si ipsam sat fore depræhendas supersedebis à sanguinis missione, sin secus ipsam simul pertundes venam, quo partim eductus, partim verò solutus humor totus abeat.*

φλέγματος κατάῤῥοοι ἐκ τῶν μαζῶν ἕλκουσιν οἱ ὀφθαλμοὶ, καὶ ἐξερεύγεται κατὰ τὰς ῥίνας ἐς τὸν πνεύμονα.

14. Pituitæ fluxus, ex mammis oculi trahũt, & eructatur deinde per nares in pulmones.

Si non dixisset ex mammis, sed in hunc modum: Pituitæ defluxus ex capite oculi trahunt, & eructatur, deinde per nares in pulmones, nihil ambiguitatis præ se ferret oratio, ac tale quidpiam docuisset, quale illud est, quod nõ adeo pridem sumus interpretati. Si caput doleat, deinde in pectus descendit, postea in præcordia, postmodum in coxendicem: omnia autem non est possibile dolere. Nunc verò cùm dixerit ἐκ τῶν μαζῶν. *id est. ex mammis: quanquam nõ sanè aliud docere velit, quàm id quod diximus, tamẽ sentẽtia nõ est vsquequaq; aperta, neq; facilè inuentu est, quam ob causam ex mammis oculi trahant fluxiones, neq; enim oculis ac mammis tanta intercedit necessitudo vt per sympathiam alterutrum afficiatur, possunt tamẽ ob imbecillitatem*

quæ & ipsa decubitus humorum in sedem aliquam non est leuis causa, fluxionem recipere, sed non mammarum solum, neque pituitosam fluxionem, sed biliosam potius, aut eius humoris, qui suopte nutu sursum conscendit. Quare semper inclinat animus vt pro mammis, caput legamus, aut dicamus sententiam ex earum esse numero, quæ non semper, aut vt plurimum, sed contingentem tantum habent veritatem, ex eo quòd tale quidpiam cuidam acciderit.

ὅισι βὴξ ξηρὴ οὐ λύεται, ἢν μὴ ὀδύνη ἰσχυρὴ ἐν τὰ ἰσχία ἢ ἐν τὰ σκέλεα, ἢ ἐν τὸν ὄρχιν.

15. Quibus tussis sicca adest, non soluitur, nisi dolor vehemens in coxendicem decumbat, aut in crura, aut in testem.

Hanc sententiam iam sumus fusissimè interpretati in prima huius libri sectione, quando illam suscepimus interpretandam orationem in qua Hippocrates habet. Quin & in testes ex tussi quandoque abscedit, testesque ipsi in seipsos, tussiculares abscessus. Nam quòd huiuscemodi humorum transpositio contingat, euidentissimum est sympathiæ familiaritatisque argumentum, quemadmodum ipsemet antea dicebat: similiter & quòd diutinæ tusses testium tumoribus superuenientibus sedentur, testiumque rursus tumores tussi accedente abeant: quæ omnia communitatis, ac colligantiæ, monumentum sunt, pectoris, mammarum, genituræ, ac vocis inter se. Propterea (vti diximus) in vocis mutatione alteruter testiculorum semper tumet. Quod igitur de abscessu in testem dixit in hac oratione nullam habet difficultatem. Quod verò de coxendice, cruribusque adiecit non est adeò legentibus peruium, cùm his partibus atque thoraci nullatenus, quòd nouerim, conueniat. Quare quod Galenus sexto de morbis popularibus libro scriptum reliquit, dum interpretaretur historiam Agasios puellæ: commodè huc transferendum duximus, haud enim parui refert ad nostrum institutum. Inquit ergo Galenus, quanquam his partibus cum thorace non conueniat, tamen aliquando tam imbecillæ sunt, vt citius quàm testes fluxionem recipiant. Atque id per Iouem est quod Hippocrates eodem libro, sectione tertia scripsit: loca alterius loci noxios humores suscipiunt, aut dolore, aut grauitate, aut alia quauis ratione liberant, siue quòd inter se communitatem habeant, nam in eo quod dixit, vel alia quauis ratione locorum imbecillitatem complexus est.

Ἢ ὑδρωπιῶντα βὴξ ἔχῃ κακόν.

16. Si aqua intercutem laborantem tussis corripiat, malum.

Non sine magno errore, quicunq; librum hunc transcripsit, diuersas admodum sententias in vnum copulauit, hoc modo, ἢν ὑδρωπιῶντα βὴξ ἔχῃ, ἢν

μὴ αὐτίκα

μὲν αὐτίκα λειποθυμέῃ, θερμοῖσι πᾶσι διαχρήσθω, ἢν δὲ μὴ θωρῆξαι, καὶ σιτίων ἐμπλῆσαι. i. Si aquæ intercutem laborantem tußis corripiat, si quidem statim animo deficiat, calidis omnibus vtatur, sin secus merum bibat, & cibis se repleat. Hac enim ratione aqua intercutem laborantes curandos esse, nemo sanè vllus iudicabit. Cùm neque cibis satiari, neque merum liberalius haurire, sit ipsis ex vsu: quin neque calidis citra maximam prudentiam vti licet. Quapropter consultè admodum in duas partes sententia illa erit dispescenda: vt prior habeat in hunc modum: ἢν ὑδρωπιῶντα βὴξ ἔχῃ, κακόν. id est. si aqua intercutem laborãtem tußis corripiat, malum. Nam & in aphorismis etiam scriptum est: τοῖσι ὑδρωπικοῖσι βὴξ ἐπιγινομένη κακόν. id est. Aqua intercutem laborantibus, tußis superueniens, malum. Non quidem omnem tußim hydropicorum accusans, sed eam tantum quæ veluti morbi symptoma contingit. Nam si quispiam aqua intercutem laborans, vel ob refrigerationem asperæ arteriæ ab ambiente aëre tußim incurrerit, vel ob eam quæ descendit ex capite fluxionẽ, vel ex aliqua alia occasione, quæ in similem affectum sanos etiam num homines ducere solet, non est admodum vitio vertenda ipsa tußis, neque tunc superuenire dicetur, sed ex prægressa quapiam causa oriri. Quod si verò tußis ipsis contigerit, quoniam aquosa ipsorum humiditas quæ in ventre continetur, vsqueadeò increuerit, vt iam ad asperam arteriam regurgitans, spiritus vias opplendo præpediat, malum sanè est indicium, nec multo post hominem de vita discessurum significat, humoris multitudine suffocatum.

Ἢν μὲν αὐτίκα λειποθυμέῃ, θερμοῖσι πᾶσι διαχρήσθω, ἢν δὲ μὴ θωρῆξαι, καὶ σιτίων ἐμπλῆσαι.

17. Si quis statim animo deficiat, calidis omnibus vti debet, si autem non, merum haurire, & cibis se ingurgitare.

Varias esse causas quæ animi deliquium inferre possunt, quemadmodum nimia vacuatio, humorum multitudo, aut acrimonia, immodica frigiditas, immodicusque calor, principis etiam alicuius visceris obstructio, & quæcunque huiusmodi sunt, apertum sanè est. At quòd in his ex causæ ratione curatio, auxiliorumque materia petatur, sæpe iam diximus. Hippocrates autem impræsentiarum illius duntaxat deliquij mẽtionem fecisse videtur, quod aut ob virium exolutionem, aut ob succorum crudorum multitudinem contingit. Nam si ob virium exolutionem animo quis linquatur, his omnibus vti demus, quæcunq; collapsas vires roborare possunt, qualia sunt quæcunq; celerrimè multumq; nutriunt, inter quæ vinum maximè commendatur. Debet autem mediocriter aqua attemperari, ne si fortasse celerrimo motu ad neruosum genus, hactenus exsiccatum ferretur, conuulsionem induceret. Adhibenda sunt etiam interim alia, quæ tum boni nutrimenti, tum facilis concoctionis

esse putantur: ac si vires validæ sint, vt insignem alimenti copiam admittant, neq; ipsas offendi timueris, liberaliter cibi sunt offerendi: sin secus satius fuerit subinde ac modicum corpus reficere. At verò si crudorum succorum multitudo deliquij animi fuerit in causa, calidis omnibus tunc vti debet, tum cibis tum etiam medicamentis, tum fricationibus: à balneis tantum ægrotus abstineat, vt quæ ad corporis superficiem crudos humores euocantia, grauissimè interna omnia viscera obstruũt, ac transsumi in vasa crudos humores cogũt. Reliqua verò quæ huc transferri poterant ad alias deliquij animi causas spectantia, non est in votis percensere, commentationis longitudinem fugientes, ea verò tu te ipse priuatim poteris apud Ætium, atq; Paulum fusissimè perlegere. Id vnum duntaxat addidisse fuerit ex vsu, nõ tantum animi deliquiũ impræsentiarum esse intelligendum affectum illum, quem Ætius à syncopa distinxisse videtur libro quinto, sed etiam & syncopen ipsam. Ille enim id interesse scripsit; inter deliquium animi, hoc est, λειποθυμίαν, & syncopen: quòd deliquium animi sensu motúque intercœpto absque sudore repente prosternat hominem, syncope verò tam vigilantes, quàm sopitos occupat, cum sudoribus omnino, quos syncopticos nominant.

Deliquium animi à syncopa quomodo distinguatur.

Τάμνειν δὲ τὰς ἔσω, τοῦ νοσήματος ἐν τάσει γινομένου λύσις, ἰσχίων ὀδύνη, ὀφθαλμῶν διαστροφαὶ, τύφλωσις, ὀρχίων οἴδησις, μαζῶν ἄρσις.

18 Secare autem internas venas, morbi magni in tensione facti, solutio est. coxendicum dolor, oculorum distortiones, cæcitas, testium tumor, mammarum elatio.

Nescio an Cornarius alio vsus fuerit codice, in quo hoc modo posterior huius sententiæ portio scripta fuerit, λύσις ἰσχίων ὀδύνης ὀφθαλμῶν διαστροφαὶ, τύφλωσις, ὀρχίων οἴδησις. μαζῶν ἄρσις. *Quoniam ita conuertit. Solutio coxendicis doloris oculorum distortiones, cæcitas, testiculorum tumoris, mammarum elatio. Nos verò aliter multò legimus, probanda tamen magis erit tibi lectio quæ magis arriserit. Nam si vti nos legimus ita Hippo. scripserit, nihil aliud planè voluit, quàm secandas esse internas venas in omni morbo magno, quales sunt tum coxendicum dolores, tum oculorũ distortiones, tum cæcitates, illæ nimirũ quæ ob ophthalmicas affectiones contingũt: aliæ enim deploratæ iam sunt; tum etiã testium tumores, & huiuscemodi alij affectus, qui graues magniq; fuerint, si simul cum plethorica totius corporis dispositione contingant. Nam* τάσιν. *i. tensionem (vt nos arbitramur) id appellauit, quod nos* τονώδεα διάθεσιν. *i. tensoriam dispositionẽ, ex Galeni sententia dicimus. Fit autẽ hæc maxima ex parte ob humorum multitudinem, vt ipse in libro de plenitudine scripsit, interim etiam ob flatulentam materiam. Cæterum si Cornarij versionem sequi malis, quam non audemus in totum accusare, idipsum sanè in prima ora*

τάσις, id est, tensio, Hippocrati quid sit.

ma orationis parte intelliges, quod à nobis hactenus dictum est: in secunda verò, fieri horum affectuum solutiones ex transpositione noxiæ materiæ in sedem aliam: sed qua ratione coxendicis dolor, in oculorũ distortiones abeat, aut cæcitatem, id planè ingenuè fateor me ignorare.

Ἢν πυρετοῦ ἔχοντος τὰ περὶ τὸ πρόσωπον ἰσχνὰ ᾖ, ἐν ἡμέρῃ γονίμῳ, τὴν ὑστεραίην λύσις.

19. Si quidem detinẽte febre, quæ circa faciem sunt macilenta appareant in die fœcundo, sequenti die febris soluetur.

Decretorios, ac iudicatorios dies Hippoc. ἡμέρας γονίμας *nominauit: quoniam frequẽter legitimeq; in eis febres, ac cæteræ ægritudines soluantur, nisi enim in tali die deserat hominem febris (vt postmodum dicet) necessum est vt repetat.* γόνιμον *igitur id quod fœcundum est, ac legitimum significat, sic* γόνιμος υἱὸς ὁ ἐκ τοῦ γένους γεγονὼς, καὶ γνήσιος οὐκ ἀλλότριος. *Non enim is, qui adoptiuus est* γόνιμος *dicetur: ita etiam & dies ipsi quibus fideliter ac legitimè ægritudines soluuntur* ἡμέραι γόνιμαι. *id est, dies fideles, ac fœcundi nuncupabuntur: quales impares dies vt plurimum sunt, atque in summa decretorij omnes. Sudores enim febricitanti si incœperint, boni sunt, & tertio die, & quinto, & septimo, & nono, & vndecimo, ac similibus. Nec tantum sudores (vt inquit Galenus) in his diebus boni sunt, sed alui excrementa, vrinæ multæ, & iuxta aurem abscessus, vel aliquem alium articulum. Nam signa iudicatoria, ac symptomata, vt iudicatorijs diebus incipiant necessum est, si probè tamen decernere debent: maximam nanque horum dierum esse vim experientia docuit. Itaque diem fidelem, aut fœcundum dixit Hippocrates, eum videlicet, qui morbum frequenter, fideliterq; iudicat: nam si imparem diem in vniuersum dixeris, peccabis vtique. Quanquam non me fugiat* ἡμέραν γονίμην *Græcis quandoque dici imparem, quomodo & περιττήν: quoniam inter dies indicatorios sæpissimè impares iudicia absoluant, atque ex his translata denominatione* περιττάς, γονίμας *dixerunt. Cæterum quòd per dies etiam pares morbi fideliter ac legitimè iudicẽtur, indicauit idem ipse Hippocrates, qui plurimos decimo quarto die decreuisse scripserit, & ne sermonem altius repetamus, Zoilus ille, qui ad mœnia habitabat, quarto decimo die morbo liberatus est: similiter & alij plurimi vigesimo, alij rursus vigesimo quarto, alij quadragesimo, plurimi etiam quarto die, cùm morbus mitissimus est, ac signis firmatus securissimis. Quare cessasset quidem Galeni scrupus, nec locus datus esset suspitioni quarta aphorismorum sectione, aphorismo sexagesimo primo.* Πυρεταίνοντι ἢν μὴ ἐν περισσῇσιν ἡμέρῃσιν ἀφῇ ὁ πυρετὸς ὑποτροπιάζειν εἴωθε. *id est. Febricitanti nisi in imparibus diebus febris abeat, reuerti consueuit, si scriptum esset pro* περισσῇσι, γονίμῃσι. *i. pro imparibus fœcundis.*

Nam quoniam in ea parte impares dies apponantur, Galeno aphorismus suspectus est. Cæterum si eius loci meminisset Galenus ex quo sententia illa in aphorismis transcripta est, quomodo & aliæ multæ ex his epidemiorum libris transferuntur, non vtique hæsitasset. Scribitur autem illa inferius paulò, ἢν μὴ ἐν τῇ γονίμῃ μεθῇ ὁ πυρετὸς ὑποτροπιάζειν ἀνάγκη. id est. Nisi in fœcundo die abeat febris, necessum est vt repetat. Quam sententiam vt verissimam, ita præ inscitia, arbitror in Aphorismis translatam, non fideliter coaluisse, quoniam is qui ipsam transscripserit, quòd vidisset eam dictionem γονίμην non admodum notam, vt posteritati consuleret πιστὴν pro ipsa scripserit, quoniam sæpissimè id significat: verum ex translatione, vti diximus. Nam potius γνήσιον, quàm πιστὸν ea vox significat. Euacuatum igitur est Galeni scandalum: nam pro imparibus fidelibus, aut fœcundis, legendum est: vt series sermonis talis sit: Nisi in fidelibus diebus febris abeat, reuerti consueuit. Iam igitur ad sermonem veniamus, si detinente febre quæ circa faciem sunt macilenta appareant in die fœcundo, sequenti die febris soluetur. Quare faciei macies, in die fœcundo, nimirum decretorio, salutem portendit. Quoniam videlicet eo die aliquam fuisse vacuationem demonstrat, ex qua facies emacietur. Absque enim simili causa fieri non posset. Itaq; si euacuatio facta est, atque ea in die fideli, tamq; copiosa vt ex aspectu deprændatur: proculdubiò morbum iam foras exijsse argumento est. Atque ita ex successu salus significatur: neq; immeritò in die fideli dixit Hippocrates, quoniam si per initia quando neque decretoria signa, aut symptomata apparere debent, ea facies appareat, summam perniciem ostendit: contemplari enim oportet, vt ipse scripsit, faciem ægroti, num valdè à naturali absit, tunc siquidem summè malum est.

Ὕδρωψ ἢν οἴδημα ἔχων ἐν τοῖσι σκέλεσι, βήσσῃ κακόν.

20. Aqua intercutem laborãs, si tumorem in cruribus habens tussiat, malum.

Dudum antea fumus hanc orationẽ interpretati, nec quidpiam aliud impræsentiarum adiectum est, quàm symptoma illud, nempe pedum tumor, cõmune quidẽ omni aquæ intercutem, in qua ad imbecillas corporis partes, maximeq; inferiores, humor in ventris cauitate aceruatus transfertur. Quare non de omni simpliciter tumore intelligendam esse hanc sententiam ducimus, sed de illo maximè crurum pedumq; tumore, qui modum omnem excesserit, ingensq; fuerit. Nam illo potissimũ tempore quo crura non amplius in fluentem humorũ multitudinẽ recipere possunt, sed hinc inde fatiscunt, ad supernas corporis partes humor regurgitat, atq; asperam arteriam planè obstruit. Vnde & sæuissima illa tussis, proximæq; mortis nuntia se promit. Cæterum

possemus

possemus etiam hanc sententiam aliter interpretari hoc modo, non deteriore forsitan iudicio si dicamus, Hippo. in hoc loco aquã intercutem maximè dam nasse, cum qua tum tussis, tum etiam pedum tumor coniuncta fuerint, nõ extremam illam tussim intelligentes, sed leuem potius ac veluti tussiendi quandam cupiditatem, quæ imprimis, his quibus primario affectu in hydrope iecur laborat, adesse perpetuò cernitur. Atq; proinde deteriorem hanc forsitan voluit esse affectionem, alijs omnibus in quibus consortij ratione in affectum iecur ipsum deducitur. Nam in libro prædictionum secundo, de aqua intercutem, quæ vitiato primum iecore nascitur, in hunc modum scripsit. ὁκόσοισιν δὲ ἀπὸ τοῦ ἥπατος οἱ ὕδρωπες γίνονται, βῆχες καὶ θυμὸς ἐγγίνεται αὐτέοισιν, καὶ οὐδὲν ἀποπτύουσι ἄξιον λόγου, καὶ οἱ πόδες οἰδέουσι. *id est. Quibus à iecore aqua intercutem prodit, his tussis, & propensio adsunt, & nihil expuũt, dignum ratione: & pedes ipsis tument. Vocauit autẽ vt scripsit Galenus, propensionem in tussim, quando tanquam ad affectum irritati, confestim incœpto desistũt, duntaxat tussiendi principium experti. Nam iecoris moles insidens præcordijs, angustiam infert pulmonibus: instar illius angustiæ veræ, quæ infarctis pulmonum meatibus, ob defluxum à cerebro pituitosi recrementi, ad tussim impetum mouet. Veruntamen hi cùm frustrentur spe, neq; ex votis cedat illa ad tussim concitatio, cùm nihil dignum ratione possint extussire, tandem cognoscunt, ab experientia edocti, quàm temerè sperauerint.*

Deterior est aqua intercutẽ in qua primario affectũ iecur vitiatur.

ἢν τὸ οὖς ἀλγέῃ τῷ γάλακτι διαχρήσθω.

21. Si auris doleat, lacte vtatur.

Est sanè lac omne, potissimumq; humanum ἀπεκεραστικὸς. *id est. acrimoniam humoris hebetantis facultatis, atq; etiam* ἀνώδυνον *medicamentum ob temperatam nimium consistentiam, quam maximè seruat, tantisper dum non est ab ambiente aëris conditione alteratum. Alteratur autẽ facilimè, vt Galenus etiam dixit, & experientia confirmat, vtpote quòd admodũ sit ad patiendum accommodatum. Ac proinde eo vtimur ad dolorificos affectus recens ab vberibus effuso, naturaleq; corporis temperamẽtum seruante. Videmusq; in ophthalmicis affectionibus imprimis esse conducibile, quod euidenter doloris adimat sæuitatẽ; ita etiam & in aurem instillatũ vsum præstaturũ esse nemo sanæ mẽtis debet dubitare, cùm ab acri quopiã, biliosóq; humore dolor fuerit excitatus. Quin & cùm frigiditas meatũ auditorium obsidens dolorem induxerit, haud leue ab ipsius vsu expectandum est auxiliũ, naturali partis temperamento à lactis calore veluti consoto, incrementumq; capescente, ac validius noxiam concoquente materiam, frigiditatem'ue depellente.*

ἢν μὴ ἐν τῇ γονίμῃ μεθῇ ὁ πυρετὸς, ὑποστροφιάζειν ἀνάγκη.

22. Nisi in fœcundo die abeat febris, necessum est vt repetat.

Hanc sententiam (vti diximus) damnauit Galenus aphorismorū sectione quarta, quoniam ab scriptore esset deprauata, quod sanè euidentissimum est, cùm sit ex hoc loco translata. Quare si huius loci meminisset in aphorismorum commentatione Galenus, nō vtiq; id silentio ab eo fuisset prætermissum, quoniam maximè ad rem, quam parabat, facere videbatur, nec tamen adnotasse fuit oblitus commodè ea in parte legi posse, pro περισσῇσι, κρισίμοις, *id est, pro imparibus, iudicatorijs, quod multis ante ipsum interpretibus visum iam fuerat.*

οὗ ἂν ἡ φλὲψ ἡ ἐν τῷ ἀγκῶνι σφύζῃ, μανικὸς καὶ ὀξύθυμος, ᾧ δ' ἂν ἀτρεμέῃ τυφώδης.

23. Cui vena in cubito pulsat furorem ac excandescentiam significat: cui verò quiescit stuporem portendit.

Quod Hippoc. de magna adeò, ac vehementi arteriarum motione, efferre consueuerit pulsationis nomen, & nos iam antea diximus: & nunc iterum ex Galeni sententia dicere non grauabimur, quo pertinacius legentium auribus quod multoties inculcatum est, hærere possit, aut quò si semel exciderit rursus reuocetur, δὶς γὰρ καὶ τρὶς τὰ καλά, *vt in adagio habetur: quæ enim honesta sunt, & maximi emolumenti iterum atq; iterum debent inculcari, cùm æquū non sit egria quæpiam sentire obliuionem: sed semper veluti in promptu haberi. Inquit ergo in libro, quòd animi mores corporis temperaturam sequantur, inscripto:* φλέβας μὲν γὰρ καὶ τὰς ἀρτηρίας ἐκάλουν οἱ παλαιοί, καὶ δέδεικται πολλάκις ὑπ' ἐμοῦ, οὐ πᾶσαν δὲ τὴν ἀρτηριῶν κίνησιν ὠνόμαζον σφυγμόν, ἀλλὰ μόνον τὴν αἰσθητὴν αὐτήν, αὐτῷ τῷ ἀνθρώπῳ πάντως οὖσαν σφοδράν. *id est. Venas quidē & ipsas arterias vocabant veteres, & id iam antea à nobis ostensum est. Haudquaquam autem omnem ipsarū subsultationē, pulsum nominabant, sed eam duntaxat quæ sensilis esset, ipsi homini, ob vehementiam. Idipsum etiam tum libro præsagiorum primo, tum sexto de Hippo. & Platonis placitis confirmauit abundè, quæ tamen nos impræsentiarū reticebimus, cùm ea à nobis in medium sint prodita, dum ea quæ Lyciæ mulieri contigerūt, in tertia huius libri sectione enarrabamus. satq; (arbitror) ad præsens institutū fuerit, vehementem arteriæ, quæ in cubito est motionem, quam vel aspectu quisq; depræhendere posset Hippo. pulsationē in hac parte vocasse. Ex qua irascibilis in corde residentis facultatis vehementia, tanquam ex proprio peculiariq; indicio depræhendatur. Et quanquam, vt Galenus libro eodem fatetur, Hippo. huius fuerit consuetudinis autor, quæ postmodum inualuit, nempe omnem vel exilem etiamnum arteriarum motionē, pulsum nominari, tamen maximè veterem seruasse consuetudinem est visus, atq; plurima de veterum more scriptitasse, ex quibus vnum præsens oratio censeri debet. Quod & ipsum Galenus in hunc*

in hunc modum scribens confirmat. Ἱπποκράτης δὲ ὡς ἂν πρῶτος ἄρξας τοῦ μετὰ ταῦτα κρατήσαντος ἔθους, εἴρηκέ που σφυγμὸν ἁπασῶν τῶν ἀρτηριῶν τὴν κίνησιν, ὁποία τις ἂν ᾖ. κατὰ μέντοι τήνδε τὴν ῥῆσιν ἔτι τῷ παλαιοτέρῳ τῆς ἑρμηνείας τρόπῳ χρώμενος, ἐκ σφοδρᾶς κινήσεως τῆς ἀρτηρίας, ἐτεκμήρατο τὸν μανικὸν καὶ ὀξύθυμον ἄνθρωπον. *id est. Hippocrates autem, vtile qui eius quæ postmodum vsu est confirmata sententiæ primus fuerit autor, dixit sanè alicubi omnem arteriarum subsultationem quæcunq; illa fuerit pulsum. At in proposita sententia adhuc videtur veterum loquendi consuetudine vsus, ex vehementi arteriæ motione coniectasse furibundum atq; iracundũ hominem. Neq; immeritò quidem, cùm elatior illa arteriarũ vibratio potissimũ in cubito, vbi luculenter à nobis cerni potest, ob carnis paucitatẽ, non aliunde contingere quàm à summa cordis caliditate, ingentiq; æstu queat. In iracundiã autem, excandescentiamq; propensio ab ea maximè causa nascatur. Quare si quis in primo infantis ortu vehementem videat huius arteriæ, concitatamq; motionem, validam in corde irascibilem vim esse cognoscet: feruido quodam immensóq; calore præditam, quæ facilè in furibundam quãdam audaciam, maximamq; animi commotionem hominem ducere possit: id sanè furiosum iracundumq; appellauit in hac parte Hippo. At verò si quiescat, quod est, si non vehemẽti adeò motu concitetur, torporem potius (qui ex frigiditate nascitur) significat: irascibilem etiam facultatem minus robustam, vtpote quæ copia frigoris consopita, instar degentium in latibulis animantium, elanguescat. Id per Iouem appellauit* τυφώδεις, *quemadmodum & Galenus in antiquarũ Hippo. vocũ interpretatione ostendit.* τυφώδης *(inquiens)* μωρὸς καθεζόμενος. *id est, mutus obtorpescens: quasi fatuum quispiam ac laxum, languidumq; dixerit,* μωρὸν καὶ ἀνειμένον.

Τρῶμα ἢν αἱμοῤῥαγήσῃ μὴ βρέχειν τὸ ἕλκος, τὴν κεφαλὴν δὲ βρέχειν θερμῷ.

24. Vulnus si sanguinem fundat, ne madefacito, cæterũ caput calida perfundendum.

Prima huius orationis pars satis est aperta, nam si vulnus sanguinẽ fundat, rigandum nõ est, id enim aut calente, aut frigida aqua foret obeundum, frigidum autem vlceribus mordax, vt dicebat ipse in aphorismis, calida verò laxat partiũ robur, insuperq; mouet fluxiones. Proptereaq; in venarum quæ per malleolos perreptãt sectionibus, pedem in aquæ calentis lebetem immitti iubemus, quo liberè sanguis per ipsam fluat sectionem, aquæ circunstantis calore illectus. Nam nisi eo vteremur ingenio, confestim sanguis in vulneris circuitu concrescens, obturaret penitus sectionem, viaq; ipsi tametsi vehementer in exitum colluctanti præpediretur. Non igitur madefaciendum est quoquam pacto vulnus quod sanguinem fundit, sed potius obturanda sunt ora

vasorum dehiscentia, medicamentis austeris, obstructorijsq;, vbi primum venæ sectione, cucurbitulis, aut ligatura vehementi profluuium in contrariam partem auerterimus, quòd si neque hoc pácto sanguinis impetus coërceatur, ad vstiones tandem venire cogemur, aut χαρωτικοῖς *medicamẽtis, aut igne factas. Qua autem ratione impræsentiarum dicat non esse vulnus irrigandum, sed caput calida perfundendum, non video. Neq; enim dixit qua parte vulnus existere debet, dum caput calida affatim affusa est eluendum, neq; enim rationi videtur esse consentaneũ, calida caput esse perfundendum, vbi vbi sit vulnus sanguinem fundens: nam potest & in capite ipso vulnus consistere. Quare consultius multò fecisset si nos ad sanguinis missionem accedere iussisset, quo sanguis ad contraria reuulsus, non amplius tanto cum impetu ad vulnus laberetur. At verò calida partibus quæ ab affecta sede desunt affusa, partim ad se euocat sanguinem, partim verò ipsum reddit ad motum magis paratum, vt si corpus plenitudine sanguinis turgeat, postquam suffusæ sanguine sunt venæ, quæ in irrigata parte consistunt, iam rursus ad affectam sedem maiore cum tumultu supercalefactus sanguis efferatur.*

Ἢν καρδιώσσῃ, θερμὸν ἄρτον μετ᾽ οἴνου ἀκρήτου διδόναι.

25. Si cor doleat, panis cum vino meraco calidus dandus est.

Cordis dolorem, quem καρδιωγμὸν, *aut* καρδιαλγίαν *Græci vocant, Hipp. osculi ventriculi affectum semper esse voluit, quemadmodum à nobis in secunda huius libri sectione, statim in initio fusissimè monstratum est. Veteres siquidem omnes os ventriculi, tum ob dignitatem, tum etiam quòd promptè admodum cor ipsum in consortium ducat, de cordis nomine* καρδίαν *vocauerũt: & ipsius affectum pariter cordis dolorem. Fit autem potissimũ ob acres, aut alioqui venenatos humores sedem hanc corporis præcipuam obsidentes, qui viscus hoc impensè vellicantes grauissimos quosdam inferunt dolores, vt totius corporis robur veluti momento temporis demoliantur, vitali cordis facultate ob vicinitatem extremè debilitata, quod pulsus ostẽdunt, circa ipsum quidem vehementiores & magni, in artubus verò subtremuli, ac conuulsorij.*

Cuiusmodi pulsus sint in cardialgicis affectibus.

Quare his quæ humorũ acrimoniam attemperare possunt, imprimis est vtendum, mox verò ad collapsas vires reparãdas se accingere medicus debet. Attemperant verò, diluuntq; humorũ acrimoniam, ac maximè retundunt, quæcunq; ὑποκεραστικὴν *obtinent facultatem, qualia halica, ptisanæ cremor, maluarum, aut fœniculi decoctum, aut oleum ex dulcibus amygdalis sunt, et alia etiam id genus medicamenta, cibus verò etiam ptisanæ cremor, amylum, panis etiam vino meraco, aut diluto intinctus prout vsus expostulat. Vbi enim biliosorum succorum copia ventriculi orificium affectum est, frigidis potius, quàm vino est vtendum, aut si ipsum admittatur album sit, dilutum ac tenue.*

quod si

quod si crassi fuerint aut frigidiores, meracum sanè vinum cum panis offa fuerit ex vsu.

Ἐμέτου λύσις, ὕδωρ θερμὸν διδόναι πίνειν, καὶ ἐμείτω.

26. Vomitus solutio. aquã calidã bibendam propinare, & vomat.

Ita ad verbum scripta in Hippocratico codice hæc sententia habetur, vnde euidentissimum depromi potest testimoniũ, huiusmodi omnia, tabellis quibusdam, aut chartis ab ipso esse mãdata, ex quibus in libros hos digesta postmodum à Thessalo ipsius filio, aut alio quopiam ipsius studioso, ac necessario fuerint. Perinde etiam & nos consueuimus, priuatis in libellis apponere, quæ vidimus assiduo experimẽto esse confirmata, veluti cùm scribimus: ad capitis dolorem, ad coxendicis cruciatum, ad colicum affectum, & id genus similia: ita sanè & Hippo. cùm eo vti consueuisset medicamẽto, ad nauseabundos fœlici semper successu, memoriæ idipsum mandauit, priuatim scribens, ἐμέτου λύσις, *id est, vomitui soluendo. Est autem id auxilium oppidò quàm elegans per Iouem, quo & nos vti sæpenumero solemus, adijcientes quidem ipsi aquæ dum efferuescit, seminis fœniculi nonnihil, aut carui, aut anisi, quò flatus, si qui sint interius inclusi, dissipentur, deinde verò cùm iam ipsam ægroti bibituri sunt modicum aceti infundimus. Nam ex aceto calens aqua, tum ea quæ ventriculo adhæret eluendo reddit mitiora, tum etiã si quam habuerint glutinosam, aut tenacem consistentiã inscindit, faciliusq; ea vomitu educi facit.*

Ὅσα σφακελίζει, ἀπολαβόντα τὴν φλέβα ἑλκῶσαι, καὶ ὑγιῶσαι.

27. Quæcunq; syderantur, intercepta vena, vulneranda sunt, atq; sananda.

Σφάκελον, *id est, syderationem vocare Hippo. interim consueuit eum affectum, quem nos* γάγγραιναν *dicimus: cùm pars nondum ob inflammationis magnitudinem demortua est, sed adhuc moritur, proximeq; iam adijt interitum. At verò veteres omnes vno excepto Hippo.* σφάκελον *factam, iam cuiusq; partis corruptionem* νέκρωσιν, *id est, mortificationem, aut internetionẽ appellabant: in qua sanè significatione interdum vox ea ab Hippo. etiam desumitur, vt libro de fracturis cùm scribit:* καὶ οὕτω κίνδυνος σφακελίσαι τὸ ὀστέον τὸ τῆς πτέρνης. *id est. atq; ita periculum est, ne syderetur os calcis. In qua parte Galenus hæc inquit:* τὴν ὅλην τῆς οὐσίας ἑκάστου φθορὰν ὀνομάζουσιν οἱ παλαιοὶ σφάκελον, ἀλλὰ ἐν τῇ μὲν τῶν σαρκωδῶν μορίων, καὶ ἄλλοις ὀνόμασι χρῶνται. λέγει γοῦν αὐτὸς καὶ σαπρὰν σάρκα, καὶ μυδῶσαν, καὶ σηπομένην, καὶ ἄλλα τοιαῦτα ὀνόματα. κατὰ δὲ φθειρομένου δι' ὅλης αὐτῆς οὐσίας ὀστοῦ σφάκελον ἐπιφέρει. συμβαίνει δὲ τοῦτο τὸ πάθημα τοῖς ὀστοῖς, ὅταν ἡ περικειμένη σὰρξ αὐτοῖς μοχθηροὺς ἰχῶρας γεννῶσα, καὶ διαβρέξασα τούτοις, αὐτὰ διασήψῃ. *id est. Omnimodam cuiusq; partis corruptionem nominare veteres syderationem consueuerunt: sed in carnosis partibus alijs*

σφάκελος. i. syderatio quid significet Hipp.

alijs etiam nominibus vtuntur. Nam ipse tum marcidam carnem, tum fœtidam, tum putridam appellat, atq; id genus alijs nominibus vtitur. Os autem quod tota sui substantia corruptum est syderatum nuncupat: quod vitiũ contingit ob circumiectam carnem, quæ prauas quasdam sanies aceruãs, ipsas putrescere cogit. Cæterum quòd incipientem etiam partis interitum nominet σφάκελον. *i. syderationẽ, apertè in eo indicauit aphorismo:* ὁκόσοισι σφακελίζεται ὁ ἐγκέφαλος, ἐν τρισὶν ἡμέρῃσιν ἀπόλλυνται. ἢν δὲ ταύτας διαφύγωσιν, ὑγιέες γίνονται. *id est. Quibuscunq; cerebrum syderatum est in tribus diebus moriuntur, quod si hos effugiant, sani euadunt: si enim de eis sermo haberetur, quibus penitus cerebrum corruptum est, non vtiq; dixisset; si hos effugerint sani euadunt. Nam vbi substantia cerebri omnino est vitiata, actum iam de ipso est: neq; amplius ad pristinum statum reduci posse est sperandum. Propterea Galenus in cõmentatione prudenter admodum addubitauit:* μήποτε οὖν ἔνιοι τε οὕτω καταχρώμενοι φέρουσι τοὔνομα, καὶ κατὰ τῶν ἀρχομένων μὲν ἐμπίπτειν τῇ διαθέσει, μηδέπω δ' ἀκριβῶς ἐχόντων αὐτὴν συμπεπληρωμένην; τοιαῦτα γάρ τινα κἀπὶ τῶν σαρκωδῶν μορίων ἐν ταῖς γαγγραίναις συμβαίνει, τὸ μὲν πάθος αὐτοῦ διὰ μέγεθος φλεγμονῆς, ἀναισθησίαν τε καὶ μελασμόν, ἢ πάντως γε νεκρώδη τινὰ χροιὰν ὑποφέροντος τῷ πάσχοντι μορίῳ. γαγγραινοῦσθαι δὲ λέγομεν καὶ τὸν ἀρχόμενον τῇ διαθέσει ἐμπίπτειν. ὥσπερ οὖν γάγγραιναν ἤδη μὲν συμπεπληρωμένην, ὡς νεκροῦσθαι τὸ μόριον ἀδύνατον ἰᾶσθαι, γιγνομένην δ' ἔτι δυνατόν, οὕτω καὶ σφάκελον. *Nunquid igitur ita abutentes nomine interdum, efferant ipsum, de his quibus inchoat adhuc affectio, nondum autẽ ab ipsa correpti sunt in totum? nempe talia quæpiam & in carnosis partibus per gangrænicas nuncupatas affectiones contingunt, vt affectus ipse ob inflammationis vehementiam, tum sensus priuationẽ, tum atrorem, aut morticinũ quendam colorem affectæ ipsi inferat parti. Sed* γαγγραίνᾳ *corripi sedem aliquam dicimus, & cùm incipit affectum contrahere. Quemadmodũ igitur gangrænam iam absolutam, vt demortua ipsa sit particula, curare est impoßibile: eam verò quæ adhuc fit, poßibile, ita & sphacelũ. Hactenus quidem Galenus, ex cuius sanè sententia liquidò depræhendimus sphacelum, hoc est, syderationem, quam nobis proposuit Hippoc. impræsentiarum curandam nõ esse iam factam, absolutamque, sed adhuc inchoantem cùm pars nondum vita penitus priuata est, sed emoritur, sensimq; adit internetionem. Contingit autem hic affectus bifariam, aut quòd vitalis facultatis influxu priuetur, aut quòd natura, nimirùm temperamẽtum, calorq; natiuus intereat. Facultas autem non influit multas ob causas, quas in vniuersum est necessum vitalis facultatis vias præpedijsse, veluti cùm laqueo pars est intercepta, aut vehemẽti aliqua impulsione pars quæpiam fuerit eluxata, vt iam ad partem affectam ob locorũ angustationẽ vitales spiritus ferri non poßint.*

Verùm

Verùm naturalis partis temperatura perit, tum ob humorum influxum, natiuo obruto, extinctoq; calore, veluti per immodicas inflammationes, tum ob nimiam refrigerationem: quòd his, qui per gelida loca iter faciunt sæpe accidit: aut his, qui medicamento quopiam impensè refrigerante sunt vsi, tum quòd calor natiuus ab immodico calore sit dissipatus. Primus igitur huius affectionis scopus, potissimum cùm magnas consequitur inflammationes est, vt humorum impactorum multitudo euestigio vacuetur, nam hi natiuum calorem vndiq; obsepientes difflari non sinunt, aut refrigerari. Quare nisi confestim educantur, calorem ipsum propemodum iam moribundum citissimè extincturi sunt. Euacuabitur autem quàm celerrimè, multis, profundisq; vulneribus circumcirca parte scatificata, vt & subiectam subeant carniem, ita enim & sanguinis copia vberrimè fluet, & calor naturalis melius multò difflari poterit. Id vnum duntaxat diligenter erit in his adhibendis sectionibus aduertẽdum, vt si quæ magnæ arteriæ in parte affecta delitescant hæ laqueo intercipiantur, si per imperitiam fuerint vulneratæ, id enim est quod ipse dixit, intercœpta vena: nam & arterias etiam de nomine venarũ nũcupauit.

Σπασμοῦ χειρὸς δακτύλων, ἄνευ πυρετοῦ, χάσαι, ἢν μὴ τὴν κεφαλὴν ἀλγέῃ, εἰ δὲ μὴ, ὕδωρ θερμὸν καταχεῖν.

28. In conuulsione digitorũ manus citra febrem, scatificare oportet, nisi caput doleat, sinautem aqua calida perfundenda.

Nemo ignorat conuulsionem omnem, ex repletione factam, si reliqua consentiant, sanguinis missione esse curandam, indeq; tanquam ex carcere quodam, promouere, omnem curationis methodum. Interim tamẽ negligenda nõ sunt auxilia alia, quæ laboranti parti admoueri debent, de quibus impræsentiarum διεξοδικῶς *agere non est in rem nostram. Sat enim esto, conuulsis digitis manus, sanguinẽ esse mittẽdum, aut cucurbitulas ceruicis posteriori parti esse affigendas cum maxima flamma, deinde verò vbi plurimum ad se traxerint auellendas, scarificandamq; ipsam partem, quo humor neruos ex spinali medulla malè habens simul cum sanguine educatur. At idcirco occipitio aut summis scapulis affigendæ cucurbitulæ sunt, quoniã ad manus nerui ex ceruicis verticulis dissemin antur. Id autẽ faciendum monet nisi febris affuerit, aut caput doleat. Non quidem quòd febris huiuscemodi sanguinis missionem præpediat, sed quòd dum febris adest, ipsi, tanquam præcipuo auxilio, curatio omnis sit credenda. Quòd si eam non sat fore speraueris, poteris tum hoc, tum alijs etiam vti auxilijs. At verò capitis dolor omnino impedimento est, ne cucurbitulæ occipitio affigãtur priusquam vniuerso corpori fuerit consultum. Porrò autem calidæ affusio probatũ quidem est auxiliũ: nam & humorum neruosum genus obsidentiã discutere potest multitudinẽ, quanquam melius*

melius multò esset calidis alijs tum actu, tum potestate medicamētis vti, qualis theriaca antidotus est, & id etiā quod ex castorio conficitur medicamentum, & alia id genus: quibus affectæ partes illini commodè possunt. Cæterum quòd ad orationis attinet contextū, non est silentio prætereundū χᾶσαι quod nos scarificare conuertimus, tria significare, quemadmodum Galenus adnotauit, in antiquarum Hippo. vocum interpretatione, χᾶσαι τρία σημαίνει ἀμῦξαι, ἐκκρῖναι, χαλάσαι. id est. scarificare, excernere, laxare.

σχᾶσαι quid Hippocrati significet.

ὀφθαλμῶν. σποδίου δωδεκάτην, κρόκου πέμπτον, πύρηνος ἓν, ψιμμυθίου ἓν, σμύρνης ἓν, τὸ ὕδωρ κατὰ τῆς κεφαλῆς καταχεῖν, καὶ διδόναι σκόροδα σὺν μάζῃ.

29. Ad oculos. spodij partem duodecimam, croci quintam, grumorū thuris vnam, cerusæ vnam, mirrhæ vnam. Aqua frigida capiti est affundenda, dandaq; sunt allia cum massa.

Nihil sanè egregium (quòd nouerim) continet hæc ocularis medicamenti formula, id tamen in eo adnotandum iure esse censeo melius spodio, pompholiga haberi ad ocularia medicamenta, quanquam hæc duo genere inter sese haudquaquam distent, sed specie sola: vtrunq; enim in ærarijs officinis reperitur, spodium quidem veluti retrimentum, ponderosum quidem, atque sordidum: pompholix verò fornaciū tectis parietibusq; hæret, tanta leuitate donata, vt in auras facilè euolare possit. Nostrates autem officinæ pro pompholige spodium impudenter ostentant.: maxima sanè medicorum ignominia, sed quid facias, similes semper habent labra lactucas. Porrò quod conuertimus grūmorum thuris partem vnam, ita quidem transferendum duximus, nam Græcè habet Hippo. πύρην ἓν, ac πυρὴν vt Galenus in libro antiquarum Hippo. dictionum, est idem quòd χόνδρος λιβανωτοῦ. id est. grunmus thuris. Atque hæc de prima orationis parte. Quòd verò ad secundam attinet, primū sanè ambigo an præsentis sit instituti, an potius aliunde discerpta oratio perperam sit in hunc locū translata: neque enim probè coaluisse videtur, neque si dimoueatur satis per se constare posse: sed quoniam in græcis codicibus ita ad verbum scriptum esse videamus, satis præstabimus officium nostrum in hac re, si vtcunq; autoris sententiā interpretati fuerimus. Iubet quidē aquam frigidam capiti esse effundendā, quò influentis ad oculos humoris impetus coërceatur: quanquam id non temerè sit peragendum, sed maxima cum prudentia, ne in cerebri intimos meatus humor se recipiat repulsus. Qua autem ratione danda esse allia dicat cum maza, non video planè. Ideo si verum cogar dicere, noxium admodum alliorum vsum esse in huiuscemodi occulorum affectibus crederem: quoniam caput vehemēter repleant. Mazam autem quod humores reddat crassiores, minusq; fumosa sit, nō admodum damnandam existimarem, sed potius frugi futurā. Est autem maza Græcis μᾶζα farina oleo & aqua

Maza quid sit.

& aqua subacta, interim etiam & lacte, veluti Suidas voluit, farinulas vocant, pastoribus caprarijs, & bubulcis suaue alimentum, in cuius conditura omentũ pinguis agni, aut hinnuli adijciũt. Aristophanis autem interpres μάζαν intelligi voluit ξηρὸν ἄρτον. id est. panem rigidum, quo nomine pleriq; ferè omnes panem intelligũt, nautico vsui maximè accõmodatum, quem vulgo biscoctum vocant. Fuisse tamen speciem præstantioris edulij ex communi Græcorum adagio conijci potest ὑπὲρ μάζαν, supra mazan, in eos qui diffluerent delicijs, genioq́ue dediti Epicuræam agerent vitam.

Κιρσοὶ δὲ φαλακρῶν ἢν μὴ μεγάλοι ἔωσι, μανιώδεις.

30. Varices caluorum, nisi magni fuerint furiosi.

Quod varices interdum depulerint insaniam experimento est comprobatum, & ipse etiam in aphorismis scripsit, translato nimirum noxam inferente humore melancholico, in sedemq́; aliam ignobilem protruso. Quare potius insaniæ solutionem varices significare, dicere debuisset, quàm insaniam. Iam verò illud non est conniuentibus oculis perlustrandum, quod dixerit varices caluorum nisi magni fuerint, nam in aphorismis scripsit ὁκόσοι φαλακροὶ τουτέοισι κιρσοὶ μεγάλοι οὐ γίνονται. *id est. quicunq; calui sunt, his varices magni non fiunt. Quæso enim quid caluitium ad insaniam significandam facit? Dicam quod sentio. Caluitium apud Hippo. non solum affectus ille ob ingentem siccitatem dicitur, in quo capitis cutis aridior facta in testæ modum nõ potest vaporibus à calore sublatis liberè pertundi, penetrariq́;. Sed omne capillorum defluuiũ caluitiũ nominauit, quemadmodum Galenus in citati aphorismi cõmentatione, tametsi latenter, innuere tamen voluit. Si igitur per vniuersum corpus melancholico humore vagante, caput ita ab ipso afficiatur, vt & capillorum radices adurantur, periculum sanè est ne in mentem, nimirum ipsius temperaturam, humor irrepat insaniamq́; moueat. Atq; adeò si varices non magni turgescant, non facient mehercule insaniæ depellendæ satis. Sin autem magni fuerint morbum ex toto propulsabunt.*

Ἀλφοῦ, καὶ λέπρης, τίτανον ἐν ὕδατι ὡς μὴ ἑλκώσῃς.

31. Vitiliginis & lepræ, calx in aqua restincta vt non vlceres.

Vitiligo quidem & nomen est generis, & nomen etiam speciei. Vocatur autem hoc nomine in vniuersum absurdus omnis cutis color, ex prauo quodã partis habitu proficiscens, nempe imbecillitate: ita vt non poßit pars nutrimẽtum transmissum sibi commodè aßimilare. Quare contingit interdum in summa tantum cute malum firmari, interim verò penitius subiectam etiamnum carnem subire, pilosq́; cuti effici concolores. Si igitur in summa hæreat cute ipsamq́; candido colore inficiat, ἄλφον *affectum Græci nominant, quemadmodum impræsentiarum Hippoc. aliquando coloris nomen adijcientes* λευκὴν

ἀλφὸν

ἀλφὸν, aut μελάνην si cādida nigra'ue fuerit. *Quod si adeat etiam noxa profundam carnē, affectus, Græcis* λεύκη *simpliciter nominatur. At verò lepra affectus est sanè leuis, nō is quem hoc nomine barbari donarunt, sed inter scabiei species connumerandus, distans à* ψώρα *duntaxat magnitudine, nanque psora scabies est summam tantum cutem infestans, ex qua furfuracea quædam remittuntur, lepra verò altius se insinuat paulò, atque ex ipsa squamosa quædam corpora defluunt. Cùm igitur affectus hi imprimis egeant abstersione, vtpote qui cutem potissimum infestent, commodè ipsis medicamentum ex calce parabitur extincta, quæ vlcus mouere nō possit, sed solum cutem vehementer exsiccare, atque abstergere.*

Χωρίων κάθαρσις ἢν ὑπερέχῃ, πρὸς τὰς ῥῖνας προσθεῖναι, ὥστε πτάρνυσθαι καὶ ἐπιλαμβάνειν τὰς ῥῖνας ἐν τῇ πταρνυμένης, καὶ τὸ στόμα.

32. Secundarum purgatio si quidpiam supersit. medicamentum naribus apponito, vt sternutationem moueas, ac nares, atque os obturato.

Apertè docet hæc sententia, quinta aphorismorum sectione legendum esse ὑστέρων ἐκπτώσιας πταρμικὸν ἐπιθεὶς, ἐπιλαμβάνειν τοὺς μυκτῆρας καὶ τὸ στόμα. *non autem* ὑστερῶν *vltima dictionis syllaba circumflexa, vt secundarū elapsus, nō vterorum intelligeret. Quod & Galenus in cōmentatione adnotauit, in hunc modū scribēs:* οὐ περισπῶντας χρὴ τὴν ὑστάτην συλλαβὴν ἀναγινώσκειν ὑστερῶν ἀλλὰ βαρύνοντας ὑστέρων. οὐ γὰρ δὴ αὐτὰς τὰς ὑστέρας ἐκπεσοῦν βάλεται διὰ τῆς γενομένης πτάρσεως, διὰ τῶν πταρμικῶν φαρμάκων, ἀλλὰ τὰ καλούμενα χόρια τε καὶ ὕστερα. *id est. Haudquaquam circumflectentes vltimam dictionis syllabam legere nos oportet* ὑστερῶν. *id est. vterorum, sed graui potius notantes accentu* ὑστέρων. *id est. secundarum. Neque enim vterorum elapsus voluit nos per sternutatoria medicamenta mouere, sed secundarum potius, quæ Græci* χόρια, & ὕστερα *nuncupantur. Atque propterea Hippocrates omnem quæ ex nominum vicinitate sequi consueuit, effugere volens ambiguitatem, non* ὑστέρων κάθαρσις, *sed* χορίων *dixit. Solent autem huiuscemodi fœtuum inuolucra, ipsis iam in lucem editis pertinaciùs interdum in vtero obfirmata remanere, quæ nisi educantur grauissima puerperis discrimina inferre consueuerunt: opportunè igitur educenda sunt tum alijs auxilijs, tum etiam sternutamentorum vsu, obturatis interim naribus & ore, quo spiritus extrorsum haudquaquam prorumpens, deorsum impetum omnem moueat, ac vi secundas decuti cogat.*

FINIS LIBRI QVINTI.

HIPPO

HIPPO. COI LIBRI SECVNDI DE MORBIS VVLGARIBVS, SECTIO SEXTA, PHYSIOGNOmonica, id est, ex aspectu, naturæ indiciorum ratio: P. Iacobo Steue Valeñ. Medico interprete.

ἢν κεφαλὴ μεγάλη, καὶ ὀφθαλμοὶ σμικροί, τραυλοί, ὀξύθυμοι.

SI caput magnum fuerit, & oculi parui, balbi'que fuerint, iracundi sunt. 1.

IRACVNDOS appellare consueuimus, quicunque fuerint ad iram procliues, ex innata quadam aptitudine ipsos ita nominantes. Hos autem temperamento omnes esse calidissimos, nemo sanè vllus ambigit: atque propterea ipsos ex vehementi venæ, quæ in cubito delitescit subsultatione cognosci posse antea dicebat, cui vena in cubito pulsat furorem excandescentiamque significat, cui autem, quiescit stuporem portendit. Idipsum etiam inferius paulò confirmat, in hunc modum scribens: ὧν κατακορέα τὰ στήθεα, ψελλοὶ μανιώδεες, καὶ φαλακροί. *id est. Quibus pectora biliosa sunt, hi balbi furibundique sunt, atque etiam calui. Apertè enim in hac oratione ostendit ad iracundiam propensionem ex præcordiorum, thoracisque æstu maximè nasci, qui tum ex hispiditate, tum etiam ipsius amplitudine dignoscitur: quod & Aristoteles in physiognomonicis haudquaquam reticuit, dum signa iracūdi proponeret.* θυμώδης ὀρθὸς τὸ σῶμα, τὸ χρῶμα εὔπλευρος, εὔθυμος, ἐπίπυῤῥος, ὠμοπλάται διεστηκυῖαι, καὶ μεγάλαι, καὶ πλατεῖαι, ἀκρωτήρια μεγάλα, καὶ ἐγκρατῆ, δασὺς καὶ περὶ τὰ στήθη, καὶ περὶ βουβῶνας, εὐπώγων, ἀνθηρός, ὁ περίδρομος τῶν τριχῶν κάτω κατεληλυθώς. *id est. Iracundus corpore est erecto, bonis conformatus lateribus, alacer, impendiò rufus, operta scoptula à se inuicem disiuncta habens, magna item ac lata, artus magnos robustosque, hirtus & circa præcordia, & inguina, benè barbatus, floridus, decursus capillorum deorsum spectans. Hæc omnia si in vnam communem maximè causam referantur, non aliò quàm ad natiui caloris robur spectare videbuntur. Obiter tamen duximus admonendum corruptè, quantum nos conijcere possumus legi apud Aristotelem* λᾶος, *pro* δασὺς. *id est. glaber, pro hirto. cùm omnium hominum consensu communi sit confirmatum, cordis ac thoracis calorem pilis admodum refertas pectoris partes omnes efficere. Adde quòd eam ob causam apud Hippocratem* στήθεα κατακορέα, *quod biliosa nos pectora diximus significare, haud pauci* δασέα *intelligant. id est. hirta, ac hispida. Hæc sunt quæ de iracūdi hominis notis perfunctoriè nos voluimus adnotare, quo facilè*

quis intelligere possit, non admodum nobis autoris sententiam arridere, qui ex capitis magnitudine, oculorumque paruitate, ac linguæ balbutie iracundum voluit significare. Non damno tamen ipsius mentem apertè, sed potius iudicij mei hebetudinem accuso, qui nunquam potuerim huius rei vel leuem aliquam inire rationem. Verùm cùm non me fugiat quid ex capitis magnitudine deprehendi possit, quid etiam ex oculorum paruitate, necnon ex linguæ ipsius balbutie, quemadmodum paulò antea sum interpretatus, non moror multum quicquid sibi autor voluerit non esse assequutum.

Οἱ μακρόβιοι πλέους ὀδόντας ἔχουσιν.

2. Longæui plurimos dentes habent.

Vide Plinium fo li. 216. lib. 22.

Longitudinis, aut breuitatis vitæ primam præcipuamque causam ad temperaturam esse referendam nemo est qui ambigat, interim tamen adduntur & aliæ causæ, quæ non tantum ad vitæ longitudinem significandam conducunt, quantum ad benè vel malè transigendum æuum. Quæ autem eatenus vitæ indicant longitudinem, quatenus ex bona procedunt temperatura, ea non simpliciter, aut per se, sed secundaria quadam ratione idipsum significabunt. Huius sunt generis, tum dentes, tum etiam vox. Nam mares fœminis, vt qui multò meliorem habent corporis totius temperaturam, longæuiores sunt, ac dentes habent sæpe plures, & vocem grauiorem: quæ ob caloris copiam omnia procedunt. Idcirco Aristoteles in libro problematum diligenter inquisiuit, διὰ τί οἱ μανοὺς ἔχοντας τοὺς ὀδόντας, οὐ μακρόβιοι. *id est. Cur raros habentes dentes non sunt longæui. Respondet.* ἢ ὅτι τὰ μακρόβια πλέους ἔχουσιν, οἷον τὰ ἄρσενα τῶν θηλέων, ἄνδρες γυναικῶν, πρόβατα προβάτων. οἱ δὲ ἀραιοὶ ὀδόντες, ὥσπερ ἂν ἐλάττονας ἔχουσιν ὀδόντας ἐοίκασιν. *id est. An quia longæua animalia plures habent, quemadmodum mares, fœminis, viri mulieribus, oues, ouibus: rari igitur dentes perinde ac pauciores obsunt vitæ longitudini. Vnde constat liquidò quòd si quispiam egregium nactus fuerit totius corporis temperamentum, hic plures dentes sit habiturus: quorum si fortè fortuna amisisset partem, breuioris multò vitæ futurum, quàm si omnes seruasset, neque id tantum, sed ærumnis plenam vitam traducturum, eo quidem magis, quo pluribus fuerit dentibus destitutus. Cuius rei causam hanc esse præcipuam nos ducimus. Quod nimirum qui plures habuerint dentes, neque ipsos longa intercapedine à se inuicem dissitos, egregius multò, oblatum alimentum atterere possint, ipsum verò egregiè attritum facilius multò concoquatur. Quare horum hominum ventriculus haudquaquam subinde cruditate tentatus, commodè confectum in ipso alimentum transmittet ad iecur: ex quo minimè vitiatus sanguis generabitur, sed modis omnibus absolutus, qui innatum corporis temperamentum incolume diutius possit conseruare. Quod*

re. Quod si alimentum non exactè attritum dentibus, in ventriculum descenderet, multis affectibus, nec iisdem leuibus obnoxium redderet hominem, veluti apoplexiæ, epilepsiæ, aut grauissimis obstructionibus, à quibus grauissimè corpus turbatum, non poterit sine maximo dispendio quod supererit vitæ traducere.

οἱ τραυλοὶ, ταχύγλωσσοι, μελαγχολικοὶ, κατακορέες, ἀσκαρδαμύκτα ὀξύθυμοι.

3. Balbi, celeri lingua præditi, melancholici, biliosiq; sunt, incontinenter aspicientes, iracundi.

Videtur pugnantia astruxisse, cùm dicat: balbi, celeris linguæ, neq; enim qui balbi sunt, celeris linguæ esse possunt, neque qui celeri sunt lingua balbutiunt. Iam verò illud adiicito, melancholici, biliosiq; sunt, qui enim fieri possit non video quempiam simul melancholicum ac biliosum dici posse. Quare maximo cum iudicio hæc esse legenda censemus, summa quadam adhibita diligentia, quo ipsa perfectè assequaris. Neque enim nos dum quæpiam acerbius in Hippocrate damnamus, aliud quidpiam volumus, quàm nostri ingenij hebetudinẽ promere, ac incusare tarditatem. Haud equidem ignari quod legisse, vidisse'ue omnia sit difficile, reminisci autem difficillimum. Diximus ergo multoties balbos nihil aliud quàm musculorum linguam mouẽtium summam quandam irrigationem maxima ex parte ostendere, id verò tantum abest vt ex se biliosum corporis totius, aut cordis solum temperamẽtum ostendat, vt Galenus ex eo humidam potius corporis temperaturam notauerit. Et quanquam id existimemus imprimis esse verissimum, tamen non possumus non aliquantulum admirari, aut verius hæsitare, cùm videamus, hoc in libro frequentissimè balbos iracundos iudicari, interim biliosos, rursus biliosos iracundosq; balbos etiam non secus dici. Iam verò accedit ad hæc ex plebe sumpta opinio, quæ balbos, aut alioqui eos, qui verbis minus valent, aut sermone, promptos ad iracundiam facit: neque sanè ab re. Quo minus enim quisque illatam iniuriam verbis potest repensare, eo magis excandescit, atq; in iracundiam concitatur. Pudore nanque suffuso, quod non possit parem pari referre iniuriam, intrinsecus ira animus ardet. Potuit itaque Hippocrates, aut alius quicunque huius libri fuerit autor, balbos hac ratione iracundos nominasse, quanquam non quod proni in iracundiam sint, iracundi nominantur, sed quòd subinde irascendi habeant occasionem. Cæterum cùm biliosos, aut iracundos balbos dicit, non hac ratione, sed longè meliori eos ita nuncupasse credendum est: quòd nimirum iracundia moti, non solum titubent, balbutiantque loquendo, sed multoties etiam vniuerso tremant corpore: ob vehementem spirituum ad externa corporis motionem, ob quam lin-

quæ musculi trepidare, locoque dimoueri coguntur. Huiusmodi autem homines maxima ex parte loquaces sunt, ac in differendo promptissimi: quæ omnia ex maxima, feruidaque caliditate procedunt. Si itaque balbos celeri lingua præditos, aut vt emendatius loquamur, celeri lingua præditos balbos dixerit, hac ratione, haudquaquam pugnantia statuisse credendum est. Quòd verò melancholicos, biliososque dixerit, si res diligentius examinetur, calumnia vacare oratio videbitur: neque enim voluit ipsos simul melancholicos esse ac biliosos, sed ita scripsit: μελαγχολικοὶ κατακορέες. *id est. melancholici ex feruido calore. Nos autem* κατακορέας *biliosos dicere voluimus, perinde atque interpretatur Galenus in libro antiquarum Hippocratis vocum. Plurima nanque ea dictio significare videtur, aut verius plurimis modis sumi ab interpretibus solet, quemadmodum Galenus in eo libro scribit.* κατακορέα, καλεῖ μὲν οὕτως καὶ τὰ ἄκρατα χολῆ διαχωρήματα, καὶ στήθεα κατακορέα τὰ τοῦ τοιούτου χυμοῦ γεννητικά, τινὲς μέντοι τὰ λάσια ἤκουσαν ἀλλὰ καὶ κατακορεῖς ἀνθρώπους, ὁμοίως ὀνομάζει. φάρμακον μέντοι κατακορὲς ἢ διὰ τὸν κενούμενον ὑπ᾽ αὐτοῦ χυμὸν, ἢ διὰ τὴν ἰδίαν χρόαν. ὀνομάζει δὲ καὶ δίψαν τοῦ κατακορῆ τὴν ἤτοι διὰ τὸν τοιοῦτον χυμὸν γεγονυῖαν σφοδρὰν, ἢ εἰς ἄκρον τεταμένην. *id est.* κατακορέα, *vocat quidem hoc nomine summè biliosa alui excrementa, & pectora* κατακορέα *ea nominat, quæ ad hunc humorem generandum sunt accommodata: quidam tamen hirsuta potius intelligunt: sed & homines* κατακορεῖς *simili nominat ratione. Cæterum medicamentum* κατακορὲς, *aut ob humorem quem euacuat, aut ob proprium ipsius colorem ita nominat. Vocat autem sitim* κατακορῆ, *aut eam, quæ ab humore nascitur bilioso, aut eam quæ ad summum vsque progressa est. Hæc sunt, quæ Galenus de huius vocis significatione adnotanda operæpretium esse duxit. Quare si lubeat, poteris etiam quod nos biliosum conuertimus, hirsutum etiam, aut capillatum transferre. Porrò autem* ἀσκαρδαμίκται, *quos nos inconniuenter aspicientes dicimus, aut oculis non nictantes, iracundi sunt, quemadmodum Adamantius Sophista scripsit.* ὀφθαλμοὶ ἀσκαρδάμυκτοι δριμὺ δεδορκότες κακόν τι ἐοίκασι μηχανᾶσθαι. πρᾶοι δὲ ἑστῶτες, ἢ καὶ νοτίδος γέμοντες, φροντισταί, φιλομαθεῖς, ἥμερα ἤθη κεκτημένους, ἐρωτικοὺς, δηλοῦσι. εἰ δὲ ἀσκαρδάμυκτοι ὄντες ὠχροὶ ἢ φοινικοὶ φαίνονται ἅμα ξηρότητι, ἄτην καὶ μνήμην σκαιῶν, καὶ μῆνιν, καὶ φθόνου προβολὴν, ἢ ἄλλην τινὰ δαιμονίαν κακότητα ἐμφαίνουσι. εἰ δὲ τοιοῦτοι ὄντες αὐτοὶ ἐν αὑτοῖς περιδινοῖντο, μανίᾳ κρατερᾷ συνέχονται. *id est. Non nictantes oculi, grauiter intuentes, mali quidpiam meditari videntur, mansueti autem stabiles, aut madore suffusi, cogitabundos, studiosos: blandos mores habentes, amatoriosque significant: si autem non nictantes oculi, pallidi, aut phœnicei fuerint, vnà cum siccitate, calamitatem, aut aduersarum rerũ memoriam, aut iracun*

aut iracundiam, aut inuidiæ ictum, aut aliam quampiam infelicem malitiam ostendunt. Quod si tales existentes, ipsi in semetipsis voluuntur, furore forti correpti sunt. Hactenus Adamantij verba recensuimus: si quis verò eorũ, quæ diximus intimam naturæ rationem expostulet, hanc poterit à nobis perfunctoriè traditam libenter audire. Anima cùm vno in negocio pertinacius perstat, haudquaquam solet varias externarum rerum formas facilè admittere. Quare externi sensus tunc maximè in ocio degunt: neque in varia obiecta hinc inde distrahuntur. Quo fit interdum vt altis detenti cogitationibus, delata coram oculis non videant, sed semper vnico tenore, perinde ac illi quos Græci κατα λήπτους *nominant, citra motionem palpebras habeant inconniuentes: huiusmodi sunt qui iram auidè admodum affectant, quos nos iracundos nuncupamus.*

Μεγάλη κεφαλή, ὀφθαλμοὶ μέλανες καὶ μεγάλοι, ῥῖνα παχεῖαν καὶ σιμὴν ἐσθλοί.

4. Magnũ caput, oculi nigri, magni, nares crassæ, ac resimæ, boni sunt hominis.

Similis est hæc oratio, illi quã sumus in quintæ huius libri sectionis initio interpretati. Quicunque rufi sunt, acutoque naso ac paruis oculis præditi, hi nequam sunt, qui verò rufi resimiq; sunt, ac magnis oculis præditi boni. Quare quod ad alia attinet haudquaquam repetemus, cùm ea facilè possint ex prædicto loco transferri, in quo ingenuè sententiam nostram protulimus, duntaxat de nigris oculis, quod doctis in hac re viris visum est, adijcientes: de ipsis igitur Aristoteles in physiognomonicis ita scripsit, ὅις δὲ ὀφθαλμοὶ ἄγαν μέλανες, δειλοί, ἡ γὰρ ἄγαν μελαίνη χρόα (ἐφάνη) δειλίαν σημαίνουσα, οἱ δὲ μὴ ἄγαν μέλανες, ἀλλὰ κλίνοντες πρὸς τὸ ξανθὸν χρῶμα εὔψυχοι. *id est. Quibus oculi impendio nigri, timidi sunt: nam color valdè niger (vt ostensum est) timiditatem significat: qui autẽ non sunt impendiò nigri, sed magis ad fuluum declinant, animosi sunt. Rectè quidem mea sententia egregius autor Aristoteles nigrũ colorem, vt qui ab adurente procedat calore, pusillanimitatem significare perpetuò dixit. Quod & Adamantius Sophista confirmauit, scribens:* οἱ μὲν μελανοὶ ὀφθαλμοί, ἄνανδρα ἤθη καὶ φιλοκερδῆ καὶ ἄπιστα δηλοῦσι. *id est. Nigricantes oculi effœminatos mores, sordidos atque perfidos pollicentur. Cùm hæc igitur ita habeant, non video per Iouem, quid poßit ad bonos animi mores oculorum atror efficere.*

Χαροποὶ μεγάλοι, κεφαλὴ σμικρή, αὐχὴν λεπτός, στῆθεα στενά, εὐάρμοστοι.

5. Cæsij oculi, magni, caput paruum, ceruix tenuis, pectora stricta, congruè aptati hominis sunt.

De cæsijs oculis, quos Hippocr. χαροπὰς *nuncupauit, satis multa in superiori sectione. Id tamen non est silentio tradendum, aut obliuioni, quòd par-*

uum caput semper sit à Galeno damnatū, angustum etiam pectus, quod maximè ex gracili ceruice procedit, cùm ad spinam tanquam ad carinam quandam costæ omnes sint aptatæ. Hinc est quòd si spina crassa sit, atq; robusta, pectus etiam amplum euadat: rursus si tenuis, aut gracilis fuerit angustetur statim. Non habeo igitur aliud de proposita sententia dicere, quàm longè aliā clasicis omnibus autoribus haberi cōgruam ipsius corporis cōpagem.

κεφαλὴ σμικρὴ, οὐδ' αὖ ἂν τραυλὸς, οὐδὲ φαλακρὸς, ἢν μὴ γλαυκὸς ἦν.

6. Qui capite est paruo, nō fuerit balbus, neq; etiam caluus, nisi sit glaucus.

Melius multò haberet oratio si pro glauco scriptum esset cæsium: nam cæsij oculi, vt iam à nobis abundè monstratum est, calidam ac siccam ostendunt temperaturam, quæ inter omnes maximè caluitio est opportuna. Quòd autem qui paruo sunt capite non balbutiant, inde sanè fieri credimus, quòd paruum caput nō multam posit humiditatum copiam aceruare, quæ sensim defluens linguæ musculos affluentius irriget. Magnum verò non tantum hoc, sed & in thoracis cauitatem ipsam deponens multorum autor esse potest malorum, quemadmodum frequenter vsu venire videmus, vt qui capite sunt iustò maiore anhelationibus frequenter atque ijsdem sæuis corripiantur.

Σπασμῶν φωνὴ ἐν γονίμῳ λύεται, ἀπήλλακται τοῦ μεγάλου νοσήματος.

7. In conuulsionibus, si vox infœcūdo die soluatur, à magno vindicat morbo.

Cùm dicat in conuulsionibus si vox soluatur, apertè innuit conuulsionē nominasse, vehementem quandam neruorū ob affusam humiditatem distensionem, quæ vocem etiam intercipiat, vocalibus instrumentis nimirum vitiatis. Talem planè affectum frequenter in temulentia cernimus, atq; item apoplexia, aut lethargo, vt de repentè quispiā tum motu, tum voce priuetur, qui ita affecti fuerint aliquando ipse ἀφώνους *nominat: quemadmodum in quinta huius libri sectione à nobis liquidò est ostensum. Atq; idcirco in aphorismis scripsit:* ἢν μεθύων ἐξαίφνης ἄφωνός τις γένηται, σπασθεὶς ἀποθνήσκει, ἢν μὴ πυρετὸς ἐπιλάβῃ, ἢ ἐς τὴν ὥρην καθ' ἣν αἱ κραιπάλαι λύονται φθέγξηται. *id est. Si temulentus quispiam de repentè mutus euadat, conuulsus moritur, nisi febre corripiatur, aut hora qua crapulæ solui solent loquatur. In hac enim sententia, & conuulsionem dixit affectum, per quem nerui affluentius irrigantur, & eum ipsum affectum vocis solutione interdum iri abolitum. Neq; enim solui posse vocem quis crediderit, priusquam noxiam materiam ab affecta sede depulsam, aliò transtulerit natura, quod si id fœcundo die, hoc est, iudicatorio contingat, fidendum sanè erit virtuti, quòd cōmodè suo functa fuerit officio, funditus omni morbifica materia eruta.*

Λεχοῖ δὲ πυρεταινούσῃ, καὶ ἀλγεούσῃ ὕδωρ καταχεῖν, καὶ πτισάνην παχέην διδόναι τρὶς τῆς ἡμέρης θερμήν.

8. Puerperæ febricitãti & dolenti, aquam affundito, & ptiſanam craſſam ter die calidam dato.

Siue curandi rationem, quæ puerperis adhiberi debet, febricitantibus docere inſtituerit, ſiue victum ipſarũ præſcripſerit tantum, haudquaquam centeſimam huius negotij partem abſoluiſſe videtur. Adde quòd neq; quorſum affundi iubeat ipſis aquam, aut in quam partem ipſe dixit, neq; nos intelligimus. Quare hæc quæ ſcripta ſunt in hoc loco, ſcire, aut neſcire pari arbitror, refert diſcrimine.

Παιδίον τρέφεται ἑβδόμῳ μηνὶ, ἢ ἐννάτῳ, ἢ δεκάτῳ, καὶ ἵσταται τῇ φωνῇ, καὶ ἰσχὺς ἕπεται, καὶ τῶν χειρῶν κρατέει. τῆς φωνῆς λυομένης πάντα λύεται, ἡ γὰρ λύσις τῇ φθέγξει ὁμοίη, λύεται δὲ ἐν γονίμῃ.

9. Puerulus nutritur ſeptimo menſe, aut nono, aut decimo, ac voce firmatur, & robur ſequitur, & manibus validus eſt, voce ſoluta omnia ſoluuntur: ſiquidem ſolutio voci eſt ſimilis, ſoluitur autem in menſe fœcundo.

Nutriri dixit Hippo. in hoc loco vti nutrimento ſolidiore: neq; enim omni tempore promiſcuè ſolidis nutrimentis puerorũ corpus aptum cenſendum eſt, ſed cùm primum corpus progreſſu temporis ſiccius aliquãtulum euaſit: quod ſanè ſeptimo, aut nono, aut decimo menſe contingit: optima nanq; naturæ lege factum eſt, vt quemadmodum intra vteri receptaculum fœtu detento, ſeptem menſibus præparatur ad exitum, atque id eſt minimum moræ ipſius interuallum, ita & poſtquam in lucem editus eſt ſeptem menſibus robur vniuerſo corpore conciliat: vt deinceps iam nutrimento vti citra noxam poſſit ſolido. Interim verò non intra ſeptem menſes eo fortitudinis perduci poteſt, ſed ad nonũ vſq; menſem id ſpacium protenditur, quemadmodum & ad decimũ nonnunquam. Cuius rei intimam rationẽ inire, vel prudentiſſimus etiam non aliam poſſit, quàm illa ſit, qua nos in tradendo partus tempore non adeò pridem ſumus vſi. Perinde enim eſt ſiue in vtero deliteſcat fœtus, ſiue paulò ante ſit in lucem productus, cum nimia vbique turgeſcens humiditate, tum lunæ ipſius, tum etiam ſolis ſentire maximas viciſſitudines debeat. Non decet autem impræſentiarũ nos eſſe longiores, ſat enim fuerit indicaſſe ſententiam noſtram, quam probatum iri arbitramur, ab his qui rem penitius cum aliqua animi attentione aduertere voluerint. At verò qui cupiat rem hanc accuratius pertractatam videre, is legat quæ nos de præſcripto partionis tempore, tertia huius libri ſectione ſcripſimus.

Ἢν αἱ φλέβες σφύζωσιν ἐν τῇσι χερσὶ, καὶ τὸ πρόσωπον ἐῤῥωμένον, καὶ ὑπο-

χόνδρια μὴ λαπαρὰ ᾖ, χρονίη νοῦσος γίνεται.

10 · Si venæ in manibus pulſent, & facies rectè valet, & præcordia non ſint mollia, diutinus morbus erit.

χεῖρες, id eſt, manus nomen, de totis brachijs ſæpenumero autores probati efferunt, eam quam nos manū vocamus, brachij partem, non ſimpliciter manum, ſed cum adiectione extremam manum, id eſt, ἀκρόχειρα nuncupantes. Si ergo venæ quæ per brachia decurrunt pulſationem edant, hoc eſt, non ſecundum naturam moueantur, ſed paulò concitatius, aut ſegnius, tumultuantem in corpore humorem ſignificabunt, cuius ſi facies nullum præ ſe ferat indicium, haudquaquam ſanè vim ipſius maximam credere debeas, ſed alijs ſignis animum ſedulò adhibendum eſt. Quod ſi igitur præcordia renitentia aliquantulum videris, aliquas in his partibus ſubeſſe obſtructiones cenſebis, quæ morbum ipſum diutius fouentes, nō ſinant citam fieri ipſius ſolutionem. In libro de iudicationibus, ad calcem huius ſentētiæ, additur initium ſequentis. id eſt. οὐδ᾽ σπασμοῦ, nobis autem non arridet.

Ἄνευ σπασμοῦ οὐ λύεται, ἢ αἵματος πολλοῦ ἐκ ῥινῶν, ἢ ὀδύνη ἐν τῇ ἰσχίᾳ.

11. Sine conuulſione, aut ſanguine plurimo de naribus fluente nō ſoluitur dolor coxendicis.

Quàm rectè Cornarius hanc ſententiam cū præcedente connectat in hunc modum, Si venæ in manibus pulſent, & facies rectè valet, & præcordia non ſint mollia diutinus morbus erit, qui ſine conuulſione non ſoluitur, aut ſanguinis multi ex naribus eruptione, aut dolore ad coxas: aliorum eſto iudicium. Nobis autem inſulſam admodum viſus eſt, nè dicam abſurdam conflaſſe ſententiam: quæ non ſolum nihil doceat egregium, aut dignum Hippocrate, ſed apertè ipſum maxima cum ignominia prodat. Falſus tamen eſſe videtur, codicis aperto mendacio, quòd ſcriptum nimirum eſſet ἢ ὀδύνης ἐς τὰ ἰσχία. in obliquo caſu: cùm tamen in emaculatis codicibus (ſi qui tamen ſunt, adeò vbiq; deprauati occurrunt) in recto caſu legatur, ἡ ὀδύνη ἐς τὰ ἰσχία. Adde quod illud ἡ non eſt nota diſtinctionis, ſed potius fœminini ſexus articulus, quæ lectio, ne quid penitus ſordidum Hippocrati aſcriberetur, nobis viſa eſt imprimis eſſe laudanda. Quanquam ſi vt ſcripta eſt, nudè intelligatur crimine vacare haudquaquam videbitur: neque enim illud verum eſt, non ſolui coxendicis dolorem citra conuulſionem, aut ſanguinis è naribus eruptionem. Verùm enimuerò quandoquidem ita euanuiſſe dolorem aliquando vidiſſet, idcirco voluit idipſum vtcunque memoriæ mandare, accuratius rem ipſam interpretaturus, ſi in publicum prodituram aliquando commentationem ſperaſſet. Cæterum quòd tranſlata ex coxendice materia, facilè oppetat neruorum craſſas propagines, quæ ex ſacro oſſe origines trahunt veriſimile admodum

modum est, quemadmodum quòd interdum ad supernas corporis partes humor in vasa transumptus conuertatur.

Τοῦ λαιμοῦ, ὕδωρ θερμὸν κατὰ τῆς κεφαλῆς καταχεῖν, ἢν μὴ ψῦχος ᾖ, ἢν δὲ μὴ, ἄλευρον ὡς θερμότατον διδόναι, καὶ οἶνον ἄκρητον.

12. Ad guttur, aquam calidam capiti affundito, nisi frigus affuerit, si autem non, farinam coctam quàm calidissimam dato, & vinum meracum.

Citra controuersiam est hæc sententia inepta, à nugatore quopiam præsenti loco apposita, quo posset vtcunque fœlicia etiamnum ingenia absurda oratione remorari. Nam quæso quid illud est, ad guttur, aquam calidam capiti affundito, nisi frigus adfuerit? Per Iouem sunt nugæ maximæ. Iam verò magis est admirandum quod scripsit: si autem non, farinam coctam quàm calidissimam dato, & vinum meracum. Consultius namque fecisse fuisset visus, si eo vti iussisset remedio, dum frigus vrget. Præterea illud subdolæ eius, qui hanc sententiam condidit mentis est indicium, quòd non adeò frequẽtibus, aut consuetis vocabulis sit vsus, sed potius suffosis, ac iam rubiginosis, Guttur enim quam λάρυγγα *Græci dicunt,* λαιμὸν *nominauit: à verbo* λαιμάζω *aut* λαιμάω, *quod intemperanter, & immodicè comedere significat. Quin &* ἀλήτων *etiam* ἀντὶ τοῦ ἀλήματος *posuit, quæ dictio* ἄλευρον ἑφθὸν*. i. farinã coctam significat.*

Ταραχῆς γαστρὸς, κυάμους ἑφθοὺς διδόναι, ἢν μὴ τὰ ἄνω κατακορέα ᾖ, ἢ κύμινον διδόναι τρώγειν μετὰ τῶν κυάμων.

13. Ad ventris turbationẽ, fabam decoctam dare, nisi superiora biliosa sint, aut cyminum manducare oportet cum fabis.

Turbationem ventris cõmune quoddam nomen esse ad omnem alui fluorem, apertum maximè est, tum diarrhœam, tum dysenteriam, lienteriamque ac cœliacam affectionem. Quòd autẽ faba in refrigerando, exsiccando proximè medium temperamentum sit sita, docuit Galenus: cortex verò eius quiddam habet adstringentis facultatis. Quare si in alui profluuijs (vt iubet Hippo.) adhibenda sit, absque putamine haudquaquam adhibebitur: cùm tantũ abest, vt compescat fluorem, vt quiddam habeat abstergentis facultatis. Igitur cum putamine in posca decoquenda est, vt alui fluoribus opem ferre possit. Quin & contra vomitiones cum cortice manditur. Porrò quod dixit, nisi superiora biliosa sint, Græcè habet ἢν μὴ τὰ ἄνω κατακορέα ᾖ. *At verò* κατακορὲς *biliosum Hippocrati significare iam diximus. Voluit igitur non esse ingerendas fabas supernis corporis partibus æstuantibus, ne vi caloris flatuosa ipsarum substantia sursum raperetur: est enim quod ex fabis fit alimentum summè flatuosum. Vt igitur huic noxæ, aut discrimini obuiemus, cyminum manducare iubet cum fabis.*

Ἀπόληψις δὲ τοῦ νοσήματος οὐκ ἂν γένοιτο, εἰ μὴ ἐν γονίμῃ ἡμέρῃ, οὐδ᾽ ἂν ἡ ἀρχὴ γένοιτο ἢν μὴ ἀγόνῳ ἡμέρῃ, καὶ μηνὶ, καὶ ἔτει γονίμῳ.

14. Interceptio morbi non contingit nisi in die fœcundo, principium verò non nisi in infœcundo, aut die, aut mense, aut anno.

Quòd morbus ac natura mutuò certent, quodq; morbus quandoq; vincat, quandoq; verò natura, id ex mutua amborũ cõtrarietate, dispariliq; natura proficiscitur. Si igitur morbus hominem inuadat, necessum est, vt quæ morbo patrocinantur valida eo tẽpore sint, ac ea quæ partes naturæ agũt, imbecilliora ita sint, vt vinci possint. Ea itaque dies perfida infœcundaq; est, quoniam morbo magis fauet q̃ naturæ. Atq; idcirco etiã qui moriuntur in perfido infœcundoq; die abeant oportet: siquidẽ tunc ea quæ ægroto contraria sunt, maximè pollent: quæ verò in naturæ patrociniũ conspirãt, imbecilliora multò sunt: alioqui enim mors nõ sequeretur. Quomodo ergo Hippo. in proposita oratione dixit, Interceptio morbi nõ contingit nisi in die fœcundo? nanq; hoc modo eadem dies & fidelis & perfida, & fœcunda pariterq; infœcunda diceretur. Atqui nos perfidam interitus diem, si ad ægrotantem ipsum spectes diximus, Quæ enim quæso dies laboranti perfida magis fuerit, quàm ea quæ fatum infert, ac ipsum ægrotũ aufert? Quæ magis infausta, ac infœlix fatali ipsa fuerit? Cæterũ si absoluto sermone de interitus die loquaris, ea dubio procul fidelis dicetur, ac fœcunda, quando si in aliqua die fidele apparcat iudiciũ in ea potissimũ fiat, ea nanq; sanitatis inducendæ valet vbertate. Nam in decretorio die tum salus, tum interitus expectandus est, quemadmodũ Hipp. scripsit οἱ δὲ πυρετοὶ κρίνονται ἐν τῇσιν αὐτέῃσιν ἡμέρῃσιν τὸν ἀριθμὸν, ἐξ ὧν τε περιγίνονται, οἱ ἄνθρωποι καὶ ἐξ ὧν ἀπόλλυνται. *i. Iudicationes in febribus contingunt ijsdem numero diebus, & ex quibus homines supersunt, & ex quibus intereũt. Decretorij igitur dies inter quos septimani ad iudicandũ sunt valẽtiores; deinde quaternarij, deinde hi qui intercidentes nominantur, quoniã hi, si qui alij fideliter indicant, ac legitimè, vberrimeq; fundunt sanitatẽ* γόνιμοι. *i. fœcundi, aut legitimi nominantur. Proponamus igitur vt quispiam febre corripiatur, sed ea mitissima, ac signis firmata securissimis, hæc dubio procul quarto die, aut citius soluetur, quandoquidẽ natura morbo multò est validior, quare vt ipsum citissimè discutiat necessum est. Quod si è contrario maleficentissima ea sit, signaq; habeat deterrima, vel quarto die, vel ante quartũ hominẽ de medio tollet. Vides igitur eodem die tum ad salutem, tum ad mortẽ indicia fieri. Quod si aliquando octauo, aut decimo, aut duodecimo mors hominem corripiat, licet dies hi perfidi sint, mortẽ perfido die contigisse dicendum haudquaquam est. Quoniam vt Hippo. sequẽti dicet oratione. Quicunq; obeunt necessum est vt fideli die, & mense, & anno intereãt. Nam iudiciũ de foro translatitia*

latitia appellatione dictū est, significans præcipitem in morbo mutationem quæ quadrifariam (vt ipse primo morborū vulgariū habet, & Galenus vbiq; inculcat) contingit. Aut enim statim morbo liberantur ægrotantes, aut magnam habent in melius mutationē, aut statim intereunt, aut multò deteriores euadūt. Propterea mirandum nō est si hi qui septimo die malam sunt perpessi iudicationē, non statim mortē oppetierint, sed deteriores euaserint, ac octauo die extinguantur. Eodem arbitror modo, & eis, quos vndecima dies affecisset, duodecimam obitum inferre posse. Atqui, vt Galenus pulchrè dixit, dum historiam Philisci. 1. morb. vulgariū libro interpretaretur, vbi iudiciū, ibi & mors, in morbis exitialibus. Morbi igitur interceptio, aut cessatio siue ad salutem, siue ad interitum fuerit, fideli die cōtingat oportet atq; fœcundo, nimirū decretorio. Principiū verò non nisi in infœcūdo, aut die, aut mense, aut anno. Quoniam in his morbi non iudicentur, quod si iudicantur, legitimè tamen non possunt: nam decretoria signa per initia apparentia nequam malignaq; sunt: Meritò igitur initij dies infœcunda, illegitimaque dicetur.

Λίτρου αἰγύπτιον, καὶ κορίανον καὶ κύμινον τρίβοντα σὺν ἀλείφατι συναλείφειν.

15. Nitrum AEgyptium, & coriandrum, & cyminum, contrita cum vnguine inungito.

Mutilata est hæc sentētia, neq; enim adiectum est, quo in morbo eo vti iubeat vnguine, neq; quæ pars sit illinenda apposuit, quanquam Cornarius ventrem addiderit, fortaßis quòd ita habuerit in suo codice: nos autem in re ambigua, in qua nullum coniectura locum habet, sed tantum diuinatio, nihil nostro iudicio esse opus arbitramur.

Ὅσοι θνήσκει, ἀνάγκη γονίμῳ ἡμέρῃ, καὶ γονίμῳ μηνί, καὶ γονίμῳ ἔτει, προλεγόμενοι δὲ ὀρθῶς ἂν ἔχοι θάνατον ἢ ὀδύνας ἰσχυράς.

16. Quicunq; obeunt, necessum est vt infœcundo die, & mense, & anno intereant. Cæterum rectè res habebit, si vel mortem, vel vehementes dolores prædixeris.

Insontem medicū tuetur hæc sentētia si quidpiam nō ita ex votis successerit in curādis morbis. Nam si præuidēs futurū morbi successum, apertè quod sentit pronuntiauerit, crimine omnino vacare videbitur. Medicum enim vti prouidentia, vt ipse præsagio scripsit, optimū est, non solum quo ipse criminis suspicionē penitus exuat, sed etiā quo ægroti obsequētiores facti, iussa medicorum exequētes, citius in sanitatē reducantur. Geminusq; ita erit prædictionis vsus, tum ad bonam de medico opinionem concipiendam, tum ad ægroto citiorem inferendam sanitatem.

Ὧν τὰ ὄμματα μὴ ἔῤῥωται, ὁ θάνατος γὰρ τάχει, ἢν δὲ γὰρ γονίμῳ ἔτει γίνηται, ἀπ' ἀμφοτέρων

φοτέρων γονίμους ἀνάγκη γενέσθαι, ἣν δὲ ἀγόνῳ ἔτει καὶ ἀγόνῳ ἡμέρῃ, θνήσκειν ἀνάγκη γονίμῳ ἡμέρῃ.

17. Quibus lumina valida non sunt, his mors est proxima, Quod si in fœcundo anno contingat, vtrique fœcundi extiterint, Quod si in anno infœcundo, aut die, necessum est vt mortem oppetat, in die fœcundo.

Multoties dubitaui nunquid, quod scribitur ἢν δὲ ἐν γονίμῳ ἔτει γένηται. id est. Si in anno fœcundo cõtingat, scribendum esset ἢν δὲ ἐν γονίμῳ ἔτι γένηται. i. Quod si in fœcundo etiã contingat, vt illud ἔτει non sit nomen, sed aduerbium potius ἔτι. Nihil tamẽ temerè voluimus immutare, cùm vtrouis legeris modo abstrusa sit, huius orationis sententia. Quod autẽ nos ex sermonis serie difficillima collegimus, iam explicabimus. Si lumina nõ valẽt, aut infirma sint, quod tum ex aspectu, tum ex eorum munere deprehendere possumus, mors his propinqua est. Ex aspectu quidem, vt si videas ea peruersa, aut alterum altero maius, aut pituita appareat circa obtutũ, quæ omnia exitialia sunt. Ex eorũ verò munere, vt si munus suum obire nõ valent, sicuti cùm lucẽ effugiunt, quod propter imbecillitatem visoriæ facultatis accidit, quæ nonnunquã laborat affectione instrumentorum, veluti per lippitudines, interdum ipsa ex se afficitur, tumque exitiale indiciũ est. Si igitur id fideli die, aut anno cõtigerit, nimirũ per indicia ipsa, vtrique fideles ac fœcundi fuerint: nempe tum initij huius symptomatis, tum obitus dies. Quod si alio quopiam die infœcundo id appareat, necessum est vt mortem oppetat, in die fœcundo, siquidem interitus diem semper decretoriam esse diximus, nisi casu quopiam anteuertatur.

Τῶν ἀριθμῶν τρίτη ἰσχυροτάτη.

18. Ex numeris tertius validissimus est.

Non dixit ternarium numerum esse validissimũ ex sua natura: sed quòd validissima iudicia in morbis eo die contingant, nam ad decimum quartum vsque diem maximo cum naturæ impulsu morborum fit iudicatio, ac quo celerior fuerit, eo etiam vehementior, quod per morbos omnes vehementer acutos fieri frequenter videmus. Huiusmodi verò maxima ex parte sunt biliosi, qui tertio quoque die excandescunt. At quod in grauiore morbi parte iudicatio contingat, nimirũ per ipsas accessiones manifestum est. Cùm igitur hæ alternatis fiant diebus, tertius semper dies sæuior erit in morbis acutis, atque in ipso futura iudicatio validissima.

Κυνάγχην, καὶ ὀφθαλμίην, φλεβοτομίη.

19. Cynanchen, lippitudinemque venæ sectio soluit.

Influentis in sedem aliquam humoris impetus, protinus ab initio coërcendus est: quod maximè præstatur sanguinis missione, potissimũ si vires ægrotantis

tantis fuerint validæ: ſin autem ſecus, vel frictionibus, vel ligaturis, vel acribus clyſteribus idipſum exequi tentandum eſt. Nunc verò commendauit imprimis ſanguinis miſſionem: quoniam non ſine vitæ diſcrimine, in grauiſſimis morbis, cùm ſanguinis miſſionis datur locus, ad alia confugimus medicamenta. Nam ab ipſa ſemper inchoandum eſt, vt docuit Galenus, ſi morbi vehementia corporis ruinam minetur.

Τρωθέντος ἐντέρου, ἡ ἀναπνοὴ ἔρχεται κάτω ἀφανὴς κατὰ τὸ τρῶμα, καὶ κενοῦνται τὰ στήθεα· διδόναι οὖν γάλα καὶ οἶνον ἴσον ἴσῳ.

20. Vulnerato inteſtino, reſpiratio deſcendit obſcura per vulnus, vacuanturq́ pectora, igitur lac, vinumq́ æquale æquali bibendum dato.

Summa eſt impudentia non vereri in aperto deprehendi mendacio. Nam cùm quis verba ita artificiosè componit, fucoq; exornat, vt quanquam mendacio non careant, tamen veri ſimilitudine deludere poſſint lectorem, excuſari haud dubiè aliqua ex parte poteſt. Quà enim veritatis frontem in oratione, qui æquo eſt animo, introſpexerit, ſtatim viam ſedulò illac parat, quo ſe excuſatio facilè ingerat. At verò ſi viderit apertum mendacium, potiſſimum in libro magni alicuius nominis viri, quod facilè in multorum detrimentum conuerti poteſt, cùm animum ſemper habeat bene merendi de poſteritate, non poteſt non ſeuerè ipſum explodere. Quod nobis faciendum in hac parte ſumma cum diligentia eſt. Quis enim quæſo non videat mentitū apertè fuiſſe autorem, quem tamen Hippocratem haudquaquam fuiſſe conſtanter aſſerimus, cùm dixerit: Vulnerato inteſtino reſpirationem obſcurè per vulnus deſcendere? Quis enim neſciat præcipua reſpirationis inſtrumenta eſſe ſeptum tranſuerſum, intercoſtaleſq; muſculos? Et quanquam ad violentam actionem, qualem reddere ſolent, qui currendo fatigantur, nonnihil conferre auxilij videantur abdominis muſculi. Quis vnquam dixit vulneratis abdominis muſculis, per affectam partem reddi ſpiritum? Quod ſi diſſectis his muſculis nō fertur deorſum reſpiratio, nec vulneratis inteſtinis id accidet. Mendacium igitur maximum eſt, per huiuſcemodi affectus vacuari pectora. Sed iam egregium ſanè remedium adiecit, ad prauam illam affectionem, lac vinumque, æquale æquali propinandum cenſens. Quare obliterādam eſſe hanc ſententiam planè impudentiſſimum cenſeo.

Οἷσιν κατάχολα τὰ στήθεα, ψελλοὶ μανιώδεες, καὶ φαλακροί, τουτέων ὅσοι ἐκ γενεῆς καὶ στρεβλοί, ἀσώδεες, ἠλιθιῶντες, ἢ μαινόμενοι, οἷσι δὲ μή, ἑτέρου κακοῦ λύσις.

21. Quibus pectora biliosa ſunt, hi balbi furibūdiq́, ac calui ſunt, horum quicunq́ ex generatione ſtrabones fuerint, amentes ſunt, aut fatui, aut inſaniētes, Quibus autē nō alterius mali ſolutio fit.

Multò

Multò commodius impræsentiarum concinnauit sermonem, dum eos quorum pectora feruido quodam calore flagrant, balbos, furibundos, ac caluos dixit, quàm antea cùm scriberet, balbos esse biliosos, ac iracundos. Frequenter enim vsu euenire videmus, vt qui bile vehementer agitata, in iracundiam concitantur, non possint citra titubationem verba proferre, impetuosè nimirum motis per vniuersum corpus spiritibus, atque impensè tumultuantibus, à quorum impetu linguæ musculi impulsi, non possint in sua consistere sede, sed potius vacillent, ac dimoueantur loco. Hæc igitur nobis in prima huius orationis parte Hippocrates significasse visus est. Quid autem deinde sibi voluerit, cùm dicat, horum quicunq; ex generatione strabones fuerint, amentes sunt, aut fatui, aut insanientes, non admodum nobis constat: neque enim quamobrem insania ex oculorũ distortione significetur facilè nos dicere possumus. Cùm non aliam ob causam strabones, aut pætuli homines fiant, quàm ob musculorum oculos mouentium innatum vitium, simile planè conuulsioni. Quare si hac ratione amentes esse ipsos dicat, quòd nimirum cerebri facultas per huiuscemodi affectum infirma censeatur, quæ non satis robustos neruos musculis oculorum transmiserit; atque ita confluentis sanguinis biliosi copia ob imbecillitatem frequenter afficiatur, potissimum quando pectora huiusce humoris seminarium continent, haudquaquam sanè leue quidpiam docuisse censendus sit. At verò cùm ex primo ortu, primáque origine hanc noxam nequaquam contraxerint, credendum planè est, aliunde transmutato affectu, in hanc venisse oculorum musculos dispositionem: quod accidere solet per morborum abscessus. Quare minimè cerebri facultatẽ imbecillam esse putandum est: sed alterius potius morbi factam solutionem. Cornarius quos nos fatuos transtulimus, calculosos vertit: falsus nominis vicinitate, cùm scriptum sit: ἢ λιθιῶντες, in qua dictione si illud ἢ sit disiunctiua particula rectè vertisse censendus est, sed series orationis magis constabit, si dicamus vnam esse dictionem à verbo ἠλιθιάω, seu ἠλιθιάζω, quod fatuum esse significat.

Περὶ φύσιν δύναμιν πλείστην ἔχει τιτθὸς, ὀφθαλμὸς δεξιὸς, τά τε τῶν κάτω, καὶ ὅτι ἐμπέφυκε τοῖσι δεξιοῖσι τὰ ἄρσενα.

22. Circa naturam plurimam vim habet mamma dextra, & oculus dexter, & quæcunq; in dextra parte subtersunt. Nam & mares dextris partibus inhærent.

Cùm iecur sanguificationis officina, ac naturalis facultatis vberrimus fons in dextra corporis parte sedem obtineat, nõ cessat iugiter de dextris corporis partibus bene mereri, quo fit vt affatim, vberrimeq; ipsis affuso sanguine saturentur, atq; vegetiores robustioresq; inde euadant. Valentiori facultate tum ad attrahendũ, tum expellendum, tum retinendum, tum concoquendum

quendum insignitæ. Huius autem rei argumentum ex experientia facile desumi potest, cuius neque abiectissimi ex plebe videntur esse ignari. Quis enim nesciat, aut si nesciat, non facilè possit videre, dextram manuum semper esse sinistra maiorem? Digitos etiam crassiores? Nam calcearij sutores aliud sanè exemplar, aut ξυλοπόδιον, crassiusque quodammodo, ad dextrum pedem quàm ad sinistrum sibi seruant. Quoniam cognouerunt experimento paulò maiore calceo pedem dextrum esse induendum. Sed iam hæc partium ad inuicem differentia, discrimenque, quid aliud quæso quàm robur insignius naturalis facultatis commonstrat? Proindeque dextras corporis partes inuadentes affectus, maxima ex parte sunt formidabiliores, quòd causæ efficientis multò significent sæuiorem incursum, nisi quatenus alia ex parte contrahant sæuitatem. Ita sanè comitialis affectus periculosior est, minusq; curationem admittere solet, cùm dextras corporis apprehendant partes, vt aut in dextris cerebri meatibus noxa resideat, aut aliunde ex dextris partibus huc accersatur. Rectè igitur admodum ac prudentissimè dixit Hippo. circa naturam plurimam vim habere mammā dextram, ac oculum dextrū, quod fortasse accuratius Græco idiomate significantiusq; scriptū est, περὶ φύσιος. id est. de natura plurimam vim habet mamma dextra, & oculus dexter, & quæcunque in dextra parte subtersunt: tanquam in hunc modum esset scriptum, naturalis facultatis plurimum contraxerunt, dextræ omnes corporis partes, vt mamma & oculus, & quæcunque etiam infernè habentur, vt ren atque testis, & aliæ perinde. Nam mares (inquit) dextris corporis partibus adhærent, non quidem quòd causam roboris hanc esse velit, sed potius argumētum insigne: nam cùm mares valentiores perpetuò sint, operæpretium equidem est vt in robustioribus corporis partibus generentur.

Dextras corporis partes inuadentes affectus sæuiores.

γυναιξὶν ἐπιμηνίω ὥστε ἴσχειν, σικύην μεγίστην πρὸς τὸν τιτθὸν προσβάλλειν.

23. Mulieri menstrua vt cohibeas cucurbitula maxima secundum mammam affigenda est.

Scripta est hæc sententia quinta aphorismorum sectione eisdem ferè verbis. Est autem reuulsorium auxilium ad partem maximè familiarem, cum qua vterus mirum in modum consentit, quemadmodum ex anatomicis administrationibus cuiuis potest esse notissimum.

Τρίμηνον παιδίον πάντα δῆλοι, καὶ γάλα τότε ἔχει, ἢν πολλὸν ῥέῃ γάλα ἀνάγκη ἀσθενέειν τὸ ἐν γαστρὶ, ἢν στερεώτεροι ἔωσιν οἱ τιτθοὶ, ὑγιηρότερον τὸ ἔμβρυον.

24. Trimestris puerulus omnia perspicua habet, tuncq́ lac adest. quod si multum fluat, necessum est vt fœtus langueat: si mammæ robustæ sint valentior fœtus est.

Marem fœtum triginta dierum spacio partium absolutionem, aut certè discrimina

discriminationem nasci, fœminam antè quadragesimo secundo die, aut circiter hos terminos, Hippocrates in libro de pueri natura autor est. Quare cùm id etiam communi omnium epilogismo sit confirmatum, huicque rei experientia subscribat, liquidò constabit trimestrem fœtum iam omnes corporis partes modis propemodum omnibus absolutas præ se ferre. Quo tempore lac mammis primum adesse videmus, non liquidum quidem, sed crassiusculum, quod veteres olim colostram appellabant. Dum igitur fœtus in vtero delitescit, cùm maximè nutriatur affuso ad vuluæ vasa sanguine, plurimum lactis eo tempore generari non est æquum. Quod si generetur, fœtus propemodum nutrimenti defectu interiturus est. At verò si non generetur solùm vbertim, sed copiosè etiam fluat, necessum est vt fœtus pereat, aut saltem grauiter afficiatur.

φλὲψ ἐχὶ παχὴ ἐν ἑκατέρῳ τιτθῷ, τοῦτα μέγιστον ἔχει μόριον συνέσιος.

25. Vena in vtraque mamma habetur crassa, hæc maximam prouidentiæ partem obtinent.

Cùm fœtus in vtero venis ad chorion tunicam venientibus mirabilique quodam plexu inuolutis nutriatur, quæ communia habent ora cum his, quæ ad internam vteri partem pertingunt: ac deinde mammis capescere nutrimentum, cùm in lucem iam editus esse debeat, oportuit suuè communia ea esse vasa, aut maximo necessitudinis nexu colligari, quæ tum ad vterum sanguinem transferunt, tum inde ad mammas sursum vt lac generari possit reuocant. Mensibus enim ac lacti communis materia sanguis statuitur. Mirari ergo subit egregium summique artificij naturæ opus, quæ modum quàm oportunum fœtui nutriendo excogitauerit, molita vtrinque ad singulas mammas crassam, insignemque venam, quæ vteri vasis maximo necessitudinis nexu copulatur.

Στραγγουρίην λύει φλεβοτομίη.

26. Vrinæ stillicidium soluit venæ sectio.

Vnum ex adiectitijs aphorismis hunc esse opinatus est Galenus: nam & sexta aphorismorum sectione idem ipse scriptus habetur, adiectum tamen ad calcem est, secare autem interiores. Cæterum vrinæ stillicidium, cùm guttatim nimirum mingitur vrina, vt ipse animaduertit, multas ob causas contingere potest. Nam ipsum aut vrinæ acritudo parit, aut potētiæ retentricis imbecillitas, quæ maximè ob intēperaturam accidit frigidum. Contingit autem interdum ob vesicæ inflammationem, quanquā hæc ipsa potius vrinæ difficultatem committat. Si igitur ex hac proueniat causa, maximè oportunū erit auxiliū venæ sectio, tum quòd influentem reuocet humorem, tum quòd habitum totius corporis refrigeret: sin secus maximè aduersabitur affectui.

Ἣν τὰ

ἢν τὰ ἄνω χωρία σπαργᾷ, τὰ περὶ τὴν κεφαλὴν, ἑλκέων κάθαρσις, ἔμετος ὕδρωψ.

27. Siquidem supernæ corporis partes turgeant, circa caput, vlcerum purgatio, vomitus, hydrops.

Apertè est hæc sententia deprauata, ex qua nihil certi elici potest, videto ne fortè id sibi voluerit Hippocrates. Siquidem supernæ corporis partes circa caput vlceribus turgeant, purgatio, vomitusq́; maximè conducunt: qua autem ratione Hydropa adiecerit haud ita in promptu habeo dicere, quinimò neque quid hoc nomen Hippocrati significet est in aperto: nam Dioscorides secundo de morbis popularibus libro, vt Galenus est autor, ὀξύποτον *legit, atq;* τὸν ὑδροποσίαν *significare contendit: fortasse autem in præsentiarum* ὑδροποτικὸν. *id est. abstemium significare voluit.*

Ἀπὸ γαστρὸς ταραχῆς, ἢ ἀπὸ βηχὸς καρκίνου γινομένου, τὸ στόμα πικραίνεται, διδόναι δὲ πίνειν ἐλατήριον δὶς ἢ τρὶς, ἢν μὴ ψελλὸς ἦ, ἐπιδεῖν δεῖ χαλκοῦ ἄνθος καύσας, ἕως ἂν πυρρὸν ἦ, καὶ σπογγίῳ ἢν μὴ ψελλὸς ἦ.

28. Ex ventris turbatione, aut ex tussi, si cancer suboriatur, os amarescit, præbendum itaq; elaterium est bis, aut ter, nisi balbus fuerit: alligare autem oportet æris florem vt comburatur, donec rufescat, cum spongia nisi balbus fuerit.

Quid sibi velit hæc oratio ingenuè fateor me ignorare, id vnum scio, nunquam Hippocratem tam absurdè fuisse locutum. Quid enim illud est, si cancer ex ventris turbatione, aut ex tussi suboriatur? Ex ventris quidem turbatione quomodo cancer possit suboriri apertum est per dysentericas appellatas affectiones. Ex tussi autem non vsque adeò apertum. At verò si suboriatur quid tum postea. Præbendum, inquit, est elaterium bis, aut ter, nisi balbus fuerit: balbis autem cauit fortasse ab huiusce medicamenti atrocis immanitate, quoniam huius generis homines à diarrijs sponte capiuntur admodum longis. Eadem etiam prorsus ratione deustum æris florem noluit balbis adhiberi, ne acrimonia medicamenti liberè alioqui fluentem ad intestina humorem, facilius raperet ad sese. vide Hipp. 2° de mulier. vbi tradit sig. cancri futuri.

Ἀλύκης, φρίκης, χάσμης, οἶνος ἴσος ἴσῳ, ἢ γάλα.

29. Pandiculationem, horrorem, oscitationem, vinum æquale æquali immixtum, soluit aut lac.

In aphorismis non habetur ad prioris orationis calcem, aut lac, sed ita ad verbum oratio est scripta. ἀλύκη, χάσμη, φρίκη, οἶνος ἴσος ἴσῳ πινόμενος λύει τὴν νοῦσον. *id est. Pandiculatio, oscitatio, horror, vinum æquale æquali mixtum soluit ægritudinem. At quoniam horum affectuum causæ discussione maximè egent, cùm pandiculatio, aut, si mauis, anxietudo ex praua aliqua hu-*

moris

moris qualitate oriatur, quæ ventriculum malè habens non finit ægrotum quietum persistere, oscitatio verò ob flatuosam substantiam musculorum cauitates imbuentem nascatur, horror verò ex prauis accidat humoribus, qui impetu quodam per cutem deferātur. His igitur affectibus commodè vinum aqua temperatum adhibebitur: lac verò non item: quare aut adiectitia ea pars est aliunde huc aduocata, aut oratio hæc apertam mendam præ se feret.

ἀπὸς περὶ ὠδύνην σικύην προσβάλλειν:

30. Ad cutis dolorem cucurbitulam affigere oportet.

Topica hæc medicamenta non prius adhibenda esse, quàm corpori vniuerso fuerit consultum, Galenus sæpissimè inculcauit. Quare nō temerè quæ scripta inueniuntur experimento sunt comprobanda.

ὅτε ἂν τῶν ἄνω πονέῃ, ὀδύνη ἐν τὰ ἰσχία, ἢ ἐν τὰ γόνατα, καὶ ἆσθμα λύει πάντα τουτέων γινόμενον.

31. Cùm quid superiorum dolitauerit, dolor in coxendicem & genua decumbit, quæ omnia spiritus angustia superueniens soluit.

Non est hoc perpetuum, vt ex superioribus partibus in genua decumbat, morbus, quemadmodum neque quod spiritus angustia ad morbum soluendum superueniat, sed ex his est quæ possunt aliquando contingere. Quid autem de huiuscemodi abscessibus sit statuendum dictum à nobis fusissimè est, tum in prima, tum etiam in tertia huius libri sectione. Sed video sanè ad calcem libri de iudicationibus dignam quandam Hippocrate sententiam haberi, quæ in hoc libro in has duas degenerauerit non admodum insignes: propositam, inquam, ac præcedentem: scribitur autem ipsa in hunc modum, κεφαλὴν περιωδυνέοντι ὅτε ἂν τῶν ἄνω χωρίων πονήσῃ, σικύην πρόσβαλλε, λύει ὀδύνη ἐν ἰσχία, καὶ γόνατα, καὶ ἆσθμα, ὅ, τι ἂν τουτέων γένηται. *id est. Caput circumcirca dolenti quicunque ex supernis locis doluerit, cucurbitulam affigito, soluit autem & dolor in coxendicem, & genua, & spirandi difficultas quodcunq; horum superuenerit. Apertum autem esse si quis Græca inuicem contulerit non alud quidpiam esse has duas propositas sentētias quàm huius quam integram proposuimus mutilationes.*

εἰλεῷ ἐπιγινομένῳ, ψυχρὸν οἶνον πολλὸν ἄκρητον κατ' ὀλίγον διδόναι, ἐς' ἂν ὕπνος, ἢ σκελέων ὀδύνη γένηται, λύει δὲ πυρετὸς καὶ δυσεντερίη αὐτὴν ὀδύνης.

32. Si voluulus accedat, vinum frigidum dato bibendum, multum, meracum, sensim, quousq; somnus, aut crurum dolor corripiat hominem: soluit autem & febris, & dysenteria.

Corruptos esse maximè hos morborum vulgarium libros inter omnes Hippocratis commentationes, inde apertè colligimus quod si quæpiam earum, quæ in his scriptæ sunt libris sententiarum, alibi fortè fortuna iterata reperiatur,

riatur, aliam penitus induisse formam videtur, atque ab ea penitus degenerasse, cùm tamen recta ratio debeat iudicare, vtra earum minus sit deprauata. Hanc igitur quam proposuimus sententiam, ex libro de iudicationibus transcripsimus, cùm vtrobique ipsa eadem sit scripta: sed in hoc libro penitus interierit. Nam quod in hac parte scriptũ est, εἰλεὸς λαπαροῦ. *id est. in ileo molli, aut voluulo, in libro de iudicationibus habet:* εἰλεοῦ ἐπιγινομένου. *id est. Voluulo superueniẽte, aut voluulo accedente. Deinde quod in hac parte scriptum erat,* κατὰ λόγον, *id est, pro ratione, alibi habetur,* κατ᾽ ὀλίγον, *id est, sensim. Denique quod in hoc loco scriptũ est,* ἄπονος δυσεντερία *(rendering uncertain), id est, intestinorum difficultas absque dolore, non legitur in libro de iudicationibus.*

Ἢν ὑποχόνδριον τεταμένον ᾖ, πιέζειν τῇ χειρὶ καὶ λούειν ὕδατος ἐξειμένου, γάλακτος ὀκτὼ κοτύλας διδόναι πιεῖν, ἢν δὲ ἐμέῃ, καὶ μὴ πίνῃ, μυττωτὸν διδόναι.

33. Si præcordium distentum fuerit, manu comprimendum, lauandumq; est, aquæ autem quæ à lacte secederit octo cotylas bibendas dato, si verò vomat, & non bibat, allij intritum, quod μυττωτὸν Græci nominant præbendum est.

Ita esse hanc sententiam legendam ratio monet: nam quòd interponatur in media hac oratione proximè sequens sententia ab omni est alienum ratione. Adde quòd præcordij hæc distentio, quam ex obstructione natam credendum est, hanc meritò poscit medendi rationẽ, quæ tum sero lactis, tum etiam allij intrito perficitur. Est autem allij intritum, quod Græci μυττωτὸν *appellant, autore Dioscoride, capite de alleis, factum ex ipsis & nigra oliua, cuius facultas ad ciendas vrinas est maximè comparata, ac proinde hydropicis ipsis perquàm vtile.*

Πρὸς ὠνυχίας, κικὶς μέλαινα ἐν μέλιτι.

34. Ad reduuias gala nigra ex melle facit.

Quantam habeat hoc medicamentum potestatem experimento disces, admodum enim est exiccatorium.

Ὥστε ἔχειν γυναῖκα ἐν γαστρί. πολύποδας μικροὺς ὑπὲρ φλογὸς ὀπτῶντα ὡς θερμότατα, καὶ πλεῖστα ἢ μίφλεκτα διδόναι τρώγειν. καὶ τρίψαντα λίτρον αἰγύπτιον, καὶ κορίανον καὶ κύμινον κόλλικας ποιοῦντα, προστιθέναι τῷ αἰδοίῳ.

35. Vt mulier in vtero habeat polypos paruos super flammam assabis, & quàm calidissimos edendos dabis, & alios plures semiambustos. Quin & vinum AEgyptium, & coriandrum, & cyminum intrita, pastillis conformatis, pudendo inijcienda sunt.

In libro de sterilibus polypos ad fœcunditatem etiam commendauit, nec sanè ab re salacissimum enim animal polypus est, vt comes propemodum naturæ scriptores monumentis tradiderunt, Quin & id maximum est impensè

& ij libidinis

libidinis argumentum, quòd non prius cessat à coitu quàm debilitate contabescat, communis nanque exitus est tum coitus, tum mortis, quod & Oppianus in ἁλιευτικοῖς inter alios scripsit:

Ξυνὸν δὲ τέλος θανάτοιο καὶ εὐνῆς
οὔγαρ πρὶν φιλότητος ἀπέχεται οὐδ᾽ ἀπολήγει
πρὶν μὴν ἀπὸ μελέων πολλὴν ἐπὶ γυῖα ἀδρανέοντα
αὐτὸς τ᾽ ἐν ψαμάθοισι πεσὼν ἀμενηνὸς ὄληται. *id est.*

Et vitæ & coitus est terminus vnus & idem
Haud siquidem prius potuit satiarier vnquam
Quàm membra ac vires priuata calore tabescant
Ipseque decumbat sabulo moribundus inerti.

Ἢν ἐκ κραιπάλης κεφαλὴν ἀλγέῃ, οἴνου κοτύλην πιεῖν. ἢν δὲ ἄλλως κεφαλὴν ἀλγέῃ ἄρτον ὡς θερμότατον σὺν οἴνῳ ἀκρήτῳ ἐσθίειν.

36. Si caput doleat ex crapula, vinum meracum ad coryle mensuram dandum est: sin ex alia causa caput doleat, panis cum mero quàm calidissimus dandus est.

Si contraria esse debent morborum remedia, vt planè debent, haudquaquam curare, quin potius augere affectum autorem voluisse credendum est: nam omni caret ratione his quibus vini liberalior haustus morbi fuit causa, vino esse succurrendum.

Ἢν ἄνθρωπον θέρμη ἔχῃ μὴ ἀπὸ χολῆς, μηδὲ ἀπὸ φλέγματος, ἀλλ᾽ ἢ ἀπὸ κόπου, ἢ ἄλλως πυρετώνῃ, ὕδωρ θερμῆναι πολλὸν, ἔπειτα ὑπερχέων τὴν κεφαλὴν βρέχειν, μέχρις ἂν τοὺς πόδας ἱδρώσῃ. καὶ ἄλητον ἕψεσθαι ὡς παχύτατον, ἐπὴν δὲ ἱδρώσῃ τοὺς πόδας, ἄλητον ὡς πλεῖστον καὶ θερμότατον ἐσθίων, καὶ οἶνον ἄκρητον ἐπιπίνων περισταλάμενος ἱματίοις ἀναπαυέσθω εὐκόπως, ἢ μὴν ναρκίσσου δύο ἢ τρεῖς κεφαλὰς ἐπὶ τῷ δείπνῳ ἐσθιέτω.

37. Si hominem calor corripiat neque à bile, neque à phlegmate, sed aut ob lassitudinem, aut aliam ob causam febricitet, aqua calida multa capiti est infundenda, donec pedes sudore madescant: polentamq; esitare debet quàm crassissimam: postquam sudor eruperit, polentam quàm plurimam, crassissimamq; comedens, & vinum meracum superbibens, vestibus obuolutus quiescere debet. Aut certè narcisi duo aut tria capita in cœna edat.

Rarum per Iouem curationis ingenium id est, quod nobis in præsentia proponitur, nescio tamen an sit perinde laudandum, eò nanque videntur totius curationis scopum dirigere, vt summè cutis meatus reddat laxiores, quo possit, si quidpiam humoris per corpus concitatum est, foras euocari: At ne vires in ea iugi vacuatione deficiant, voluit corpus per interualla

nutrimento minimè recrementitio refici. Quin & crassiusculos succos foras expurgari etiam voluit; quod facile narcissi radicibus præstari poterit, nam vomitorium est medicamentum.

Τῷ μέλλοντι μαίνεσθαι τοῦτ' ἐπισημαίνει τὸ σημεῖον, αἷμα συλλέγεται αὐτῷ ἐπὶ τοὺς τιτθούς.

38. Venturum furorem id signum significat, nimirum cùm sanguis ad mammas colligitur.

Quinta aphorismorum sectione, quanquàm paulò aliter, scripta tamen est hæc sententia, quam Galenus ex earum numero esse significauit, quæ rarò eueniunt: est tamē nihilominus credendum, Hippocratē interdum tale quidpiam fuisse conspicatum: neque id sanè alienum est à ratione, vt circa mammas sanguis biliosus, aut alioqui prauus potissimū mulieribus aceruetur, qui aut copia, aut prauitate non possit in lac transmutari, quandoquidem si in lac transmutaretur nihil prorsus mali inde accidere posset. At verò si intransmutatus permanserit, timendum planè est ne caput incurset, ac mentem inuertat, ac iudicium perturbet.

FINIS.

INDEX LOCVPLETISSIMVS RERVM MEMORABILIVM QVAE TOTO HOC OPERE CONtinentur: cuius prior numerus folium, posterior lineam denotant: a. autem, aut. b. paginam commonstrant.

A.

B.

C.

D.

E.

F.

imbecilli

M.

N.

Sanguinis

T.

V.

V.

FINIS.